AUTHOR:

CORTE, PETRI ANTONII

TITLE:

ELEMENTA PHILOSOPHIAE IN...

PLACE:

TAURINI

DATE:

1874

Master Negative #
93-81215-2

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

140	Corte, Pier Antonio.	
C81		Elementa philosophiae...
Taurini	1874.	D. 3 v. in 1.
		Contents
	v. 1	Logica.
83340	v. 2	Metaphysica
	v. 3	Ethica.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA IIA IB IIB
DATE FILMED: 3-25-93 INITIALS MGY
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

Tal.
rl. 2
77

PETRI ANTONII CORTE

IN R. TAURINENSI ATHENAEO ANTEHAC PROFESSORIS

ELEMENTA PHILOSOPHIAE

IN USUM SEMINARIORUM

VOLUMEN I.

LOGICA

Nec vero sine philosophorum disciplina, genus et speciem cujusque rei cernere; neque eam definiendo explicare, nec tribuere in partes possumus, nec judicare quae vera, quae falsa sint, neque cernere consequentia, repugnantia videre, ambigua distinguere. Cic. *Orator.*, c. IV.

TAURINI
Ex Typ. Pontificia et Archiepiscopali
EQ. PETRI MARIETTI
1874

ILLUSTR.MO AC REVEREND.MO

D. D.

LAURENTIO GASTALDI

ARCHIEPISCOPO TAURINENSI

ETC. ETC.

ANTONII ROSMINII DISCIPULO EIQUE IN PRIMIS CARISSIMO.

ANTISTITI VIRTUTE OMNI PRAECLARO

RERUM DIVINARUM SCIENTIA DOCTISSIMO

IN RELIGIONIS DECORE ET JURIBUS TUENDIS

STRENUO A LABORE INVICTO SOLLERTI ACERRIMO

OBSEQ.MUS ATQUE ADDICT.MUS
SACERDOS P. A. CORTE
PHILOSOPHIAE PROFESSOR EMER.

PRAEFATIO

—

I. « Scire, ita Aristoteles, *Metaphysic.* libros exorditur, naturale hominis est desiderium ». Item Cicero: *Omnes*, ait, *trahimur et ducimur ad cognitionis et scientiae cupiditatem* (De off.). Quod in pueris praesertim, in quibus natura ipsa elucet in primis, manifestissimum est. Hos namqué novas, sibique primum oblatas, res incredibili cognoscendi studio flagrare, eorum videlicet causas vel rationes inquirere aut flagitare videmus (1).

Ex hac porro sciendi cupiditate ortum duxit *Philosophia:* graeca vox, quae amorem seu studium sapientiae significat (2). Vocem hanc a Pythagora primum usurpatam novimus; nam qui, ante ipsum, in rerum contemplatione earumque causis et rationibus investigandis studia impen-

(1) Inde facile eruitur (ut hic obiter dicam) homini a natura ipsa aliquod inditum esse elementum vel principium cognitionis; quoddam, si ita loqui fas est, germen intelligentiae et semen veritatis, quod deinceps evolvitur atque adolescit. Quomodo secus tanta in homine sciendi cupiditas explicari posset? *Nullus enim*, ait S. Thomas, *desiderio et studio in aliquid tendit, nisi sit ei praecognitum.*

(2) *Nec quicquam aliud*, inquit Cicero, *est philosophia, si interpretari velis, quam studium sapientiae* (De off.).

sius collocarent, *sophi*, idest sapientes nominabantur (1). Quî autem id factum sit, declarat Cicero, *Disputationum tuscul.* lib. v, c. 3.

II. Sed quid sapientiae nomine intelligendum est? *Sapientia* (quam Cicero *perfectum mentis humanae bonum* appellat) a Platone, in *Theeteto*, definitur: « perfecta justitiae atque sanctitatis cum prudentia conjunctio, qua sese homines diis similes reddunt ». Item Seneca Lucilio suo: *Ut breviter*, inquit, *tibi formulam scribam: talis animus sapientis esse viri debet*, *qualis Deum deceat* (Epist. XCII).

Ex quo fit ut philosophia (seu « studium sapientiae ») proprie loquendo, « scientia universalis » nuncupari debeat. « Philosophi est, ait Aristoteles, res omnes meditari; quod enim a philosopho nequaquam consideratur, quisnam consideret »? Aristoteli consentit Cicero, a quo philosophia definitur *rerum divinarum et humanarum*, *causarumque quibus hae res continentur*, *scientia* (De off.). Generatim autem a Scholasticis: « Scientia rerum, naturali lumine cognoscibilium ».

III. At si hanc totam fortasse olim complecti hominum cuiquam datum fuit, quum tantos humana mens, in rerum cognitione, progressus nondum fecisset, quemnam, quaeso, jure philosophum modo dixeris, ubi hoc nomine ille tantum appel-

(1) *Cum autem*, ad rem S. Augustinus, *sapientes appellarentur qui modo quodam laudabilis vitae aliis praestare videbantur*, *iste* (Pythagoras) *interrogatus*, *quid profiteretur*, *philosophum se esse respondit*, *idest studiosum et amatorem sapientiae: quoniam sapientem profiteri arrogantissimum videbatur* (De civ. Dei).

lari posset, qui omnibus omnino disciplinis sit doctus?

Hinc enimvero factum est, ut, humanis cognitionibus in dies succrescentibus, in varias deinceps partes, variisque nominibus distinctas, universa scientia tribueretur; quarum hanc vel illam, pro cujusque ingenii dexteritate, maxime quisque excoleret.

IV. Omnium tamen nobilissima atque praestantissima scientiae universalis pars vetus *philosophiae* nomen retinuit. Ita nimirum pars illa vocari consuevit, quae, nedum in ceteras dominetur, omnes, pene dixerim, complectitur: quippe quae plena est humanae cogitationis evolutio atque explicatio. Ceterae namque disciplinae, rudem quodammodo atque incompositam humano spiritui *materiam* suppeditant; philosophia huic materiei *formam* tribuit, eamque in ordinem redigit. Ceterae disciplinae rebus, prout in seipsis sunt, simpliciter student; philosophia, rerum causas, relationes, nexus investigat; in iis veritatem perscrutatur, earumque sibi rationem reddit.

Quapropter *philosophia*, strictiore hoc sensu accepta, definiri potest « scientia veritatis »; vel clarius etiam « scientia, quae in ultimis rerum seu entium rationibus inquirit (1) ». *Ultimae* porro *ra-*

(1) Quo omnino sensu Cousinus: « La science philosophique est le compte sévère que la réflexion se rend à elle-même d' idées qu' elle n'a pas faites ». Et alio loco: « Savoir sans s' en rendre compte, savoir en s'en rendant compte, c'est là toute la différence possible de l'homme à l' homme, du peuple au philosophe ». Item Ancillonus: « Philosopher, c'est nous rendre raison de nos idées ». Hisce autem plane congruit communis hominum sententia. Quos enim penitius res inspicere, earum rationes accurate perscrutari vident: cur videlicet et

tiones responsa illa dicuntur, quae ultimis omnino satisfaciunt interrogationibus (*agli ultimi perchè*) quibus humana mens seipsam percontari solet. Quo ubi pervenerit, non ultra quaerit, sed penitus conquiescit: illam quippe scientificam quietem, qua maxime eget et ad quam tendit, consequuta est. Supremus igitur, quo homini licet pertingere, cognitionis gradus, cognitio *philosophica* nuncupatur.

V. Philosophia, ut diximus, est « scientia, quae in ultimis entium rationibus inquirit». Hinc, pro diversa entium, quae investiganda suscipit, qualitate et conditione, diversa quoque distinguitur philosophia. Atqui ens, licet naturâ suâ unum semper et identicum, triplici tamen primigenia forma gaudet, idest idealitate, realitate et moralitate; triplex nimirum essentialiter est ens: *ideale, reale* et *morale* (1).

Universa igitur Philosophia in tres partes dividitur, prout de ente ideali, vel reali, vel morali agit. Quarum prior *Logica* (a Cicerone et Seneca *Philosophia rationalis*); altera, *Metaphysica;* tertia demum, *Ethica*, seu *Philosophia moralis*, nominatur. De singulis, ordine, dicendum nobis est.

---

quomodo aliquid sit (*il perchè e il come delle cose*), hos philosophos dicunt; praeclarum hunc animi habitum, *spiritus philosophici* nomine appellant.

(1) Hae porro formae constituunt basim, cui tres insistunt supremae cathegoriae in quibus res omnes, quae ab homine cognosci possunt, continentur (quodlibet enim ens ad rerum idealium, vel realium, vel moralium ordinem necessario pertinet: est nempe vel aliquid simpliciter mente conceptum (idea), vel aliquid actu existens (realitas), vel moralis quaedam activitas humana (actio moraliter bona vel mala); proindeque ultimae rationes dicendae sunt, ad quas philosophica meditatio sese convertit: exercitatio quippe philosophica, ut diximus, in ultimis rerum rationibus investigandis tota consistit.

VI. Et primo quidem de Logica; quae circa ens ideale versatur. Ad hanc tamen rem juvat animadvertere, totam de ente ideali disquisitionem a logica nequaquam absolvi. In ea quinimo primas tenet *ideologia*, seu scientia de ideis; quam logica ipsa omnino supponit. Quanquam enim utraque ideae entis universalis innititur, - quae, uti postmodum clarius patebit, est ultima (vel, si mavis, suprema) respectu ad scibile universum, ratio -, hanc ideam nihilominus, tamquam idearum fontem ideologia considerat; logica vero, utpote veritatis et certitudinis criterium.

At sermo de ideis recte nequit institui, ni prius humani spiritus potentiae, quarum ope ideas ipsas detegimus vel componimus, nobis innotescant. De his igitur aliqua praefari operae pretium ducimus.

VII. Quapropter, ad nosmetipsos animum advocantes, potentiis in primis studebimus, quibus homo naturaliter praeditus est. Humanae deinde cognitionis naturam et characteres investigabimus, sicque ad ideas gradum faciemus. Quae quidem nobis praemittenda sunt, antequam logicam, proprie dictam, pertractandam adgredimur; quae in eo potissimum est, ut veritatis naturam investiget, ejus defensionem suscipiat, et instrumenta praebeat quibus ad ipsam tuto ac certe pervenire nobis datum est.

VIII. Haec itaque totius operis erit divisio: 1° De naturalibus animae humanae *potentiis* seu facultatibus, praesertim cognoscitivis, agemus (Psychologia experimentalis vel empirica, haec vulgo dicitur; *Anthropologiam in usum logices* nos eam appellamus). 2° De harum potentiarum objectis, seu

ideis (*Ideologia*) (1). 3° De *ratione* hujuscemodi potentias in veri inquisitionem, nec non expositionem, *dirigendi* (*Logica*, proprie dicta).

Logicam autem *Metaphysica;* hanc demum *Ethica* excipiet.

(1) Anthropologia igitur et Ideologia, quaedam veluti ad logicam ipsam propedeutica sive intrcdutio, hic a nobis considerantur.

PRAENOTIONES

ANTHROPOLOGIA IN USUM LOGICES

1. Duo imprimis sunt rerum genera, quae sese homini cognoscenda objiciunt: res extra eum positae, et homo ipse. Scientia seu doctrina de homine generatim dicitur *Anthropologia.*

Sed homo est quid duplex, duplici nimirum constat substantia, quarum altera spiritualis est, altera materialis: *anima* et *corpore* (1). Hinc triplex distingui potest Anthropologia: *somatologica*, si agat de humano corpore (huc spectant physiologia, anatome etc.); *psychologica*, si circa animam versetur; *comparata* demum, quum inter animam et corpus relationes perpendit.

Quae tamen, in usum logices, hic a nobis traditur, Anthropologia psychologica praesertim est, - in homine quippe caeteris longe animus praestat -. Haec scilicet mundum, quem *internum* dicunt et multiplex factorum genus quod in eo contingit, considerandum adgreditur; interea dum mundum *externum* (ad quem et ipsum humanum

(1) Id tamquam factum modo assumimus. Caeterum, animam humanam et corpus, substantias esse inter se omnino distinctas atque naturâ diversas, fuse in Metaphysica demonstrabimus.

corpus pertinet) et corporea phoenomena investigare, scientiarum, quas physicas vel naturales vocant, proprium est.

2. Jamvero, ea ferme ratione, qua, quae extra nos sunt vel fiunt, seu mundum externum, sensuum externorum idest externae observationis ope, cognoscimus, ita per observationem internam, per attentionem scilicet, seu animi conversionem ad nosmetipsos, factorum internorum cognitionem, vel melius, conscientiam acquirimus. *Conscientia* enim, quasi *scientia cum* (nobis), ut ipsum vocabulum sonat, est « scientia nostrum »; atque definiri potest « immediata cognitio vel perceptio sensuum et volitionum nostrarum, eorumque generatim omnium, quae in nobis vel a nobis sensibiliter fiunt ». Hujusmodi autem conscientia, *psychologica* nuncupari solet; eamque satius fortasse *theoreticam* diceres. Quod si haec de actionum nostrarum honestate vel pravitate judicium sibi habeat connexum, conscientia *moralis* tunc appellatur; quam definire licet « judicium speculativum de actionum nostrarum moralitate (1)». Sed de conscientia morali opportunius in Ethica.

Ex quo manifestum est, haud recte conscientiam a Theod. Jouffroy definiri « sensum, quem de seipso principium intelligens habet». Conscientiam quippe cum sensu intimo confundit, quae omnino discrepant inter se. Etenim homo, utpote natura sensitivus, naturalem quidem sui ipsius, ut mox videbimus, omniumque internorum factorum, sensum habet; at sui conscientiam tunc solum acquirit, quum in sensum ipsum attentionem convertit. Hinc attentio, ut optime docet Cousinus, tamquam essentialis conscientiae conditio habenda est (1).

(1) Priorem illam, *consapevolezza;* hanc vero, *coscienza* Itali communius appellant.

3. Auctoritas conscientiae tanta profecto est, ut nulla major excogitari possit. Quid enim absurdius, quam ea in dubitationem adducere, quae conscientiae testimonio innituntur? Nemo mehercule sanae mentis ambigere unquam poterit, se voluptate, ex. gr., vel dolore affici, quum hanc animi sui adfectionem se persentire omnino conscius est.

Itaque si certo ea existere credimus quae videmus vel tangimus, non minus certa sunt ea, quae conscientia testatur: hoc namque utpote summum et infallibile Anthropologiae seu Psychologiae criterium haberi debet (2). Quae iccirco, ubi ingenue ac simpliciter hanc vocem internam exaudiat seseque eidem committat, aeque saltem firmo et solido fundamento, ac scientiae naturales, insistit.

4. Hisce praemissis, ut a simplicissimo conscientiae facto rem exordiamur, id in primis certissime constat, nos cogitare atque existere. Quid enimvero planum magis et perspicuum nobis esse potest? Hinc Cartesius, quum sibi quondam propositum haberet, omnes cognitiones suas se-

(1) Hic tamen praeterire non possum, quin animadvertam, non sibi satis doctissimum Cousinum cohaerere; qui, posteaquam attentionem, tamquam essentialem conscientiae conditionem agnovit, alibi affirmat, nihil in nobis fieri posse, quin illius conscientiam habeamus. At enim, ad omniane, quaeso, quae in nobis contingunt, attendimus? Atqui et Cousini ipsius haec verba sunt: « Innumeris impressionibus sensibilitas mea affici potest; sed ubi his animum minime attendam, nullam de illis conscientiam habeo ».

(2) « Cioè il principio, quemadmodum ait Rosminius, della scienza dell'anima, e il criterio che fa distinguere il falso ed il vero in questo argomento » (*Psicologia*).

veriore trutina pensare, de omnibus primo dubitare coepit; ubi vero cognitionum aedificium denuo construere adgressus est, ex hoc initium duxit: *Cogito, ergo sum* (1).

5. Quod si ulterius conscientiam nostram consulimus et penitius perscrutamur, varia et multiplicia facta sine intermissione in nobis contingere deprehendimus. Quae tamen omnia ad tres, inter se prope distinctas, classes revocari possunt; suntque *sensus*, *intellectiones* et *volitiones*. Homo *sentit*, *intelligit*, *vult:* huc omnes, quotquot sunt, humani spiritus actus tandem reducuntur.

Ex his conficitur, tres diversae naturae in homine inesse potentias, ad quas hujusmodi interna facta referantur et a quibus pendeant: actus

(1) Animadvertendum tamen est Cartesium, quum diceret: *Cogito, ergo sum*, idest *existo*, generalem hanc propositionem tacite supposuisse: *quidquid cogitat, existit*. Haec porro propositio concipi nequit absque idea existentiae: nemo enim potest dicere: « quidquid cogitat, existit », si nesciat quid sit *existere*. Ex quo consequitur (quod in ideologia melius patebit) perceptionem existentiae nostrae, primam non esse veritatem homini compertam, vel supremum humanae cognitionis principium, uti Cartesio, et Dmowskio praesertim, inter recentiores visum est. Nihilotamen secius haud inficiamur, perceptionem hujusmodi, rem certam esse atque evidentissimam et a nemine sanae mentis in dubiis positam; quaeque propterea nullam requirit nec patitur demonstrationem. Ita nimirum intelligendus est S. Augustinus, quum, contra scepticos disputans, ab hoc etiam facto proficiscitur: « Ego existo ». *Prius abs te quaero*, sic Alipius, Augustini personam gerens, Evodium alloquitur, *ut de manifestissimis capiamus exordium, utrum tu ipse sis; an tu forte metuis ne hac interrogatione fallaris, cum utique, si non esses, falli omnino non posses.* — Nil igitur vetat ab hoc facto illum exordiri, qui philosophari adgreditur; licet hinc profecto humana scientia initium non habeat. Quod et Cartesio ipsi probe perspectum mihi fuisse videtur; qui haec, ad sui defensionem, aperte scribit: *Ubi dixi hanc propositionem*, ego cogito, ergo sum, *esse omnium primam et certissimam, quae cuilibet ordine philosophanti occurrat, non ideo negavi, quin ante ipsam scire oporteat, quid sit cogitatio, quid existentia, quid certitudo; item, quod fieri non possit, ut id quod cogitat non existat, et alia; sed quia haec sunt simplicissimae notiones, et quae solae nullius rei existentis notitiam praebent, idcirco non censui esse numerandas.*

quippe sine potentia esse nequit. *Potentia* namque dicitur « peculiaris animae vis, ab suis operationibus definita et distincta ». Hae porro potentiae seu facultates sunt *sensibilitas*, *intelligentia* et *voluntas*. Quae *primariae* vel fundamentales appellari solent; quo ab aliis distinguantur, quas *secundarias* vocant: quae ceu totidem modi facultatum fundamentalium, sive totidem, eaeque diversae, harum facultatum explicationes habendae sunt (1).

Actus itaque nil aliud est, quam quoddam potentiae exercitium sive explicatio. Sic actus sensibilitatis dicitur *sensus;* actus intelligentiae, *cognitio* vel *intellectio;* voluntatis, *volitio*. Unde notissima illa Scholasticorum: *A potentia ad actum non valet illatio. — Ab actu ad posse datur consecutio* (2).

6. Sed potentiae seu facultatis nomine intelligi etiam solet « vis, qua humanus spiritus pollet, seipsum aut ens aliud modificandi, vel a se distincta causa modificationem recipiendi ». Si igitur sub

(1) Quaelibet potentia sibi proprium habet terminum seu objectum ad quod essentialiter tendit, et in cujus possessione omnino conquiescit. Terminus sensibilitatis est *bonum subjectivum* (ita dictum, quod *subjecti*, quod illo gaudet, proprium est) nempe *felicitas;* objectum intelligentiae est *verum;* voluntatis *bonum objectivum*, seu *virtus*. Hae totidem sunt congenitae hominis necessitates. Homo scilicet, natura ipsa cogente, vehementissimo in veritatem flagrat amore; virtutem impense vult ac diligit; beatus esse appetit.

(2) Ut plurimum tamen uno eodemque vocabulo, cum potentia tum ejus actus exprimitur. Hoc autem ne inconsulto factitatum credas. *Potentia* enim, si praecise definiri velit, nil aliud est, quam actus primus, constans, immanens, immobilis, qui, ut vidimus, ab termino vel objecto constituitur quod illi essentialiter inhaeret; quique, congruis in adjunctis, alios deinceps actus, eosque varios pro adjunctorum varietate gignit. « Ogni potenza, inquit Rosminius, deve essere una certa attività quasi direi infrenata, la quale, tolto via il freno, come arco incordato, scocca e ferisce » (*Nuovo Saggio sull'origine delle idee*). Qui igitur actus communiter dicuntur, proprio actus secun-

hoc respectu animae humanae potentiae considerentur, jam alia habetur earum divisio in *activas* et *passivas*.

Ex attenta porro animae humanae consideratione constat, tres in ea passivas, ac totidem, eisque respondentes, activas potentias inesse (1). Passivae sunt *sensibilitas* (cum physica, tum spiritualis), *intellectus* et *ratio;* quibus, hoc ordine, tres activae respondent: *instinctus* nempe (sive physicus, sive spiritualis), *voluntas* et *libertas*.

7. Ex his facile colligitur quid sit *homo:* quaenam videlicet sit ejus natura, et quomodo definiri debeat: - aliquid namque definire (ut suo loco fusius dicemus) est integram illius naturam sive essentiam perspicue ac praecise declarare. Hominem itaque definire licet « subjectum animale, intellectivum et volitivum (morale) ». *Subjectum* autem vocatur « id quod principium actionis est, vel actionem in se recipit ».

Hanc porro definitionem numeris omnibus absolutam arbitramur: in ea quippe id solum exprimitur quod in homine nativum et primigenium est; nil insuper, quod ad illius essentiam pertinet, reticetur. Postremo, quum hominem dicimus subjectum una sentiens, intelligens, volens, arctissimum innuimus nexum, qui inter binas partes

darii et subsequentes essent dicendi; vel etiam totidem explicationes et manifestationes potentiae seu actus primi. Sic sensus primus et naturalis potentiam sentiendi in homine constituit; quemadmodum primus et essentialis cogitandi actus, vel prima quaedam, ut ita dicam, cognitio, potentiam cogitandi vel cognoscendi procreat. Sensus autem, vel cogitationes quae subsequuntur, nil aliud sunt, quam sensus primitivi, vel primae cogitationis (potentiae nimirum, ut vulgo dicitur, sentiendi et cogitandi) totidem explicationes. Quod tamen ex dicendis manifestius fiet.

(1) Id quippe fert humanae naturae constitutio: *Potentias appetitivas*, ait S. Thomas, *oportet esse proportionatas potentiis apprehensivis.*

(animum et corpus) seu bina, ut ita dicam, elementa, ex quibus homo componitur, intercedit; hoc enim nexu soluto, jam homo esse desinit (1).

8. Quare duplex, in sua simplicitate, est humana natura: *animalis* scilicet ac *spiritualis*. Cujuslibet namque entis determinati natura sive essentia « id proprie dicitur quod ens illud constituit, idemque in actu ponit »; vel etiam « omnium, quae in eo sunt, potentiarum complexio (2) ». Atqui duo potentiarum genera in homine existunt, quarum aliae animales sunt, aliae vero spirituales; quarum postremae in intellectuales et morales distinguuntur.

(1) Hinc patet, quid de variis hominis definitionibus censendum sit, quas tradiderunt philosophi. Plato, quem nuper Bonaldus sequutus est, hominem vocat « intelligentiam, cui organa famulantur». Cum Platone autem consentire etiam videtur S. Augustinus, a quo homo definitur *anima rationalis, corpore terreno et mortali utens.* Ab Aristotele: « animal rationis particeps »; item, « animal politicum »; a nonnullis « animal perfectibile »; vel, « animal sociale». Hanc sileo, quae et ipsi Platoni, jure ne an injuria nescio, tribui consuevit: homo est « bipes sine plumis »; quae hanc aliam in mentem revocat, ad instar aenigmatis Aedipo a Sphynge propositam: « animal mane quadrupes, meridie bipes, vespere tripes». — Hasce porro definitiones, quippe gravibus plus minusve vitiis laborantes, rejiciendas omnes putamus.

(2) *Nomen naturae*, ait S. Thomas, *primo impositum est ad significandam generationem viventium quae dicitur nativitas. Et quia hujusmodi generatio est a principio intrinseco, extensum est hoc nomen ad significandum principium intrinsecum cujuscumque motus. Et quia hujusmodi principium est formale vel materiale, communiter tam materia quam forma dicitur natura. Et quia per formam completur essentia uniuscujusque rei, convenienter essentia uniuscujusque rei (quam significat ejus diffinitio) vocatur natura.* — Aliis tamen, iisque variis, significationibus vox *natura* gaudet. Natura saepe dicitur *rerum universitas;* vel *leges*, quibus res ipsae reguntur. Interdum etiam, per quamdam ellipsim, naturae ipsius Auctorem hac voce intelligimus. Quod si de homine speciatim sermo sit, sunt qui naturam considerant, quatenus opponitur *libertati;* quum autem ea, quae ad artem pertinent, utpote effectus liberae hominis operationis habeantur, hinc distinctio inter res *naturales* et *artificiales*. Alii naturam *rationi*, *societati* alii opponunt. Quo postremo sensu vox *natura* accipienda esse videtur, ut jura, quae in *naturae statu* hominibus competunt, praecise et sine ambagibus definiri possint.

Triplex igitur, proprie et strictius loquendo, est originaria hominis natura : *animalis intellectiva-moralis*. Priorem illam cum brutis animantibus; alteram cum intelligentiis, quas *puras* vel angelicas vocant, communem habet. Vi tandem naturae moralis, ad aeternum rerum ordinem, idest veritatem, sese conformare vel eidem reluctari potest. Per hanc scilicet homo, boni vel mali (moralis) idest virtutis et vitii, meriti atque demeriti, proindeque praemii et poenae capax fit.

9. Nos, pro instituti nostri ratione, paucis de animali hominis natura delibatis, de intellectuali hic praesertim agimus. Moralem autem in Ethica persequemur.

Caeterum, veram et propriam hujusce vocabuli sententiam ab ejus etymologia ducere oportet: natura porro a *nascor* dicta est. Ab hac autem prima significatione caeterae deinceps ortae sunt; ut patet ex loco S. Thomae nuper allato. Hinc non immerito, vel ab antiquissimis temporibus, natura rationi opponitur: natura enim id significat *quod nascitur*, quod initium habet; in ratione contra, ut infra videbimus, est lumen quoddam, seu elementum aeternum, immutabile (quod proinde *non nascitur*). Quantam mehercule cognitionum copiam, quantamque sapientiam ex vocabulorum etymologia, si tamen haec recte, non vero pro libidine, intelligatur, haurire liceret!

PARS PRIMA

DE NATURA HOMINIS ANIMALI

10. Natura animalis sensu et instinctu physico omnino constat: quorum ille passiva, hic vero activa potentia est.

CAPUT I.

De passivis potentiis animalibus.

11. Ut animali hominis naturae, seu quatenus hic est animal, probe studere possimus, ab natura ejus spirituali abstrahere oportet; ne, quod ad unum potentiarum ordinem pertinet, ob quamdam fortasse analogiam, ad alterum transferamus. In brutis igitur animantibus hujusmodi natura potissimun consideranda est.

ART. I. — *De sensu physico seu animali.*

12. Animal in rerum natura vere existere, neminem profecto latet. Ab hoc itaque facto nos exordimur.

Essentialis porro animantis character est *sentire. Hoc enim*, ex S. Thoma, *dicitur animal, quod naturam sensitivam habet:* in sensu nimirum physico et materiali, animantis essentia posita est.

13. Sed ut ejusmodi sensus exsistat, bina elementa seu principia requiruntur simul intime con-

juncta: principium videlicet sentiens, idest anima sensitiva, quam simplicem et *inextensam* in Metaphysica demonstrabimus; et corpus, materia nimirum *extensa*, quae ab illa sentiatur. Anima est principium *animans;* corpus, principium *animatum;* utrumque autem, arctissimo simul nexu devinctum, animal constituit.

14. Animal in natura perfectum et absolutum nobis primitus datum est (V. n. 12); hinc reapse, vel, ut dicunt, in *realium rerum ordine*, bina elementa, quibus illud constat, ab invicem sejuncta haberi nequeunt, quae deinceps simul copulentur, ut animal fiat. Etenim, si principium sentiens auferas, nulla jam erit materia quae sentiatur; hac vero ablata, et ipsum principium sentiens evanescere necessum est. Profecto, ubi hoc principium nil sentiat, haudamplius est sentiens: non existit igitur.

Id tamen non impedit, quominus, per mentis abstractionem, seu in *ordine rerum ideali*, bina haec elementa seorsum considerentur; atque ipsi animantis formationi quodammodo adstemus.

Sed animadvertendum hic est, non corpus quodlibet animationi idoneum esse, proindeque animantis partem sive elementum fieri posse; ad id quippe nonnullae requiruntur conditiones: quaedam nimirum in eo partium dispositio aptaque organizzatio esse debet; quam nihilominus, pro animantium varietate, plus minusve implicatam esse oportet.

15. Pone nunc corpus, accommodate compositum, in promtu esse. Jam in illud, pene dixerim, irruit principium sentiens; in singulas ejus partes permeat, illud amplectitur atque adeo sibi conjungit, ut unicum fiat subjectum, quod *animal* vel etiam *vivens* dicitur. Haec itaque animae in corpus operatio, *animationis* vel *vivificationis* nomine donatur. Per hanc enim novum sibi modum novasque proprietates inducit corpus: *vivum* nempe dicitur, quo a ceteris distinguatur, quae corpora *bruta* nuncupari solent.

16. Animali confecto, principium sentiens (ni aliqua fortasse praepotenti vi impediatur) jam suum corpus haudamplius dimittit; vel, si mavis, actionem et vim, ut ita dicam, jugiter sentit, quam in animam ipsam indesinenter exerit corpus. Res mira profecto! Vix dum anima permeat corpus, hoc vivificat et animat; vicissim vero corpus, vivificatione atque animatione adepta, in animam ipsam reagit, illam quodammodo exstimulat, eique sensibile fit. Anima igitur, corpus, cui arctissimo vinculo copulatur, perpetuo sentit.

Hujusmodi sensus continuus ac perennis a physiologis generatim *sensus universalis* dicitur; nos sensum *fundamentalem-corporeum*, - vel continuum propriae existentiae ac vitae sensum -, malumus appellare. Quapropter animal jugiter sentit se existere, vel aliter, se vivere: in hoc quippe illius essentia omnino consistit.

17. Vita animalis. Varias physiologi, sed vitiosas ut plurimum, vitae definitiones in medium attulerunt: quippe quae veram ac propriam vitae notionem haudquaquam exhibent, sed aliqua tantum complectuntur signa, ex quibus illius existentiam conjectare licet; quae tamen signa non raro decipiunt. Jamvero ex dictis manifestum est, vitam cum sensu intimam adeo connexionem habere, ut, ubi non est sensus, ne ibi vita quidem inesse possit.

Vita tamen, vel in anima solum, vel in corpore, vel in toto animali consideratur. Animae vita in sensu omnino est. Vita corporis in ea sita est vi, qua in animam ipsam agit, in eaque passiones quasdam excitat, quae *sensus* dicuntur (1). Quod si animal ex toto sumatur, ejus vita definiri potest « continua sensus fundamentalis-corporei productio». Quare mors aliud non est, quam subtractio *corporis sensibilis* a *principio sentiente* (2); quae subtractio fit per vim, quae a principio ipso sentiente nullomodo pendet (3).

18. Quod si animantis essentia in sensu corporeo consistit, in eoque verum discrimen ponendum est inter *animalitatem* et *vires materiales*, jam patet quid sentiendum sit de illa imperceptibili neque interrupta entium gradatione seu catena, quam nonnulli, ab exiguo pulvisculo, ex. gr., ad animal omnium perfectissimum in natura esse contendunt (4). Etenim ens quodlibet, vel sentit proindeque vivit, vel non; manifestissimum autem est, *sentire* et *non sentire*, *vivere* et *non vivere*, non gradu tantum, sed essentiâ inter se omnino distare. Priora illa, *animantia;* haec vero, *materialia* simpliciter nuncupamus. En unicum

(1) Hinc corporis vita non in sentiendo, sed in sensum ipsum promovendo consistit (*non in sentire, ma in far sentire*); quae distinctio maximi momenti est et omnino retinenda.

(2) *Secernere*, ait Cicero, *ex corpore animum, nequicquam aliud est, quam emori discere* (Tusc. disp.).

(3) Quae si probe teneantur, jam celebris dirimitur quaestio, quae, magna opinionum varietate, inter physiologos agitatur de *principio vitae*. Palam quippe est, vitale principium, haud aliud, quam principium ipsum sentiens, idest animam esse posse.

(4) Hujuscemodi catena admitti quidem poterit, si ratio tantummodo habeatur ad externas, vel *extra-subjectivas*, uti aiunt, entium notas, in quibus magnam fortasse similitudinem et analogiam reperire est; sed longe aliter sese res habet, si entia in sua propria et *subjectiva* existentia considerentur.

et infallibile criterium, quo animal ab alio ente quocumque internosci potest (1).

19. Quapropter, ut nullus ambiguitati sit locus, duo poterunt vitae genera distingui: *organica* nimirum, quae in peculiari sita est partium dispositione seu organismo, - qui secundum certas leges, vel ab quibusdam stimulis excitari et commoveri potest; et *animalis*, vita nempe proprie dicta, quae tota est in sensu. Haec prorsus subjectiva est, omnemque eludit observationem externam; penitus insidet principio sentienti, neque exterius, nisi per quosdam effectus, se prodit. Hujusmodi vita animantium propria est; illa vero ad omnia entia pertinet organis instructa. Sed inter utramque maxime interest; hinc valde cavendum, ne altera cum altera confundatur, uti ab pluribus physiologis factum novimus (2).

20. Sensatio. Etsi animantis corpus, - ob vinculum quo haeret principio sentienti, vi cujus materia sensus fit -, novum ut vidimus (n. 15), sibi modum novasque proprietates induat, corpus

(1) Ex his consequitur, neque contractilitatis neque irritabilitatis vim, eo autem minus elasticitatem, extensibilitatem, turgorem et similia, tuta esse sensibilitatis et vitae indicia. Ubi itaque corpus aliquod hujuscemodi quidem vires prodat, sed nulla interim alia praebeat sensus, propptereaque vitae argumenta, nequit ob id solum in animantium numero adscribi. Re enimvera, experientia compertum est, *irritabilitatem* et *sensibilitatem* haud eamdem in animantibus sequi rationem; quin imo in inversa pene ratione videntur esse: animantia enim, quae *sanguinis frigidi* appellant, - in quibus maxima est irritabilitas, parum sensibilia esse constat: exemplo sint ranae, uti norunt galvanicae electricitatis studiosi. Praeterea certissimum est, irritabilitatem et contractilitatem interdum adhuc superesse, licet omnis in corpore jam sensus evanuerit; quemadmodum experimenta, cum in corpore humano tum in aliis animalibus acta, satis superque evincunt.

(2) Hujusmodi posita distinctione, hanc magni Linnaei sententiam libenter admittimus: *Mineralia crescunt; vegetabilia crescunt et vivunt; animalia crescunt, vivunt et sentiunt.*

tamen esse non desinit, neque idcirco qualitates seu vires, corporum omnium proprias, amittit, cujusmodi sunt: impenetrabilitas, inertia, gravitas, resistentia, affinitas etc. Ex quo fit, ut corporum externorum impressionem in se recipere, eaque recepta, plus minusve immutari possit. Si itaque agentis exterioris vi, animantis corpus modificationem quampiam subit, - aliqua videlicet illius pars vel comprimitur, vel distenditur, vel suo loco depellitur, vel quomodocumque vellicatur -, ipsum pariter sensum fundamentalem-corporeum modificari oportet: hac enim lege animal obstringitur, ut continue, dum vita superest, suum sentiat corpus, idque in eo omnino statu sentiat, in quo hic et nunc est. Animal igitur, hisce in adjunctis, quin totum corpus sentire cesset, illam tamen partem, quae ab externo agente immutata est, distinctius persentiet. Hoc porro est, quod *sensatio corporea* dicitur: quae definiri potest « peculiaris quaedam sensus fundamentalis-corporei modificatio ».

Sed ut momentosum hoc sensationis factum probe dignoscamus, nonnulla animadvertenda sunt.

21. Et primo, partes omnes, cum internae tum externae, animantis corpus componentes, in binas classes, cum celeberrimo Hallero aliisque physiologis, dividi possunt: in *sensitivas* nempe, suntque nervi; et in *insensitivas* (1).

Nervos dicimus filamenta quaedam seu albicantes funiculos, ex fibris tenuissimis compositos,

(1) Sunt qui putent, partes quasdam, quae in statu, ut ajunt, normali, insensitivae sunt, sensitivas, datis in adjunctis, fieri. Sed hujusmodi quaestio ad institutum nostrum nihil pertinet.

qui ab encephalo, - a cerebro nimirum, vel medullis oblongata et spinali (quae nil aliud sunt, quam cerebri ipsius productio quaedam et processus) -, tamquam a stipite communi, originem habent, atque in corpus omne ducuntur. Complexio nervorum omnium in animato corpore existentium, illud est, quod *systema nerveum* dicunt; cujus imaginem quamdam praebet arboris truncus, a quo innumerae proficiscuntur radices, quae huc illuc in diversas telluris partes disseminantur.

22. In varias autem classes partiuntur nervos physiologi: cuilibet namque organicae actioni sui praesunt nervi. Duo tamen, quod ad nos spectat, nervorum genera distinguenda sunt, sensorii nimirum et motores. *Sensorii* dicuntur illi, qui corpus, ut diximus, vere sensitivum constituunt, et quorum proprium est varias in anima sensationes excitare; *motores* autem, qui spontaneis, - vel etiam (si de homine sermo sit) voluntariis -, corporis ejusque membrorum motibus ciendis inserviunt.

23. Ex dictis sequitur, corpus vere et proprie sensitivum, vel, ut dicunt, *subjectivum*, aliud esse ac corpus quod videmus et tangimus (corpus scilicet *extra-subjectivum*); ideoque sensum fundamentalem nonnisi nervos pervadere, in eosque sese effundere.

24. At si fundamentalis hic sensus consideretur, non quatenus nerveas omnes indiscriminatim et aequaliter complectitur partes, sed in earum quibusdam speciatim circumscribitur et quasi constringitur, tunc quinque habentur sensus corporei: *visus*, *auditus*, *olfactus*, *gustus* et *tactus*; qui *sensus externi* dicuntur, quod, eorum ope, ex-

terna facta seu mundum externum percipimus. Quos proinde a *sensu intimo* distinguere opus est, quo nosmetipsos et quae in nobis fiunt, absque organo corporeo, immediate sentimus. Quilibet insuper ex hisce sensibus peculiari quodam externo apparatu seu organismo distinguitur: instrumento scilicet, corporum externorum impressionibus excipiendis idoneo. Haec porro instrumenta sunt *oculi, aures, nares, lingua* et *cutis*. Quae *organa sensoria* vulgo nuncupantur; sed accuratius organa *cutanea* dicenda essent: vera quippe organa sensoria sunt *nervi*, qui ad illas partes diriguntur, in quibus proprie insidet sensus. Hi autem sunt nervi *optici, acustici, olfactorii, gustatorii* et *tactivi;* qui hoc speciali nomine donantur, prout in oculos, vel aures appellunt; vel in naribus, vel lingua desinunt; vel demum in tota corporis superficie passim inveniuntur, praesertim vero in apicibus digitorum, - pollicis prae caeteris atque indicis -, prominent (1).

25. Hisce praemissis, - si ab externo corporeo agente, sat efficax, et peculiari nervorum constitutioni ac sensibilitati conveniens, impressio in aliquod ex organis cutaneis, quae modo memoravimus, fiat, nervosque sensorios ibi latentes commoveat; ubi praeterea sani et integri sint nervi; neque ulla in ipsis, inter organum et ce-

(1) Praeter hos quinque sensus externos, complures alii in animali deprehenduntur, qui, - propterea quod eorum organa intus in corpore latent, - *interiores* nuncupari possunt. Hujusmodi sunt, sensus *famis, sitis, inspiratorius, expiratorius etc.;* quibus omnibus sui quoque speciales praesunt nervi, qui a trunco originem ducunt, quem anatomici *gran-simpatico* appellant. Cavendum tamen, ne sensus interiores, - qui ad ordinem physicum omnino pertinent -, cum sensu intimo confundamus, cujus ope, ut diximus, absque organo corporeo, nosmetipsos et quae in nobis sunt vel fiunt immediate sentimus.

rebrum, continuitatis solutio, nullumque interpositum impedimentum -, tunc animal modificationem quamdam sive status mutationem subit, quae *sensatio* dicitur: animal tunc specialiter et novo quodam modo sentit. Dixi *specialiter et novo quodam modo;* nunquam enim sine sensu est animal: in sensu quippe, ejus essentiam positam esse animadvertimus (n. 12). Sed hujusmodi sensus, quem fundamentalem-corporeum appellavimus, naturâ suâ uniformis, vagus atque indefinitus est. At si, aliqua in parte corporis, - ob immutationem in illius materia immediate factam -, sensus et ipse immutetur, tunc illud emergit, quod *sensationem* diximus (n. 20); quam propterea definire licet « sensus fundamentalis-corporei modificationem (1)».

26. Ut agentis exterioris in nervos impressio sensationem excitet, peculiari, ut diximus, eorumdem nervorum constitutioni ac sensibilitati conveniens esse debet; secus, nil omnino prodesset. Inde facile intelligitur, quare lux, ex. gr., quae visioni dat locum, quum in nervos opticos impingit, nequicquam prorsus in aliud quodvis nervorum genus vim suam exerceat. Quod et de caeteris sensibus manifestum est (2).

Hinc profecto varia sensationum indoles ac natura; hinc varia etiam sensus cujusque propria

(1) Etsi sensus fundamentalis, jucundus semper ac voluptuarius, vel melius nil aliud sit, quam quaedam, ut ut tenuissima, voluptas per sensitivas omnes corporis partes diffusa, - dulce quippe est sentire se vivere atque existere -, speciales tamen sensationes molestae, plus minusve, esse possunt.

(2) Quae de sensuum, per magnetismum, transpositione, indeque *clare-videntibus* somnambulis, vel nostra, heu parum hercle credula! aetate, jactantur, inter nugas et ineptias adnumeranda putamus. Ceterum, de statu corporis, uti ajunt, normali nos loquimur.

et *immediata*, ut vocant, *objecta:* ab iis omnino distinguenda, quae nonnisi *mediate*, - per consuetudinem scilicet vel experientiam quoquomodo acquisitam - , sensus objecta fiunt.

27. Propria et immediata tactus objecta sunt *soliditas* et *resistentia*, *figura*, *temperies*, et omnes generatim *tactiles* corporum qualitates. Tactus autem, si cum motu conjungatur, tres spatii dimensiones percipit, *longitudinem* nempe, *latitudinem* et *profunditatem*. — Immediata objecta visus sunt *colores*, *figura* et consequenter *extensio*, sed in *longum* tantummodo et *latum ;* aliquando etiam *motus*. — Auditu *sonos* immediate percipimus. — Olfactu *odores* sentimus. — *Sapores* gustu (1).

Hic tota uniuscujusque sensus vis circumscri-

---

(1) Proprie tamen loquendo, tactus vere ***sensus universalis*** dicendus est : utpotequi in omnibus aeque deprehenditur sensitivis corporis partibus; ***tactus***, inquit Cic , ***toto corpore aequaliter fusus est, ut omnes ictus, omnesque nimios et frigoris et caloris appulsus sentire possimus*** (De nat. deor.). Hunc autem in digitorum manus apicibus tantum consideravimus, quod hisce praesertim utimur in corporibus contrectandis, neque alibi utplurimum sensum hujusmodi advertere solemus , licet in aliis partibus profecto non desit, et in aliquibus fortasse multo etiam sit exquisitior.

Similiter et de quatuor aliis sensibus dicatur; qui nil aliud tandem sunt, quam tactus ipse. ***Omnes autem alii sensus***, ait S. Thomas, ***fundantur supra tactum***. Item a Delille (in poëmate ***L' Imagination***) tactus dicitur sensuum omnium princeps, artium arbiter, desideriorum dux, sensus rationis ....

« Ou plutôt tous les sens sont le toucher lui-même ».

Tunc enimvero quilibet ex hisce sensibus excitatur et quodammodo erumpit, quum aliqua reapse in eorum organis ab externo agente fit ***tactio***. Sic nervi optici tanguntur a luce ; — acusticos aëris vibrationes ; olfactorios odora corporum effluvia ; gustatorios sapidae particulae tangunt. Discrimen igitur inter tactum proprie dictum et ceteros sensus, in eo solum est, quod hi, quum determinata quadam ratione eorum organa tanguntur, quatuor nobis praebent phoenomenorum genera, ***colorem*** nempe, ***sonum***, ***odorem*** et ***saporem***, quae solus per se tactus nequit suppeditare. Haec insuper phoenomena, quemlibet ex his quatuor sensibus et unicuique respondens organum ab invicem distinguunt.

bitur. Quidquid est praeterea, ad quod hi sese fortassis extendere videntur, id judiciis tribuendum est, quae crebro a nobis, et quidem expeditissime, quin animadvertamus, fiunt, quum aliqua sensatione afficimur; quaeque objectis ipsis immediate perceptis saepenumero intermiscentur.

28. Quo sensatio exoriatur, opus est insuper (V. n. 25), quamdam inesse in impressione, ab externo agente in nervos facta, vim atque efficaciam. Quae nihilominus varia esse debet, pro varia organorum sensibilitate, qua diversa gaudent individua ; vel, in uno eodemque subjecto, pro diverso ejus corporis statu diversaque conditione.

29. At valde interim cavendum, ne, in extremum aliud prolapsi, arbitremur, datam sensationem haudquaquam expertos nos fuisse, eo solum quod illam non animadvertimus, nec illa propterea affectos nos fuisse conscii sumus. Etenim dubium non est, quin multae in nobis assidue sensationes insint, quas tamen non advertimus, propterea quod animi attentionem alio distractam habemus.

Quod vero de sensatione corporea dicimus, de quocumque alio interno facto , de quavis scilicet animi nostri modificatione , generatim intelligi debet. Aliud igitur est, factum aliquod in nobis *existere*, aliud vero illud attentione retinere, illiusque *conscios* nos fieri (V. n. 2). Quae animadversio maximi profecto in philosophia momenti est, neque unquam e memoria dimittenda.

30. Ex dictis sat manifesto liquet, *impressionem* ab externo agente in organis sensoriis factam, aliud esse ac *sensationem* qua extemplo anima afficitur : quae duo una simul confundunt materialistae. Impressio enim est quoddam factum phy-

sicum et extra-subjectivum ; quodque propterea sensibus externis percipi potest : est quaedam, ex. gr., partium compressio, vel distensio, vel contorsio..., quidam, uno verbo, motus, qui nervis imprimitur. Sensatio, contra, quid omnino simplex, penitus subjectiva atque observationem externam eludens.

Nostri igitur organi *mutatio* aliud est ac sensus. Quanquam profecto, hac posita mutatione, nos sentire oportet ; quandoquidem organum in eo omnino statu in quo est (V. n. 20), proindeque mutationes omnes, quae in illo quoquomodo fiunt, continenter sentimus.

31. Sensationis analysis. Quamvis sensatio quoddam sit factum simplex et *sui generis* unicum, quodque in aliud converti nequit, si nihilominus illam attente consideramus, bina quodammodo in ea elementa, seu binas partes invenire est, quae ipsam constituunt. Haec duo nimirum, ex accurata sensationis analysi, nobis exhibentur: 1º Peculiaris quaedam existit sensus fundamentalis modificatio in ea corporis parte, ubi impressio ab agente externo facta est ; quae modificatio voluptatem vel dolorem sibi semper habet adnexum; quin imo aliud non est, nisi voluptas vel dolor, quem in organo ipso corporeo sentimus, - sensationes quippe *indifferentes*, idest neque jucundas neque molestas, rejiciendas omnino putamus (1). 2º Agentem exteriorem, vel melius, ejus actionem seu vim sentimus, quae modo memoratam in organo modificationem gignit; vel aliter: *passionem* experimur, tamquam terminum *actionis* in organo factae ab externo agente. Illud enim quod est passio, respectu alicujus subjecti, respectu alterius est actio. Namque « actio et passio, uti Cartesius animadvertit, una eademque res sunt, quae duobus nominibus donatur, ob duo diversa subjecta, ad quae potest referri ».

(1) *Quisquis enim*, ait Tullius, *sentit quemadmodum sit affectus, eum necesse est aut in voluptate esse, aut in dolore* (De finib.).

32. Prius illud elementum, seu prima sensationis pars, *subjectiva* dicitur (quippe simplex modificatio subjecti sentientis, totaque in eo consistens); posterior autem, *extra-subjectiva* (quatenus ad aliquid exterius, seu *extra subjectum*, veluti ad suum terminum, refertur). Brevius tamen ac simplicius: illa nomen *sensationis* retinet; altera vero *perceptio sensitiva* nuncupatur: per hanc enim percipimus (ea profecto ratione qua potest sensus percipere) modos ac sensibiles qualitates corporum: *duritiem*, *colores*, *figuras*, *temperiem*, cetera. Haec porro sensationis *duplicitas* notatu dignissima est ; et valde interest alterum ab altero binos hosce sensus (*subjectivum* et *extra-subjectivum*) probe distinguere, licet contemporanei semper sint et adeo inseparabiles, ut unam poene rem efficere videantur (1).

(1) Haec verissima sunt, cujuscumque generis et naturae sit sensatio. Sic, dum laminam metallicam digitis premo, ipsam persentio corporis mei partem, in qua modificatio quaedam fit, plus minusve, jucunda vel molesta ; et una simul laminam ipsam, vel potius illius in organo actionem experior. Quod et de ceteris quatuor sensibus affirmare licet, qui, ut vidimus, ad tactum omnes tandem reducuntur: cum hoc tamen discrimine, quod in his (praeter elementum subjectivum et extra subjectivum, quod unice in tactus sensatione reperitur) quatuor illa phoenomena se produnt, quae dudum memoravimus: color scilicet, sonus, odor et sapor. Sic, quum aëris vibrationes aurem aliquatenus vellicant, ipse protinus organum, hac ratione immutatum, sentio (haec est *sensatio* proprie dicta); et uno eodemque tempore actionem sentio ab aëris vibrationibus in eo factam

Paucis: facta ab agente externo, in organo quopiam sensorio, congruente immutatione, nos una simul et organum ipsum immutatum sentimus, et externum agentem *sensu* percipimus. Hunc autem, - hactenus nobis incompertum et quasi delitescentem -, e latebris suis educere, ab aliis secernere, et nomine etiam donare licebit, quum *intellectu* insuper illum percipere nobis datum est; quemadmodum e mox dicendis patebit.

33. At quum principium sentiens, unum et simplex sit, quî fieri potest, quaeret fortasse quispiam, ut multiplices sensationes, non in uno et indivisibili puncto, sed in diversis corporis partibus experiatur? Sic odorem in naribus, saporem in lingua, dolorem in ea corporis parte, quae lancinata vel quoquomodo laesa fuerit, sentit, vel saltem sentire illi videtur. Quaeritur insuper, in quanam corporis parte principium sentiens, idest anima locata sit; seu quaenam, ut dicunt, sit animae sedes?

34. Hisce quaestionibus satisfacturi, ab postrema exordimur, ad quam solvendam plurimum adlaborarunt philosophi. In diversas tamen abierunt sententias, dum animae sedem constituerent: alii enim in sanguine, alii in corde, plerique tamen in cerebro posuerunt; licet, in qua

(*perceptio sensitiva*). At quum hujusmodi actio, una cum soni phaenomeno quod illi semper conjunctum est, utplurimum validior sit, quare organi mei sensus, fit, ut ad se facilius animi attentionem rapiat, si praesertim gratus, suavis et harmonicus sit sonus, quin mihi datum sit, languidum admodum organi sensum advertere. Attamen falso concluderem, me reapse organum nequaquam sentire. Re enim vera fac stridulum et argutum, vel validum nimis atque obstrepentem fieri sonum: nae statim aurem moleste affectam et excruciatam quodammodo sentio. — Quod autem de auditu animadvertimus, de visu quoque, olfactu et gustu dicendum est.

praecise hujus parte, nequaquam conveniant. Sunt, quibus sedes animae cerebellum videtur, aliis glandula pinealis, aliis corpus callosum, corpora aliis striata. Jamvero, si anima cerebro insidet, ibi profecto sensationes recipit. Horum itaque sententiâ, in cerebro quidem sentit anima, sed, experientiae et habitudinis vi, sensationem ad illam corporis partem refert, quae nonnisi sensationis occasio vel conditio est.

35. Sed falsam omnino hujusmodi esse doctrinam quis non videt? Primum enim, quid, quaeso, id sibi vult, animae locum et sedem inquirere? Haec facile quidem comprehenduntur, ubi de corpore sermo sit: nam, uti *De Oratore* habet Cicero, *corpus intelligi sine loco non potest;* nullo autem pacto, quum agitur de principio simplici et inextenso, quemadmodum est principium sentiens. Hanc vero quaestionem de animae sede, abs re omnino esse, ex his manifesto apparet quae superius de animantis natura et constitutione disseruimus.

Anima igitur non in hoc potius quam in illa corporis parte sita est; sed totum, ut ita dicam, corpus amplectitur; vitam in illud undique infundit; ubique vi et activitate sua -, *per contactum*, ut dicunt, *virtutis* -, praesto est (1); omnes illius partes simul et aequabiliter, sensu fundamentali, sentit: sensitivas nimirum immediate, insensitivas autem, quatenus illis adhaerescunt (2).

(1) Hoc sensu, nil vetat, cum Lucretio, animam toto corpore distractam dicere: *distractam nempe virtute* et efficientia, vel cum Cicerone: *Deus animum per totum corpus tetendit*.

(2) Nullomodo favet adversariis quod animadvertunt, ut in anima sensatio excitetur, liberam inter organum et cerebrum, per ner-

36. Ex quo etiam consequitur, sensationem, quae nil aliud est, quam sensus ipsius fundamentalis modificatio, in ea vere et immediate corporis parte sentiri, quae ab agente externo immutata est; non autem illuc per habitudinem transferri. Profecto nonne absona prorsus et a communi sensu aliena haec est propositio: anima ad diversas corporis partes sensationes suas refert atque transducit (1)?

---

vos, communicationem esse debere (V. n. 25); adeo ut impressiones in nervorum extremitatibus factae ad cerebrum ipsum transmittantur. Nam quamvis haec transmissio reapse fieret, non inde sequeretur, animam in cerebro sentire, suas deinceps sensationes ad varias corporis partes referre.

Quanquam id omnino hypotheticum nos arbitramur; nec minus hypothetica complura alia censemus, quae in medium adduci solent ad explicandum, quomodo impressiones hujusmodi tanta celeritate ad cerebrum usque per nervos trajiciantur. Sunt enim qui, ad hanc enodandam quaestionem, nervos cum musici instrumenti *chordis* probe tensis comparent, quae, apte perculsae, ab uno ad extremum alterum incredibili pernicitate vibrant. Alii ad *spiritus animales*, nempe *fluidum* quoddam, *nerveum* dictum, confugiunt, quod secus nervos existere opinantur; quodque, utpote maxima elasticitate praeditum, impressiones ab organo sensorio ad cerebrum per quam citissime transvehit. Nec desunt qui hoc phoenomenon *fluido electrico* tribuant. Haec porro omnia difficultatibus solvendis omnino inepta putamus. Quod igitur certissime hac de re statui posse videtur, hoc est: ad sensationem requiri, ut quaedam in sensitivis corporis partibus *unitas* sit atque *harmonia;* quae in hoc praesertim consistit, ut singula organa sensoria ab quodam principali organo pendeant, cum eoque intimum nexum et relationem habeant. Hujusmodi autem principale organum est *cerebrum;* quod hac de causa *commune organum sentiens* merito dicimus, quippe cerebrum opus est, ut sensatio quaelibet exoriatur. Hoc tamen improprie *sensorium commune* appellari consuevit, perinde atque cerebrum ipsum sentiat. Commune namque sensorium simplex esse oportet; atque omnino absurdum est, veluti organum corporeum hoc nobis effingere, cujusmodi nimirum est cerebrum.

(1) Sapienter itaque agemus, si, factis omnino insistentes, illud interea alta mente repositum semper habeamus, quod a magno Neutono dictitatum novimus: *hypotheses non fingo.* En porro quae accurata observatio apertissime nobis testatur: Animae sensus quoddam est factum omnino simplex; sensus hujusmodi sensitivas omnes corporis partes funditus una complectitur; in quoddam spatium sese naturaliter extendit: extensio nimirum (omni tamen figura carens) quidam est sensus ipsius modus; hic sensus varie immutatur atque modificatur, pro variis in corpore factis impressionibus; hae autem modificationes sunt sensationes acquisitae, quae in superficiem, plus minusve protensam et ipsae expanduntur, quaeque propterea ibi sentiuntur ab anima, ubi facta est impressio. Quod si factum hujuscemodi prorsus mirum est (nec mehercule nos inficiamur) ejus Auctorem admirari licet, non vero factum ipsum in dubitationem adducere, vel penitus denegare.

Haec interim clare ostendunt, quaenam, inter sensum fundamentalem et sensationem acquisitam, intercedat relatio. Ille nimirum est sensus vagus, indefinitus, in extensionem quamdam effusus, quae nullam nobis figuram aut determinatam formam exhibet; haec est quaedam sensus ejusmodi circumscriptio et limitatio. Sensus fundamentalis est aequabilis, uniformis, continuus; sensatio contra, mutabilis, varia, grata per vices vel molesta. Varietas atque mobilitas sensationis id efficit, ut haec facile possit animadverti, dum totam, pene dixerim, animi nostri attentionem ad se allicit atque trahit; sensus fundamentalis, ex adverso, aegre et non sine magna animi intentione, deprehendi a nobis potest. Unde fit, ut a nonnullis omnino denegetur. Sed complura, eaque firmissima argumenta (praeter ea quae diximus de intima animantis natura et constitutione) ejus existentiam luculenter evincunt; quae tamen hic producere non vacat.

Art. II. — *De imaginatione sensitiva seu phantasia.*

37. Homo, quatenus animal, praeter facultatem exterius sentiendi actualem atque praesentem corporum actionem, - unde peculiares sensationes oriuntur -, eam insuper habet vim, qua, corporeis agentibus semotis, sensationes jam olim habitas denuo interius excitare potest. Hujusmodi facultas *imaginatio sensitiva* vel *phantasia* nominatur; sensationes autem hac ratione instauratae, *imagines*, vel *phantasmata*, vel *species sensibiles* dicuntur.

Phantasia igitur definiri potest « vis, qua rerum sensibilium quibus afficimur, phantasmata retinemus, simul consociamus; eaque, datis in adjunctis, iterum in nobis suscitantur et reviviscunt; novisque interdum ac variis modis disposita sese objiciunt ».

38. Ex dictis patet, imagines seu phantasmata nil aliud esse, quam sensationes externas, interius denuo excitatas. Verum quidem est, sensationes,

per vim phantasticam renovatas, ab his quas excitat actualis corporum externorum impulsio, vi et alacritate, generatim distingui. Aliquando nihilominus validas adeo ac vividas esse constat, ut ab illis secerni vix aut ne vix quidem possint; quemadmodum in delirio, exempli causa, et mania contingit, nec non in somniis et somnambulismo (1).

Hac tamen de re notatu dignissimum est, animam sensationes tantummodo jam olim habitas excitare posse, nequaquam vero novas, - easque probe definitas atque distinctas -, sibi effingere; quamvis profecto imaginum compositio et contextus, novus saepenumero, aliquando etiam insolitus omnino atque abnormis sit (2).

39. Quaerenti porro, quî fiat, ut anima sensationes praeteritas quodammodo exsuscitet; rerum videlicet, quibus jam alias fuit affecta, imagines renovet, sic respondemus: Quo sensatio in anima exoriatur, opus est (V. n. 25), ut exterior agens in nerveis fibrillis idest sensitiva substantia, determinatum quemdam tremorem seu motum inducat. Jamvero ponamus, vim animam habere,

(1) Mirum profecto est, actuosissimam in somno phantasiam se prodere, dum corporis vires deficiunt, et externi sensus obmutescunt. Magnus equidem philosophorum conjecturis hic patet campus, ad hoc naturae animalis phoenomenon explicandum. Quae explicatio requirit, ut ratio afferatur, cur imagines, modo plus modo minus, ab sensationibus differant; cur quandoque, ut diximus, tantam cum his similitudinem prae se ferant, ut dignosci nequeat, praesens, necne, sit objectum; cur tandem anima sensationes jam olim habitas excitare solummodo possit, nequaquam vero novas affatim componere. Quae tamen omnia, utpote ab proposito nostro aliena, nobis innuisse sat est.

(2) *Principium phantasiae*, ait S. Thomas, *est a sensu secundum actum. Non enim possumus imaginari quae nullomodo sentimus vel secundum totum, vel secundum partem: sicut caecus natus non potest imaginari colorem.*

motum ac tremorem illi omnino similem in nervis ciendi, quem hi alias ab externo corpore passi sunt: en sensationem instauratam. Hujuscemodi autem vi animam reipsa pollere, quis ambigere possit, si animadvertat, hanc cum corpore arctissimo nexu copulari, cum eoque unicum subjectum efficere?

CAPUT II.

De activis potentiis animalibus, seu instinctu.

40. Animantis essentia in sensu corporeo consistit (V. n. 12). Sensus autem est factum mere passivum: anima nempe, dum sensu aliquo afficitur, passiva est. Verum enimvero numquam sensus erumperet, ni principium sentiens una simul esset activum, suaque activitate in illo gignendo interesset. Hujusmodi « activitas, per quam principium sentiens ad sensum excitandum, una cum corpore concurrit », *instinctus vitalis* dicitur.

41. Sed alia praeterea in anima est activa potentia: qua videlicet ipsa agit, postquam sensus jam existit, a sensu ipso ad agendum excitata; atque *instinctus sensualis*, vel *appetitus sensitivus* etiam appellatur. Qui definiri potest « vis quaedam interna, qua animal, post jucundae vel molestae sensationis stimulum, ad quasdam operationes necessario impellitur, nulla praecedente motivi vel finis cujuscumque cognitione ». Talis, ex. gr., est instinctus, quo animal cibum arripit, vel ingrata et molesta devitat.

Hisce autem maxime characteribus distinguitur instinctus animalis: Originem ducit a corpore;

finitam habet naturam, utpotequi non ultra bonorum physicorum perceptionem progreditur; ejus actio est intermittens, per intervalla scilicet plus minusve longa solum operatur. Quare illius finis est naturae animalis conservatio et explicatio. Per hujusmodi scilicet instinctum, necessario et quin sciat, eo animal tendit, ut vitam suam conservet eamque evolvat, dum corpoream voluptatem appetit, vel corporeum refugit dolorem.

42. Jamvero animal instinctu pollere, nemini dubium esse potest. Non bruta autem solum animantia, verum etiam hominem instinctu physico duci, ille solum negare potest, qui, falsis opinionibus praeoccupatus, in hominis naturae investigatione, qua par est sollertia et animi simplicitate nequaquam progreditur. Haud inficiamur, hujuscemodi instinctum, prout ratio explicatur, huic locum pedetentim cedere, eique dominatum quem hactenus in hominem habuit, ut ita dicam, relinquere. Nequis tamen putet, nullum amplius, in homine adulto instinctus vestigium reperiri; quandoquidem non satis hominis incolumitati prospexisset natura, si eum rationi regendum prorsus dimisisset. In iis quippe, ut alia praeteream, rerum adjunctis saepissime versatur, in quibus sera omnino illi esset ac supervacanea rationis vis, ni instinctus a sensu percitus extemplo adesset, eique suppetias ferret (1).

Quanquam praetereundum non est, instinctum, aeque ac ceteras hominis potentias, ab pluribus causis et circumstantiis in suis operationibus pendere, ab iisque modificari; hinc novas formas induere, et interdum etiam valde perverti posse.

(1) Huc spectat quod habet Firenzuola in elegantissima fabula, quae *L'asino d'oro* inscribitur: « ..... l'ardor grande non chiedeva indugio, e aveva bisogno d'aiuto e non di consiglio ».

43. Operationes, quae vi instinctus fiunt, omnino *spontaneae* sunt: hoc quippe nomine operationes omnes donantur, quae a vi agentis propria eique insita, licet necessario, proveniunt (1). Quamobrem a ceteris actionibus distinguuntur, quarum causa non est vis interna et animantis propria, sed principium aliquod exterius; quaeque idcirco operationes *physicae* vel *mechanicae* appellari consueverunt.

Inter operationes igitur instinctivas, omnes enumerari debent actus et functiones vitae animalis; cujusmodi sunt, vocis emissio, ciborum sumptio; brevi: motus omnes, quos animal in corpore sponte sua producit.

44. Cujuslibet porro, cum corporis tum ejus membrorum motus, non secus ac sensationis, ministri sunt nervi; quos hac de causa, ut a sensoriis distinguantur, *motores* vocant (V. n. 22).

Motus autem in aliqua corporis parte existit per contractionem quamdam, quam anima, insita sua vi, in nervos inducit, qui ad partem illam diriguntur. Haec contractio ad musculos defertur, per quos distribuuntur nervi cerebrales; qui tandem musculi in illa corporis parte motum gignunt. Diverso autem, aeque ac musculi, donantur nomine, pro diversis motibus, ad quos ciendos a natura sunt comparati.

45. Hujusmodi « vis, qua animal pollet, corpus totum vel singula ejus membra sponte excitandi, atque de loco ad locum transferendi », *locomotrix*

(1) *Spontaneum*, ex Aristotele, est « cujus principium est in agente»

nominatur. Quae quanti momenti sit, nemo non videt; facultati enim, qua animal impressiones in suo corpore, a causis sive internis sive externis factas sentit, adsociari alteram oportebat, qua scilicet posset motus quosdam sua sponte exerere. Si haec fuisset denegata, prior illa nullius ferme usus, quin etiam saepenumero incommodi fuisset.

46. Ad instinctum, ceu totidem ejus actus, pertinent *affectiones animales*, ut puta *hilaritas*, *timor*, *ira* etc.; quae omnes tandem ad *inclinationes* vel *aversiones* reducuntur: id enim instinctus animalis proprium est, ut in voluptatem tendat, et a dolore refugiat (V. n. 41).

Si affectiones intra suos terminos contineantur, nedum animanti noceant, ejus potius conservationem juvant. At si modum a natura praefinitum excedant, tunc animam plus aequo commovent, ipsasque corporis functiones perturbant. Exemplo sint *consternatio*, *furor* et similia.

47. Huc referri etiam debent *habitus animales*. Nomine *habitus* intelligitur « quaedam ad agendum facilitas ac propensio, per repetitos actus acquisita ». Experientia quippe constat, motus spontaneos, ubi saepius iterentur, facilius postmodum atque expeditius exerceri. Pro diversa autem animantis indole ac conditione, diversi quoque in eo sunt habitus: cujusmodi sunt habitus ad *cantum*, ad *volatum*, ad *cursum* etc.

Ex his omnibus clarior atque accuratior erui potest animantis definitio. *Animal* nimirum est « subjectum sensitivum, et instinctivum, idest operans secundum leges animalitatis (1) ».

(1) Strictim a Rosminio *animal* definitur « un essere individuo che sentendo opera » (*Antropologia* ecc.).

PARS ALTERA

DE NATURA HOMINIS SPIRITUALI

48. Spiritualis hominis natura passivis et activis potentiis constat (V. n. 7). *Passivae* sunt, quae ad cognitiones acquirendas potissimum faciunt; *activae* autem illae dicuntur, unde operationes existunt, quas homo vel sponte vel libere, post acquisitas cognitiones, exsequitur.

Tres porro, uti jam monuimus, sunt spirituales hominis passivae potentiae: intellectus, ratio et sensus (spiritualis); quibus totidem activae respondent: voluntas, libertas et instinctus (spiritualis seu humanus). Voluntas autem et libertas dicuntur etiam potentiae activae *morales*, quod essentialem habeant cum lege morali relationem; ex quo fit, ut earum actus moraliter boni vel mali sint: hae siquidem moralem hominis naturam constituunt; illae vero intellectualem.

49. De potentiis intellectualibus hic praesertim agendum nobis est. Nec tamen licet morales omnino praetermittere; id quippe vetat indivisibilis hominis natura, perfecta scilicet unitas subjecti una simul intellectivi ac volitivi. Brevissimi tamen in his erimus, ne Ethicae provinciam intempestive ingredi videamur: mundus enim moralis a libertatis mundo proprie constituitur.

SECTIO PRIMA

DE PASSIVIS SPIRITUALIBUS HOMINIS POTENTIIS

50. Si homo physica tantum sensibilitate polleret, parum mehercule a caeteris animantibus differret, quippe quae corporeo etiam sensu gaudent: animal enim dicitur, quod naturam sensitivam habet (V. n. 12). Sed homo intelligentia insuper seu cognoscendi facultate, et spirituali proinde quodam sensu, quibus belluae omnino carent, praeditus est.

De sensu spirituali mox agemus; in primis namque de intelligentia (a qua sensus ille oritur) dicendum est. *Intelligentiae* autem nomine venit « facultas, qua homo res in seipsis, in sua nimirum et propria, qua gaudent, existentia concipit; idest, utpote *sunt*, non quatenus eas *sentit* » (1). Atque in *intellectum* et *rationem* dividitur.

CAPUT I.

De intellectu.

51. Quidquid ideae vel cognitionis nomine intelligendum sit, et quacumque demum ratione ideas nos acquirere putemus -, quod modo quaerendum nobis non est -, certissime tamen constat, hominem quemvis, dum omnino non hebetem et stupidum, multas easque varias res cogitatione sua complecti, multiplici nempe rerum cognitione

(1) *Intelligentia*, inquit Cicero, *est, per quam animus ea perspicit quae sunt* (De invent.).

gaudere. Quamvis autem cognitiones et ideae quas homines possident, quam plurimum penes ipsos differant qualitate, numero, perspicuitate, ordine, et maxima inter eos vigeat opinionum varietas, unde vulgatum illud: *quot capita, tot sententiae;* quaedam nihilominus, ut nemo unus ignorat, cogitandi rationes, ideae quaedam omnibus indiscriminatim hominibus communes deprehenduntur. Quod satis ostendit, intellectualem hominis naturam in omnibus radicitus eamdem esse; quasdam videlicet fixas atque fundamentales esse leges, quibus humana cogitatio obtemperat. Secus enim quomodo homines hominum sensa et cogitata comprehendere animo possent? Quî simul tam arcto societatis vinculo obstringi? Quomodo explicari posset analogia, quae in omnium linguarum constructione se prodit; quae profecto tamquam humanae cogitationis imagines, et populorum sapientiae depositum habentur (1)?

52. Re enimvera, nonnullae sunt propositiones adeo per se perspicuae et tanta fulgentes evidentia, ut statim, cognitis terminis quibus exprimi solent, ab omnibus intelligantur, atque a nemine sanae mentis rejici aut in dubitationem adduci queant. Hae porro propositiones, *axiomata, notiones communes, veritates per se evidentes, natu-*

(1) *Nihil est*, ad rem Cicero, *unum uni tam simile, tam par, quam omnes inter nosmetipsos sumus. Quod si depravatio consuetudinum, si opinionum varietas non imbecillitatem animorum torqueret et flecteret quocumque coepisset, sui nemo ipse tam similis esset, quam omnes sunt omnium. Itaque quaecumque est hominis definitio, una in omnes valet. Quod argumenti satis est, nullam dissimilitudinem esse in genere. Quae si esset, non una omnes definitio contineret. Etenim ratio, qua una praestamus belluis, per quam conjectura valemus, argumentamur, refellimus, disserimus, conficimus aliquid, concludimus, certe est communis; doctrina differens, discendi quidem facultas par* (De finib.).

rae judicia, *judicia communibus hominum sensibus infixa*, appellantur. Nulla autem est disciplina vel scientia, quae aliquibus ex his propositionibus seu veritatibus universalibus, veluti suo fundamento, non insistat; quaeque propterea scientiae illius principia dicenda sunt: principia nimirum, quibus innituntur ratiocinia, quae circa scientiam illam versantur (1).

53. *Principium*, ex Aristotele, est « primum unde aliquid est, aut fit, aut cognoscitur ». Hinc celebris principiorum divisio in principia *essendi*, *fiendi* (quae, communi nomine, *ontologica* nuncupari etiam possunt), et *cognoscendi* (idest principia *logica*).

De hisce postremis nos tantum hic loquimur: quorum alia, *organica* seu *formalia* ratiocinii principia vocantur (de quibus mox in art. *De ratiocinio*); alia vero dicuntur *fundamentalia*.

54. Jam innuimus (n. 52), scientiam quamlibet fundamentali alicui principio inniti: nil quippe aliud est scientia, quam « systema veritatum ab uno principio pendentium »; quin potius, ex V. Giobertio, « principii explicatio (2) ». Quare fundamentalia sua principia habet Mathesis; sua sunt Ethicae, Politicae, Physicae etc.

55. Quotquot nihilominus haec sunt scientiarum

---

(1) Hujusmodi, ex. gr., sunt in *Mathesi*: « Totum est majus qualibet sui parte »; et: « Omnes partes simul sumptae totum adaequant». « Binae quantitates, uni eidemque quantitati aequales, sunt aequales inter se ». — In *Ethica naturali*: « Veritas est sequenda ». « Jus suum cuique tribuendum », etc. — In *Politica*: « Qui populis praesunt, his publica utilitas cordi esse debet, eaque legitimis atque honestis rationibus promovenda ».... Nonne haec omnia luce meridiana clariora sunt? Quis hujuscemodi propositiones vix auditas non approbat; illum autem penitus desipere non arbitratur, qui fortasse aliter sentiat?

(2) « Che cosa è la scienza, se non l'esplicazione di un principio »?

principia, ad quatuor suprema tandem reducuntur; quae totius humanae scientiae fundamentum ac basim constituunt, et a quibus, tamquam *a rationibus seminalibus*, uti perbelle ait S. Thomas, cetera dimanant; quaeque idcirco *prima* rationis vel humani ratiocinii *principia* dicuntur. Haec autem sunt:

1° Principium *cognitionis* vel *identitatis;* quod ita exprimitur: « Id quod est, est ».

2° Principium *contradictionis*: « Nequit idem simul esse et non esse ».

3° Principium *substantiae*: « Accidens vel modus quilibet alicui substantiae inhaeret ».

4° Principium *causae* vel *causalitatis:* « Nullus est effectus sine causa ».

56. Profecto quisquis seipsum concutiat, nullo negotio deprehendet, se aliquibus ex hisce principiis indesinenter uti (licet ut plurimum minime advertat: naturae enim quodam impulsu agit), quo sese in communibus vitae negotiis dirigat, atque ratiocinetur (1); neque ullum temporis punctum assignari posse, quo haec fortasse prin-

---

(1) Pone, si placet, eximium aliquod ac praeclarum opus rudi atque imperito artifici, tamquam auctori, ab quopiam attribui. Quisquis vel de plebe statim ac firmiter negat; curnam? quia illum tanto operi imparem agnoscit: scit enim quamlibet causam effectui suo proportionalem esse oportere, neque effectum sua causa majorem et praestantiorem esse posse. alioquin esset effectus sine causa, quod omnino absurdum est: id namque fert rationalis naturae lex, ut effectus sine causa neque esse neque concipi possit. En quomodo causalitatis principium totam hanc, implicitam vel explicitam, ratiocinationum seriem regat, quae ab vulgari illo homine fit; quin se fortasse ratiocinari sciat, atque solidissimis in ratiocinando, non secus ac quemlibet artis logicae peritissimum, principiis inniti. Hic autem, quem exempli gratia innuimus, eique similes casus, communem hominum agendi rationem vel leviter consideranti passim occurrunt.

cipia illius mentem primum subirent, eademque in suos usus convertere coepisset (1).

Prima itaque rationis principia, nec non proxima et obvia consectaria, quae inde possunt a vulgari quovis homine deduci, id efficiunt, quod *sensus communis* appellari consuevit. Qui idcirco definiri potest « commune illud ratiocinium, quod homo quilibet per seipsum absque ullo negotio potest conficere ». Hinc ubi liceat adversarium ad communem sensum provocare, nil sane ad veritatem demonstrandam, eidemque reluctantem (modo adhuc sapiat) convincendum, magis idoneum esse potest. Nam quae sensui communi adversantur, contra rationem ipsam esse jure dicuntur. Cave tamen, ne ea quae *contra*, cum iis confundas, quae *supra* rationem sunt (2).

57. Quod si rationalium principiorum ope homo intelligit atque ratiocinatur, per haec nimirum *intelligens* est, jam inde patet, quid *intellectus* nomine veniat; qui definiri poterit « humani spiritus facultas, qua prima rationis principia intuetur ac concipit ».

58. At quemadmodum Mechanici innumeras propemodum, quarum nonnullas implicatissimas,

(1) Hinc S. Bonaventura, de hisce principiis loquens, animadvertit, mentem nunquam posse sic eorum oblivisci,.... *quin ea audita approbet et eis assentiat; non tamquam de novo percipiat, sed tamquam sibi innata et familiaria recognoscat* (Itinerarium etc.).

(2) *Contra* rationem seu absurdum, illud est quod contradictionem involvit: absurda scilicet est propositio, quae esse non potest cogitationis objectum; ex. gr., « Angulus rectus obtuso major ». *Supra* rationem vero (*misterioso*) quod comprehendi et explicari nequit; uti, « Tres in uno Deo personae ». Frustra autem sophistae haec duo simul miscere student. Quod enim est absurdum, prorsus rejiciendum est; illud ex adverso, quod mysterio obvolvitur, tantum abest ut repelli debeat, ut saepenumero admittere necessum sit, ni in contradictoria incidere velimus. Hujusmodi est propositio: « Deus est infinitus ».

machinas ad sex simpliciter, has autem omnes ad unam tantum, idest vectem, reducunt; sic, postquam cuncta rationis principia in quatuor nuper memoratis quadantenus contineri animadvertimus, - quae proinde prima vel fundamentalia vocantur -, hoc etiam facile potest evinci, quatuor haec ad unum, idque omnium supremum, principium reduci. Quod enimvero obtinebimus, si principium causae et substantiae in contradictionis principio, hoc autem in principio cognitionis includi demonstrabimus. Sed aliqua in primis de causa et substantia praemittenda sunt.

59. *Causa* vocatur « quidquid mutationem gignit, vel actionem aliquam exerit »; ipsa vero mutatio vel actio, dicitur *effectus*. Haec causa ea est, quam *efficientem* appellant: causa nimirum proprie dicta. Quae tamen multiplex distinguitur: *intelligens* vel *intelligentia carens* (1); *necessaria* vel *libera*; *proxima* vel *remota*; *prima* vel *secunda*. Causa prima dicitur etiam *creatrix* (cujusmodi est solus Deus); causae vero secundae nonnisi *modificantes* esse possunt (2).

(1) Vera tamen causa nonnisi intelligens esse potest: « quippe quae, uti ait Degerandus, in seipsa suae actionis principium habet ».

(2) Circa causam primam et secundam juvat animadvertere, Deum unum causam *primam* esse, omnes autem vires creatas nonnisi causas *secundas*: quanquam vere proprieque causae dicendae sunt. Hinc errant Pelagiani, aeque ac Malebranchius; namque illi hominem, operum suorum primam atque independentem causam esse volunt; intereadum Malebranchius docet, Deum, non modo primam, sed unicam esse causam, creaturas vero *causas occasionales* tantummodo, seu *occasiones*, quibus ad agendum prima causa permoveatur. Sed de hac Malebranchii sententia iterum sermo erit in Metaphysica.

Quod vero ad causam necessariam et liberam attinet, notandum est, *necessarium* nunc *libero*, nunc *contingenti* opponi. Sic Deus una dicitur Ens necessarium, et causa libera; interim vero vires materiales sunt causae necessariae, et entia contingentia. De necessario, quod contingenti opponitur, in Metaphysica dicemus; de necessario autem, quod libero oppositum est, proprie agit Philosophia moralis.

60. A veritate igitur longe aberrant David Humius et Stuart Mill. Quorum ille docet, causae et effectus nomine nil aliud intelligi, quam duo, quae ratione quadam et ordine sibi succedunt; hic autem *causam* definit « phoenomenorum complexum, quo adveniente, aliud aliquod phoenomenon initium vel ortum habet (1)».

In causarum tamen numerum referri etiam solent *materialis*, *instrumentalis*, *formalis*, *exemplaris*, *finalis*, *occasionalis*. Hae namque omnes, licet diverso, aliquo tamen modo in effectus productionem concurrunt; aliquam scilicet habent *efficientiam*, a qua subsistentia rei pendet (2).

61. At cavendum est, ne *causam* alicujus rei cum ejusdem *ratione* (*il perchè*) confundamus. Causa ad ordinem *realem* sive essendi; ratio vero ad *idealem* seu cognoscendi ordinem pertinet.

Quare duo inter se distincta principia: « Nil fit sine causa »; et « Nil fit sine ratione sufficienti». Prius illud est principium causae; posterius vero, principium *rationis sufficientis* appellant. Ratio porro sufficiens dicitur id, ex quo intelligitur, cur res sit et talis sit; vel etiam motivus volitionis, quae in actionem et finem fertur. Hujusmodi autem motivus seu ratio sufficiens vel in re vel in causa ipsa esse potest (3).

62. *Substantia* dicitur « id quod, respectu ha-

(1) Non ita sane communis hominum sensus; cujus germano interpres est Cicero, quum ait: *Causa ea est, quae id efficit cujus est causa*... *Non sic causa intelligi debet, ut quod cuique antecedat, id ei causa sit, sed quod cuique efficienter antecedat* (De Fato).

(2) Ad hanc rem videsis Senecam, in *Epist.* LXV.

(3) *Causam a ratione sufficienti* probe distinctam invenies in *Principiis Philosophiae* etc., a Thoma Calusio exaratis; quae ego ipse, vel ab anno 1840, italice verti, et A. Rosminius doctissimis notis illustravit.

bito ad accidentia, in se et per se subsistit »; vel clarius etiam: « illud, quod primo mente concipere possumus, quin necesse sit rem ab eo diversam cogitare ». Vocatur autem *accidens*, « quod existit per aliud et in alio »: entitas nimirum, quae nonnisi in alia entitate (haec autem est substantia) concipi potest, per quam subsistit. Sic *flos* est substantia; *color*, *odor* etc., totidem ejus accidentia, vel, ut etiam appellant, modi, qualitates vel attributa (1).

Vide tamen, ne ens *per se* existens pro ente *a se* intelligas. Ens quippe *a se* dicitur, quod in seipso habet existentiae suae rationem, idest naturae suae vi atque necessitate existit; a nullo igitur alio ente pendens, aeternum, absolutum, infinitum. Quapropter unus Deus est ens *per se* et *a se;* omnes contra substantiae creatae nonnisi entia *per se* dicuntur, et una simul *ab alio*, nempe a Deo, a quo condita sunt. Quae duo una miscens Spinoza, totus in pantheismum ruit; quemadmodum in Metaphysica opportunius dicemus.

63. Vidimus, quaenam relatio et differentia sit inter substantiam et accidens. Huic tamen verbo (*accidens*) duas res subjiciunt logici: hoc nempe, nunc ad substantiam, ut modo diximus, nunc autem ad essentiam refertur, quae profecto cum illa confundenda non est. Rei enim alicujus *essentia*

(1) Hinc voces *modus*, *accidens*, *attributum*, *qualitas* promiscue adhibentur ad id significandum, quod substantiam afficit modificatque. Discrimen nihilominus, neque immerito, inter haec ponit Cartesius, ubi ait: *Per modos plane idem intelligimus quod alibi per attributa vel qualitates. Sed cum consideramus substantiam ab illis affici vel variari, vocamus modos; cum generalius spectamus tantum ea substantiae inesse, vocamus attributa. Ideoque in Deo non proprie modos aut qualitates, sed attributa tantum dicimus esse* (Principia Philos. etc.).

illud est, quod rem ipsam constituit (*principium constitutivum*), seu etiam « id quod in idea, vel in definitione illius rei comprehenditur ». *Substantia* vero est « actus, quo ipsa rei essentia subsistit ». Essentia ad *idealem;* substantia, contra, ad *realem* seu rerum existentium ordinem spectat (1). Realitas est *substantia;* idea est *essentia*. Substantiae omnes, si Deum excipias, *creatae* ac finitae sunt; rerum essentiae, ex contrario, *aeternae* atque infinitae. Ex quo magis magisque patet inter substantiam et accidentia discrimen: namque accidentia non sunt actus, quo essentia subsistit, sed potius actus ipsius terminus quidam et effectus (2).

---

(1) Animadvertendum tamen est, verbum *existentia* ambiguae significationis esse. Si nominis etymon spectetur, *existere*, vel (ut saepius Latini scribunt) *exsistere*, ab *ex* et *sistere* dictum est; atque aliquid significat, quod *se prodit*, *apparet*, *exit*. Ex quo fit, ut existentia non entibus solum *realibus*. sed et *idealibus* tribui possit. Quapropter, ut omnis dubitatio tollatur, quum de existentia reali sermo est, hanc potius *subsistentiam*, quam *existentiam*, appellamus: quo postremo vocabulo existentia quaecumque, cum realis, tum idealis seu possibilis vel melius existentia *in genere* exprimitur. Qua de re consuli possunt, quae paullo ante memoravimus, *Principia Philosophiae* Thomae Calusii.

(2) Substantia nuncupatur etiam aliquando subjectum (idem quippe hisce vocabulis etymon est). Vox tamen *subjectum* duplici potissimum significatione gaudet: modo enim *accidenti*, modo *objecto* opponitur. Primo in casu subjectum est principium regens accidentia: in quo nimirum et per quod accidentia subsistunt. Hoc sensu subjectum res omnes non solum, etiam insensitivas, sed entia quoque mere idealia, per quamdam translationem, complectitur. Sic orationis, ex. gr., poëmatis, dramatis, scientiae alicujus argumentum, ejusdem subjectum dicitur. In altero vero casu haec vox nonnisi ad principium sentiens extenditur, ad principium scilicet, quod in seipso suum habet existendi modum (modus quippe existendi entium insensibilium alius omnino est atque sensibilium); et definiri potest « id, quod principium actionis est, vel actionem in se recipit » (V. n. 4); vel etiam: « individuum sentiens, quatenus in se continet principium activum supremum ». Unde distinctio inter subjectum intellectivum, subjectum humanum et personam. *Subjectum intellectivum* est « subjectum, quod ideas, vel simplicius, ens ideale intuetur ». *Subjectum humanum* est « subjectum, quod una simul principium est animalitatis et intel-

Jamvero illud, quod ab rei essentia promanat ab eaque est inseparabile, ejusdem *proprietas* dicitur; quod autem rei ipsi quidem inhaeret, sine quo nihilominus haec esse potest, *accidens* nominatur. Sic *ratio* ad hominis essentiam pertinet; *ratiocinari*, est hominis proprietas (facultas); *recte* autem *ratiocinari*, accidens.

64. Hisce praejactis, videndum, quomodo principium causae et substantiae ad principium contradictionis; hoc vero ad simplex cognitionis principium tandem reducatur.

Et primo, quod ad principium causae attinet, sic enuntiari hoc etiam potest: « Eventus quilibet habet causam, a qua ortum duxit »; vel: « Nequit eventus absque causa cogitari, a qua productus sit »; quod huic propositioni omnino aequivalet: « Conceptus alicujus eventus qui causa careat contradictorium est ». Quae postrema propositio simplici hoc ratiocinio demonstrari potest: Absque contradictione dici nequit, illud operari quod non existit: - hoc per se evidentissimum est, neque ulla indiget demonstratione. Sed qui eventum sine causa ponit, illud operari affirmat quod non existit: - quum enim eventus sit mutatio quaedam

---

ligentiae »; vel, quemadmodum alias definimus (n. 7) « subjectum animale, intellectivum et volitivum ». *Persona* est « subjectum intellectivum, quatenus continet principium activum supremum ». Subjecto, hoc sensu accepto, opponitur *objectum*. Sic humana mens *subjectum* cogitans appellatur; res autem, quam mens ipsa intuetur atque considerat, cogitationis *objectum*.

Hinc quoque distinctio inter ordinem *subjectivum* et *objectivum*. *Sensus*, animi nostri *volitiones* ac *determinationes*, uno verbo realitates omnes ad priorem spectant; *veritas*, *lex* et *ideae* generatim ad posteriorem. Quae distinctio quanti momenti sit, postmodum videbimus; et magis etiam in Ethica patebit. Ubi enim maximum, quod intercedit, discrimen inter sensum et ideam, inter bonum subjectivum et objectivum, de medio tollatur, jam de scientia morali et tota philosophia actum est.

sive operatio, operatio esset sine operante, idest operaretur quod non existit. Ergo eventus sine causa est prorsus contradictorium.

Eamdem autem ratiocinationem principio quoque substantiae accommodari posse, quisque facile intelligit. Nam inter accidens et effectum hoc solum interest, quod *accidens* concipitur, quatenus in ipsa omnino sistit substantia et cum ea quodammodo confunditur; interea dum *effectus* tamquam ab ea distinctus consideratur. Caeterum, essentiâ inter se minime differunt. — Principium igitur causae et substantiae a principio contradictionis directe et proxime dimanant (1).

65. Atqui principium contradictionis in cognitionis principium omnino convertitur. Etenim principium contradictionis hanc quoque formam induit: « Quod est, nequit non esse » ; vel hanc aliam: « Nequit una simul ens cogitari et non ens » ; - quod necessitatem ipsam logicam seu mentalem exprimit. Sed hoc postremum a cognitionis principio manifestissime fluit; quod ita efferri etiam potest: « Objectum cogitationis est ens ». Principium igitur cognitionis, principiorum omnium principium, lex naturae intelligentis, intelligentiae ipsius essentia dicendum est.

Quare *intellectus* vocari potest simplicius, « humani spiritus facultas, qua cognitionis principium videt ac concipit ».

---

(1) Quod jam in *Portio* seu *De virtute*, animadvertit Torquatus Tassus, complura videlicet esse principia, « che non possono essere provati, ma sono noti per sè stessi, i quali tutti si riducono ad un certissimo e primo principio, col quale ciascun altro può essere provato, e questo è che l'affermazione o la negazione sia vera in tutte le cose »: hac quippe dicendi formula veteres utebantur ad exprimendum principium contradictionis, *nequit idem simul esse et non esse*.

66. Quod si modo quaerimus, quid generatim sint principia rationalia, nil aliud haec esse deprehendimus, quam totidem ideas applicatas, quibus in ratiocinando utimur. Harum autem idearum applicatio veluti judicium concipi potest, et sub forma propositionis exprimi. Haec deinceps propositio (seu principium) fit norma aliorum judiciorum, quae, utpote minus generalia, in priore illo (generalissimo) continentur, ab eoque per ratiocinium deducuntur (1).

Sic idea *justitiae*, ex. gr., ubi applicetur atque in propositionis formam redigatur, fit principium scientiae moralis, et moralium judiciorum omnium regula. Item, idea *pulcritudinis*, principium aestheticae et callologiae; etc.

67. Ex hoc manifesto liquet, principium cognitionis, aliud tandem non esse, quam ideam entis applicatam, et sub forma hujusce propositionis enuntiatam: *Quod est, est*.

Clarius itaque *intellectus* definiri potest « actus, quo humana mens videt id quod est »; quo nimirum « ideam entis, seu ens ideale intuetur ». Vel brevius, est « intuitio entis »; juxta illud S. Thomae: *Objectum intellectus est ens universale* (2).

---

(1) Huc illud spectat S. Thomae: *Intellectus accipit cognitionem de rebus, mensurando eas quasi ad sua principia.*

(2) Quatenus igitur universalem ideam entis, seu ens in universum intuetur, eatenus homo cognoscendi facultate praeditus est: intellectu scilicet, sive mente pollere dicitur; unde illud scholarum solemne: *Ens, eo ipso quod intelligitur a mente, dat illi et intelligere et esse*. Et recte quidem: quidquid enim concipimus est *ens*, vel modus seu *determinatio* entis; nec quidpiam aliud nisi ens nobis concipere datum est: *Unumquodque autem*, ait S. Thomas, *in quantum habet de esse, in tantum est cognoscibile*. Brevi igitur: si homo cogitat, aliquid cogitat, - aliquid autem est ens; si non cogitat ens, nil omnino cogitat, nil intelligit (namque, praeter ens, est nihil). Ens igitur (universale et indeterminatum) illud est, quod, dum sese homini prodit, intellectum illi tribuit, et quodammodo in eo procreat.

68. Nonnisi facta hactenus in medium attulimus, quae sincera suimet observatio unicuique testatur. Quae itaque de humani intellectus natura diximus, nemo est, qui in dubitationem adducere queat (facta enim satis per se ipsa confirmata sunt, neque ulla egent demonstratione) quidquid aliunde de humanarum cognitionum origine opinetur; neque ei fortasse systema illud arriserit, quod prae caeteris hac de re nobis amplectendum putavimus (ut pote solidissimis argumentis probatum) quodque in Ideologia fusius evolvemus (1).

CAPUT II.

De ratione.

69. Multiplicem vox *ratio* significationem habet (2). Pro intellectuali spiritus humani potentia nos hic eam accipimus, atque definimus « facultatem applicandi principia rationalia, vel ens in quo haec principia continentur, sicque cognitiones acquirendi ». Hinc brevius (nam nonnisi per mentis abstractionem unum ab altera distinguere licet), *intellectus* est « humanus spiritus, quatenus principia rationalia, sive ens ideale, nec non ideas plus minusve determinatas intuetur »; *ratio* vero est « spiritus ipse, quatenus haec principia, vel ideas, ad novas cognitiones adquirendas, applicat » (1). *Omnis inquisitio rationis*, uti S. Thomas animadvertit, *procedit a simplici intuitu principiorum per intellectum* (2).

70. Variis modis humana ratio explicatur atque exercetur: variae nimirum sunt ejus functiones; quae tamen omnes ad *perceptionem intellectualem*, et *reflexionem* reduci possunt. Illa cognitiones *directas;* haec vero *reflexas* nobis praebet: quaelibet enim humana cognitio nonnisi directa, vel reflexa esse potest.

Art. I. — *De perceptione intellectuali.*

71. Vocabulum *perceptio*, si generatim sumatur, cognitionem quamlibet vel apprehensionem significat: hinc enimvero *perceptio relationum* inter

---

(1) Inter potentias passivas intellectum enumeravimus. Ens enim (quod est intellectus objectum) ab humano spiritu percipitur tamquam a sensu quodam, qui objecti sensibilis impressionem immediate subit: *Intellectus*, ait S. Thomas, *est vis passiva, respectu totius entis universalis*. Ens scilicet in universum, seu idea entis universalis, humano spiritui sese prodit atque objicitur; hanc ille recipit seu intuetur; ex hac autem intuitione sensus quidam exurgit, qui *intellectualis* recte dicitur.

(2) Consilium, ex. gr., vel mentem significat; item, institutum, consuetudinem, modum, supputationem, causam; - quanquam, proprie loquendo, a causa rationem differre jam animadvertimus (n. 61). Aliquando haec vox *relationem* exprimit inter binas quantitates; quae ratio, penes mathematicos, vel *arithmetica* est, vel *geometrica*. Interdum actionis, vel propositionis alicujus motivum (il perchè): quo in casu ratio dicitur *motivus*, quo ad agendum causa perducta sit; vel *nota* seu *argumentum*, quod inter duas ideas convenientiam vel repugnantiam ostendit. Sic ratio, v. gr., quaeri potest, cur Deus mundum condiderit; item, cur si binos fractionis cujuscumque terminos per eamdem quantitatem multiplices, ejus valor non immutetur. Hoc omnino sensu pro *jure*, vel rei alicujus *veritate* ratio sumitur; ut quum dicimus: *stat pro ratione voluntas;* vel, ut in fabula *De lupo et agno* monet Aesopus: « Apud improbos ratio et veritas locum non habent ».

(1) *Eadem*, inquit S. Augustinus, *in homine est ratio et intellectus, licet intelligere sit simpliciter veritatem intelligibilem apprehendere; ratiocinari autem procedere de uno intellecto ad aliud; hoc enim imperfecte, illud perfecte est.*

(2) Ad potentias passivas rationem pertinere diximus. Rerum namque relationes, quae per simplicem principiorum rationalium applicationem nobis innotescunt, passive quadantenus et necessario recipimus; nequit enim humana mens veritatem, sibi ultro oblatam respuere: hoc autem dicitur simpliciter *intelligere*. Quod si ratio consideretur quatenus, humana dirigente voluntate, in abditis ipsis rerum relationibus inquirit et veritatem detegere conatur, tunc enimvero vis activa dicenda est: hoc porro proprie est *scire*. Ad rem Aristoteles: « *Intelligere* pati est, *scire* autem facere ».

res, *perceptio veritatis*, etc. Hic tamen, strictiore sensu, a nobis accipitur pro affirmatione subsistentiae rerum sensibilium. Duplex itaque distinguitur, interna et externa: prout circa nosmetipsos, vel circa res extra nos positas versatur. In praesenti namque rerum conditione, corpora tantum et nos ipsos percipere nobis datum est. Ut enim entis alicujus *subsistentiam* percipere possimus, aliquam ens illud actionem in nos exercere, eamque nos persentire necessum est; atqui nil aliud sentire possumus, quam nosmetipsos et corpora externa. Aliis quidem intellectualibus operationibus, rerum quarumdam, quae hic et nunc sensus nostros non movent, subsistentiam cognoscere nobis licet; sed ad id impar est perceptio *intellectualis*, quae non ultra *sensitivam* progreditur.

72. Perceptio *externa* est « affirmatio subsistentiae eorum, quae extra nos sentimus ». Profecto, experientia certissime constat, ubi sensatione aliqua afficimur, haud ea nos immorari, sed a nobis ipsis veluti egredientes, corporis illius, quod sensationis est causa, quadantenus potiri, atque illud, prout in se existit, percipere seu cognoscere; tacitum nempe hoc efferre judicium: « quod sentio, existit »; idest aliqua existit a me distincta *substantia*, quae meae sensationis est *causa*. Hic primus est rationalium principiorum, vel melius universalis ideae entis, usus et applicatio.

Hujusmodi autem perceptio ab sensitiva omnino differt (V. n. 32). *Sensitive* namque aliquid percipere, nil aliud est quam corporis actionem in nos factam persentire. Sed *intellective* percipimus, quum ens sive objectum in seipso, in sua nimirum et propria, qua praeditum est, existentia videmus atque consideramus, nulla ad nosmetipsos, vel ad ens aliud quodcumque habita ratione; utpote nimirum *est*, non quatenus illud *sentimus* (V. n. 50).

73. Perceptio *interna* est « affirmatio subsistentiae nostrae ». Licet homo se existere indesinenter sentiat (V. n. 16), - quod enim per vocem *ego* significatur, aliud non est, nisi sensus quidam essentialis et substantialis; se tamen existere tunc solum *cogitat*, quum hujusmodi sensum mente sua adprehendit (quod quidem absque ullo negotio et naturaliter, data occasione, fit); seu tacitum hoc profert judicium: « ego existo ». Nostri tamen immediata perceptio a reflexione in nosmetipsos distingui debet: haec enim illam, et multo etiam post, subsequitur; atque *cognitio* nostrum, potiusquam perceptio dicenda est.

Haec porro duo perceptionum genera (externa et interna) probe distinguenda sunt. Verum quidem est, in sensione qualibet corporea tres activitates coërceri et contineri: 1° nempe activitatem, quae nos, praeter voluntatem nostram, modificat; 2° sensionem ipsam, quae activitatis ejusdem modificantis est effectus; 3° nos ipsos ab illa modificatos. Attamen attentio nostra intellectualis tres hasce activitates haud simul omnes complectitur, sed ad illam tantum imprimis se porrigit quae nos modificat, in eaque totam se figit. Perceptio igitur externa, brevissimo quantumvis temporis intervallo, internam praecedit, illiusque veluti stimulus quidam et occasio dicenda est. Quum itaque externa corpora nos affirmamus, in sensione nostra aliquid amplius profecto est, praeter corpora

externa, idest agentem qui nos modificat; ad id tamen mentem nostram nequaquam convertimus (1).

74. At si perceptionis intellectualis naturam attente perspicimus, ejusque analysim instituimus, duo veluti elementa, ex quibus componitur, in ea deprehenduntur: simplex nimirum conceptus vel *idea* rei perceptae; et tacita quaedam mentis affirmatio, seu *judicium* de actuali existentia rei ipsius. Hoc imo judicium, intellectualis perceptionis actum proprie constituit.

75. Perceptio igitur intellectualis praecipua est rationis functio, aliarumque veluti fundamentum atque conditio. Quae enim primo attentionem nostram urgent atque sollicitant, quarum proinde cognitio, caeterarum rerum cognitionem praecedit, ea profecto sunt, quae sensus nostros afficiunt. Atqui nulla omnino rei sensibilis, vel ejus-

(1) In errore itaque versatur Fichtius docens, hominem uno eodemque actu seipsum et mundum externum percipere (l'*io* e il *non io*); cui sophismati philosophicum illius systema totum innititur. Hoc autem sophisma hinc ortum duxit, quod Germanus philosophus ea quae in sensu contingunt haud rite ab iis internoverit, quae in perceptione intellectuali locum habent: sensum nempe cum intellectuali perceptione confuderit.

Perceptionis naturâ probe intellectâ, et ipsum pariter ruit principium, quo suum extruxit systema Schellingius. Qui duplici objecto, quod Fichtius, arbitratu suo, in perceptione ponit, tertium adjunxit; Fichtianae namque perceptionis objectum, quamvis duplex (l'*io* e il *non io*), finitum tamen erat. At Schellingio visum est, *finitum* absque *infinito*, ad quod illud refertur, percipi non posse. Hinc enimvero factum est, ut, quemadmodum Fichtius perceptioni intellectuali tribuit, quod nonnisi *sensus* est proprium; sic Schellingius (cui postmodum magnam partem Cousinus adhaesit) eidem perceptioni attribuit, quod ad *ratiocinium* solummodo pertinet: neuter autem *perceptionis* naturam sat cognitam atque perspectam habuit. Quae tota in eo est, ut unicum omnino complectatur objectum, caeteris praetermissis, quae cum illo connexionem habent: haec quippe omnia neque affirmat neque negat perceptio, sed tantum non considerat, non advertit.

dem qualitatum, notio haberi potest, ni res ipsa utpote subsistens jam ante a nobis percepta sit.

Per intellectualem itaque perceptionem *primas* rerum *ideas* et cognitiones, admodum licet imperfectas et obscuras, acquirimus. Hoc autem nomine illae non solum cognitiones donantur, quae ab incunabulis et in primore pueritia mentem nostram subeunt, verum etiam cognitiones omnes, quas de objecto quocumque et quolibet tempore, primum consequimur.

76. Cognitiones hujuscemodi, *spontaneae*, *involuntariae*, vel melius *directae* nominantur; ad quas deinceps humanus spiritus sese convertens, idest reflectens, clariores ac perfectiores reddit; necnon alias ex his sibi componit: quas idcirco *reflexas* vocant (V. n. 70).

Ideae seu cognitiones, quas per intellectualem perceptionem nobis comparamus, dicuntur etiam *positivae*. Ideae autem entium, quae per quamdam solum cognoscimus, quam ipsa habent cum alio ente cognito, relationem, *negativae* appellantur.

Art. 2. — *De reflexione.*

77. Si homini ultra perceptionem intellectualem progredi nequaquam liceret, parum mehercule supra naturam animalem sese ille extolleret. Neque enim res simul conferre, ratiocinium instituere; nec ideas spiritus, virtutis, obligationis sibi comparare; nec tandem ad futurae vitae conceptum, vel ad primam rerum omnium causam adsurgere posset. Hisce porro omnibus per reflexionem idoneus fit. Reflexio autem nihil est aliud, nisi quidam attentionis modus.

78. *Attentio*, uti ex ipsa nominis etymologia

patet, est « vis qua in aliquod objectum, quod vel sensibilitatem vel intelligentiam nostram afficit, *tendimus*, et quodammodo ei adhaeremus ». Quare duplex attentio : *sensitiva* nempe seu instinctiva, et *intellectualis*.

Prior illa nil aliud est, quam quaedam veluti sensationis ipsius continuatio atque productio, quae secundum certas animalis naturae leges fit; quaeque definiri potest « applicatio quaedam vis animantis instinctivae ». Hinc discrimen, ex. gr., inter *videre* et *aspicere ; audire* et *auscultare*, etc. (1). Altera vero, - de qua praesertim hic agimus -, est « directio vis rationalis ad aliquod objectum ». Haec autem dupliciter iterum distinguitur: est nempe spontanea, vel voluntaria. *Spontanea* in primo illo humani spiritus motu consistit, qui, a sensationibus excitatus, in prima rei alicujus cognitione completur: verissimum namque est, quemdam attentionis actum, vel in ipsa perceptione intellectuali, mentem nostram exerere. Attentio autem *voluntaria* est « humani spiritus ad rem jam intellectu perceptam applicatio ». Quae tamen varium - pro variis circa quae, versatur, objectis, vel diversis activitatis suae gradibus -, nomen sortitur: hujusmodi sunt *consideratio*, *observatio*, *meditatio*, *contemplatio*, etc.

(1) Ad rem Rosminius: « Che cosa è lo *sguardo*, se non un volgere e intendere il nervo dell'occhio, presentandolo acconciamente all'oggetto che si vuol vedere? Laonde i fisiologi divisero le sensazioni in *attive* e *passive*. Più veramente ogni sensazione è passiva; e tuttavia l'anima concorre a produrre questa passività sua con un grado minore o maggiore di sua attività. Le lingue segnano questa attività dell'anima con ispeciali vocaboli: quando quest'attività è molta, non si dice più *vedere*, ma *guardare;* non più *udire* semplicemente, ma *ascoltare* od *origliare;* differenze che si trovano in tutte le lingue » (*Antropologia* ecc.).

Quod si ad facta refertur interna, *reflexio* proprie nuncupatur.

79. *Reflexio* igitur est « humani spiritus in seipsum conversio » : in proprios nimirum actus et operationes, vel in cognitiones et ideas per actus ipsos jam acquisitas; duplex itaque reflexio. Per reflexionem in animi nostri actus, eorumdem cognitionem seu conscientiam acquirimus (V. n. 2 ; 29). Id enim veluti principium ponendum est, quemlibet intelligentiae nostrae actum, objectum quidem ad quod refertur, notum nobis facere, sed sibi ipsi incognitum esse; atque, ut illius conscii esse possimus, alium actum ab eo distinctum requiri. Hinc aliud est *percipere, velle;* aliud *advertere*, se revera percipere ac velle. Brevi: aliud est scire, aliud, *scire se scire* (1). Si tamen proprie loqui velimus, reflexionis nomine donari nequit hujusmodi operatio: per hanc enim primo ac *directe* animi nostri actus cognoscimus, quorum nobis tantum inerat sensus.

80. Quapropter vera ac genuina reflexio ea est, cujus objectum sunt ipsae cognitiones et ideae, per actus intellectuales a nobis acquisitae; quaeque definiri potest « voluntaria attentio ad perceptiones vel ideas nostras adhibita ».

Per reflexionem in ideas, harum nexus et relationes detegimus, sicque ideas *relationum*, ideas nempe *reflexas* acquirimus (V. n. 76). Quum autem multiplices sint reflexionis gradus: - non solum enim in ideas directe acquisitas, sed et in ipsas ideas reflexas mens nostra potest reflectere (*far*

(1) *Alius est actus*, inquit S. Thomas, *quo intellectus intelligit lapidem, et alius est actus quo intelligit se intelligere lapidem.*

riflessioni di riflessioni) - ; facile quisque videt, reflexionem uberrimum cognitionum, quin imo philosophiae totius esse fontem : quae propterea, excellenti modo, *Scientia reflexiva* dicenda est (*Scienza di riflessione*) (1).

81. At multis sane modis operatur humana reflexio; qui totidem illius functiones dici possunt. Quarum praecipuae sunt *analysis*, *synthesis*, *abstractio*, *judicium* et *ratiocinatio*. Variis autem hisce operationibus, idest multiplici hoc reflexionis exercitio, rerum ideas nobis comparamus, sicque cognitionum nostrarum aedificium extruimus. At ideae, semel acquisitae, plus minusve in mentibus nostris haerent, atque identidem excitantur : quod dicitur *memoria*. Hasce insuper ideas multimode simul conjungere nobis licet, vel ad earum etiam exemplar, alias ad arbitrium nostrum nobis effingere : id autem fit per *imaginationem intellectualem*.

De his porro reflexionis functionibus singillatim agendum nobis est.

§ 1. — *De analysi* et *synthesi*.

82. Vocabula *analysis* et *synthesis* e graeca lingua depromta sunt: illud *resolutionem*, hoc vero *compositionem* significat.

---

(1) Hinc distinctio inter cognitionem popularem et scientificam. Nam cujuscumque rei cognoscendae duplex distinguendus est modus: alter nimirum, quo res quatenus est talis res, seu in *esse suo*, simpliciter cognoscitur; alter vero, quo res cognoscitur etiam in *suis rationibus: cur* videlicet ita sit. *Duplex*, ait Clemens Alexandrinus, *cognitio: una quidem communiter, quae est in omnibus hominibus* .... - *quam ego nequaquam nominaverim cognitionem. Quae autem excellenter et praecipue cognitio nominatur, ex mente et ratione formam accipit et characterem.* Cognitio rei in esse tantum suo, - utpote quae omnibus fere communis et eadem est -, *popularis*; cognitio vero rei in suis rationibus (ne' suoi perchè), - quatenus ad paucos, eosque egregios, pertinet -, *scientifica* dicitur. *Proprie quippe cum loquimur*, uti S. Augustinus animadvertit, *id solum scire dicimur, quod mentis firma ratione comprehendimus.* Quod si ad ultimas usque rerum rationes pertingere nobis datum est, cognitio *philosophica* tunc locum habet; quae, uti jam alias diximus (*Praefat.*, n. IV), supremus est humanae cognitionis gradus.

Sic Chimicum, corporis alicujus analysim exsequi dicimus, quum illud in *simplicia* elementa ex quibus componitur, ope ignis vel reagentis cujuspiam, resolvit aliaque ab aliis sejuncta exhibet. Synthesim autem conficit, duas vel plures substantias ita simul jungendo et copulando, ut peculiaris quaedam substantia vel corpus fiat, quod *compositum* dicunt, cujus interdum proprietates a proprietatibus componentium omnino differunt (1).

83. Analysim ac synthesim chimicam, et quae ab Mechanicis vel Physicis fit, innuimus. Animadvertendum tamen est, analysim et synthesim nonnisi mentalem esse posse; neque ullam, proprie loquendo, materialem vel externam analysim aut synthesim confici, quae ab interna seu mentali non dirigatur.

Quod igitur ad nos spectat, *analysis* (mentalis seu psycologica) est « operatio, qua mens, data idea quapiam complexa, - quae ex aliis nimirum ideis seu notionibus componitur -, alias ab aliis, per successivos attentionis actus, separat, atque singulas deinceps considerat ». Brevius : est « re-

---

(1) Praeclarum analysis et synthesis exemplum nobis etiam praebent Mechanici in virium resolutione et compositione, quas, - *virium*, uti appellant, *parallelagrammate* juvante -, exsequuntur. Item, Physici lucem solarem per crystallinum prisma in septem radios diversimode coloratos, variisque tum physicis tum chimicis proprietatibus gaudentes, dispescunt; quos postmodum in speculi vel lentis foco recolligentes, in pristinam lucem, albam et decolorem, restituunt.

solutio totius in suas partes ». Sic *memoriae* conceptum analysi subjicimus, quum omnia distinguimus elementa, quae complexam hanc facultatem constituunt. Idem dicatur de *sensatione* (V. n. 31-2), de *perceptione intellectuali* (V. n. 74), de *libertate*, de *virtute*, de *homine*, etc.; quorum omnium qui velit distinctam notionem adipisci (quandoquidem mens nostra, ob naturalem suam limitationem, plura simul nequit simplici intuitu absque confusione complecti) eorumdem analysim instituere illi opus est. — *Syntesis* vero est « actus ille, quo mens duas vel plures simul ideas unico attentionis actu comprehendit, atque vi alicujus, quae inter ipsas intercedit, relationis, ad unitatem quodammodo reducit ». Vel simplicius: « recompositio totius per suas partes ». Sic, in uno eodemque subjecto, animalitatem, intelligentiam et voluntatem conjungendo, ideam hominis conficimus. Quare mens, analysis ope, ad ideas magis magisque simplices, atque ad simplicissimas usque et *elementares* pertingit; ope vero synthesis, ideas efficit *complexas*.

84. Quod si rem attente perpendimus, facile patebit, binas hasce mentis functiones ab se invicem dissociari non posse, et alternis quasi vicibus, in cognitionum nostrarum acquisitione, operari. Primo namque res intellective percipimus; per intellectivam autem perceptionem rem simplici actu ex toto complectimur. Hujusmodi igitur cognitio omnino *synthetica* est, et una simul admodum obscura et imperfecta. Succedit reflexio, quae rei perceptae analysim instituit, eamque per partes considerat. Haec porro cognitio *analytica* perspicuitatem et distinctionem affert. Post analysim

tandem se iterum prodit synthesis; quae (propterea quod ipsam praecessit analysis) claras et distinctas menti ideas praebet.

85. Quapropter binae distinguendae sunt synthesis species: primitiva, et reflexa. *Primitiva*, seu spontanea, dicitur synthesis quae analysim quamcumque praecedit: per quam videlicet humanus spiritus universalem ideam existentiae, sive ens ideale, cum interno vel externo sensu quodammodo conjungens, intellectualem efficit perceptionem, sicque primas et directas rerum notiones acquirit (V. n. 75). Synthesis autem *reflexa* est illa, quae analysim subsequitur; quae nimirum postmodum exercetur circa notiones ipsas jam primitus acquisitas.

§ 2. — *De abstractione.*

86. Vocabulum *abstractio* a verbo *abstrahere* ductum est, quasi diceres *separare, auferre;* atque generatim definitur « facultas, qua spiritus humanus rem tamquam divisam ab aliis considerat, cum quibus revera conjuncta est ».

Duae tamen sunt abstractionis species. Quarum altera immediate in perceptione ipsa intellectuali exercetur, unde abstractio *immediata* nominari consuevit: per hanc scilicet, uno ex elementis, quibus perceptio intellectiva constat, omisso, - *judicio* nempe de actuali rei perceptae existentia -, merum et simplicem rei ipsius conceptum seu *ideam* retinemus (V. n. 74). Haec nihilominus improprie abstractio nuncupatur, et rectius *universalizzationem* diceres; hujus autem nominis vim atque sententiam mox declarabimus.

87. Altera vero, cui nomen abstractionis pro-

prie convenit, ea est, quae circa ideas ipsas versatur; et definiri potest « actus, quo mens aliquam tantum ideae partem animadvertit, ceteris, perinde quasi non essent, praetermissis » (V. n. 11; 69). Sic datum virum, mihi probe cognitum, utpote magistratum gerentem considerare possum, ab aliis ejus qualitatibus, - aetate, familia, patria, etc. -, abstrahendo. Item, geometra unam ex corporis dimensionibus, puta *longitudinem*, perpendit, quin de ejus latitudine et altitudine cogitet, ab iis nimirum abstractione facta.

Hac enimvero ratione ideas *coloris*, *hominis*, *prudentiae*, *virtutis*, etc. nobis comparamus, quae ideae *abstractae* dicuntur. *Concretae* contra (quas melius fortasse *plenas* diceres) sunt « illae, quae totum et integrum objectum repraesentant » : cujusmodi sunt ideae complexae, quas nobis exhibet prima rerum perceptio, vel ope synthesis reflexae conficimus.

88. Quantam porro ideae abstractae, eamque nobilissimam, in doctorum disciplinis non solum, sed et in ipso communi hominum sermone, sibi vindicent partem, neminem profecto latet. Unde conficitur, utilem non modo, verum etiam saepenumero necessariam esse abstractionem. Quod quisque facile intelligit, si vel paullulum animadvertat, humanum spiritum, uti jam nuper innuimus (n. 82), ita limitibus circumscriptum esse, ut plura nequeat simul attentione sua complecti, atque uno actu varios, sub quibus sese nobis res offerunt, adspectus considerare. Hinc homines (ut de scientiis sileam, quas ideo *abstractas* appellant) natura ipsa pluribus in casibus abstrahere docet. Nil profecto penes rudes ipsos atque vulgares

abstractione frequentius. Cave igitur, ne, quod saepissime fit, *abstractum* cum *abstruso* confundas; atque operationem, cujus proprium est perspicuas atque distinctas menti nostrae ideas afferre, veluti quid intricatum et tenebricosum habeas (1).

Abstractionis autem necessitas magis etiam magisque patebit, si animadvertas, ejus tantum ope, ut in Ideologia videbimus, quam maximi momenti ideas, nempe generales, humanum spiritum sibi comparare posse.

§ 3. — *De judicio.*

89. Multiplici gaudet sensu vox *judicium* (2). Quatenus rationis vel reflexionis functio, est « ille mentis actus, quo rem aliquam hoc vel illo modo esse cogitamus »; seu « affirmamus rei alicui datam qualitatem convenire, vel non ». Sic, quum dico, ex. gr., seu mecum ipse cogito : « Deus est providens » ; « Mundus non est aeternus », totidem profero judicia. Illud de quo affirmatur vel negatur, *subjectum* judicii; quod autem affirmatur vel negatur de subjecto, ejus *attributum* vel *praedicatum* dicitur. Quare judicium definiri etiam poterit « actus ille, quo humanus spiritus

(1) Haud tamen inficiamur (quandoquidem per varios abstractionis gradus idea quaelibet protrudi potest) difficillimas quasdam esse abstractiones; quae, ut accurate fiant, eam vim mentis requirunt, qua non omnes profecto pollent.

(2) In re forensi *judicium* est legitimae causae seu rei controversae, apud judicem inter duos aut plures litigantes, contentio et disceptatio. Accipitur etiam pro ipsa causae actione, quae in judicio fit. Item, pro loco, ubi fit judicium ; vel pro ipsis quoque judicibus. — Extra rem forensem vero est mens, sententia, existimatio, opinio. Item vis et facultas discernendi, solertia, perspicacia (*discernimento*). Est demum functio quaedam rationis, quemadmodum hic a nobis accipitur.

subjecto alicui praedicatum (positivum vel negativum) tribuit ».

Subjectum igitur et praedicatum *materiam* constituunt judicii; ejus autem *forma* seu essentia in eo proprie actu idest verbo consistit, quo mens praedicatum subjecto convenire vel non convenire affirmat.

90. Sed duo judiciorum genera praesertim distinguenda sunt: primitiva nempe, et secundaria.

Judicia *primitiva*, seu directa, illa dicuntur, quibus fit intellectualis rerum perceptio: per quae videlicet, id quod sentimus (corpora nimirum externa, vel nosmetipsos), actu existere sive subsistere affirmamus (V. n. 72-73). Hinc generalis formula, qua exprimi potest judicium primitivum, haec est: « Id quod sentio, existit »; in qua, *id quod sentio*, nempe *sensus*, est subjectum judicii; cujus praedicatum est *idea existentiae*. Recte autem judicia hujuscemodi, primitiva nominantur, quod *prima* sunt, quae a nobis fiunt, ac caetera judicia omnesque alias mentis operationes praecedunt. Ex his videlicet homo in cognitionum suarum acquisitione exorditur; sicque *primas* ideas sive notiones sibi comparat, cum rerum externarum tum suipsius. Quas enimvero ideas tunc adsequitur, quum haec interna profert judicia, seu cogitat: « Quod percipio sensibus externis, actu existit (subsistit) ». - « Quod sensu interno percipio, idest *ego* revera existo ».

91. At quum ex ideis utcumque acquisitis, quas mens nostra jam possidet, binas seligimus easque simul conferimus, ut illarum relationem internoscamus, hac vero detecta, eas affirmamus inter se convenire vel non, hujuscemodi judicium dicitur secundarium vel comparativum: *secundarium* quidem, eo quod judicia primitiva subsequitur, quorum ope primae rerum ideae a nobis obtinentur; *comparativum* autem, quia fit per duarum idearum comparationem: quarum altera est judicii subjectum, altera vero illius praedicatum. Dici etiam solet *reflexum*, utpote reflexionis actus.

Sic ideam *Dei* cum idea *providentiae* confero; ratio videt hasce ideas inter se convenire, atque hoc modo judicat: « Deus est providens ». Similiter, idea *mundi* cum idea *aeternitatis* comparata, et inter utramque pugna deprehensa, hoc fert judicium: « Mundus non est aeternus ». Quae proinde totidem sunt judicia comparativa vel secundaria.

92. Ex his patet, in quonam haec duo judiciorum genera differant inter se. Ad judicium quippe comparativum efficiendum, duae semper ideae requiruntur (subjecti nimirum et praedicati) jam prius in mente nostra existentes; ex quarum comparatione tertia oritur, idea nempe *relationis*, quae inter illas intercedit. In judicio contra primitivo una tantum est idea (idea nimirum entis universalis), quae cujuslibet judicii primitivi est praedicatum; ejus vero subjectum est id quod sentimus, nempe sensus, vel sensuum complexus (V. n. 90). Hoc porro subjectum, nempe id quod sentimus, vi ipsius judicii, notum fit: tunc videlicet a nobis cognoscitur, quum illi ideam existentiae quadantenus conjungendo (quid autem, hac conjunctione, proprie intelligendum sit, in Ideologia dicemus) internum hoc proferimus verbum: *existit*. Hac scilicet ratione, sensus in

subjecto alicui praedicatum (positivum vel negativum) tribuit ».

Subjectum igitur et praedicatum *materiam* constituunt judicii; ejus autem *forma* seu essentia in eo proprie actu idest verbo consistit, quo mens praedicatum subjecto convenire vel non convenire affirmat.

90. Sed duo judiciorum genera praesertim distinguenda sunt: primitiva nempe, et secundaria.

Judicia *primitiva*, seu directa, illa dicuntur, quibus fit intellectualis rerum perceptio: per quae videlicet, id quod sentimus (corpora nimirum externa, vel nosmetipsos), actu existere sive subsistere affirmamus (V. n. 72-73). Hinc generalis formula, qua exprimi potest judicium primitivum, haec est: « Id quod sentio, existit »; in qua, *id quod sentio*, nempe *sensus*, est subjectum judicii; cujus praedicatum est *idea existentiae*. Recte autem judicia hujuscemodi, primitiva nominantur, quod *prima* sunt, quae a nobis fiunt, ac caetera judicia omnesque alias mentis operationes praecedunt. Ex his videlicet homo in cognitionum suarum acquisitione exorditur; sicque *primas* ideas sive notiones sibi comparat, cum rerum externarum tum suipsius. Quas enimvero ideas tunc adsequitur, quum haec interna profert judicia, seu cogitat: « Quod percipio sensibus externis, actu existit (subsistit) ». - « Quod sensu interno percipio, idest *ego* revera existo ».

91. At quum ex ideis utcumque acquisitis, quas mens nostra jam possidet, binas seligimus easque simul conferimus, ut illarum relationem internoscamus, hac vero detecta, eas affirmamus inter se convenire vel non, hujuscemodi judicium dicitur secundarium vel comparativum: *secundarium* quidem, eo quod judicia primitiva subsequitur, quorum ope primae rerum ideae a nobis obtinentur; *comparativum* autem, quia fit per duarum idearum comparationem: quarum altera est judicii subjectum, altera vero illius praedicatum. Dici etiam solet *reflexum*, utpote reflexionis actus.

Sic ideam *Dei* cum idea *providentiae* confero; ratio videt hasce ideas inter se convenire, atque hoc modo judicat: « Deus est providens ». Similiter, idea *mundi* cum idea *aeternitatis* comparata, et inter utramque pugna deprehensa, hoc fert judicium: « Mundus non est aeternus ». Quae proinde totidem sunt judicia comparativa vel secundaria.

92. Ex his patet, in quonam haec duo judiciorum genera differant inter se. Ad judicium quippe comparativum efficiendum, duae semper ideae requiruntur (subjecti nimirum et praedicati) jam prius in mente nostra existentes; ex quarum comparatione tertia oritur, idea nempe *relationis*, quae inter illas intercedit. In judicio contra primitivo una tantum est idea (idea nimirum entis universalis), quae cujuslibet judicii primitivi est praedicatum; ejus vero subjectum est id quod sentimus, nempe sensus, vel sensuum complexus (V. n. 90). Hoc porro subjectum, nempe id quod sentimus, vi ipsius judicii, notum fit: tunc videlicet a nobis cognoscitur, quum illi ideam existentiae quadantenus conjungendo (quid autem, hac conjunctione, proprie intelligendum sit, in Ideologia dicemus) internum hoc proferimus verbum: *existit*. Hac scilicet ratione, sensus in

ideam quodammodo *transformatur*. Prius enim quam res sensu percepta, tamquam actu existens, idest veluti specialis quaedam entis indeterminati *realizzatio*, a nobis conciperetur, penitus ignota nobis erat. Quapropter judicium primitivum, utpote *idearum procreator* jure habendum est (1).

§ 4. — *De ratiocinatione.*

93. *Ratiocinatio* (ragionamento) generatim est « ea reflexionis functio, qua humana mens ex singularibus quibusdam generalia *inducit* ; vel ex his plurima *deducit* seu elicit ». Hinc duplex ratiocinatio: inductiva, et deductiva. Brevius tamen, haec *ratiocinium ;* illa vero, *inductio* nuncupatur.

94. Ratiocinium. Observatione certissime constat, humanas cognitiones adeo inter se connexas esse, et alteram in altera quodammodo comprehensas, ut, aliquibus jam acquisitis, alias atque alias ex his haurire nobis liceat (2). Id autem per *ratiocinium* consequimur; quod propterea definiri potest « rationis functio, qua mens judicium aliquod eruit seu deducit ex alio, in quo implicite continetur ».

---

(1) Vera itaque judicia sunt, primitiva aeque ac secundaria. « L'unica differenza, sic nitide Rosminius, che passa tra l'affermazione con cui si conoscono gli enti reali, e gli altri giudizi tutti, si è che negli altri giudizi il predicato ed il soggetto, benchè prima del giudizio non siano conosciuti come predicato e come soggetto, pure sono conosciuti dalla mente in altro modo ; laddove il soggetto *sentimento*, prima dell'affermazione dell'ente reale, non è conosciuto in modo alcuno. Ma questa differenza non fa che il giudizio primitivo sia di diversa natura da tutti gli altri giudizi; perocchè la cognizione che negli altri giudizi si ha di ciò che poscia diventa soggetto, non è già quella che ci apporta il giudizio, anzi su questa cognizione che ci dà il giudizio, niente affatto influisce » (*Introduzione alla Filosofia*).

(2) *Omnis cognitio* , ait Aristoteles, *ex praecedente cognitione fieri solet.*

Ratiocinio igitur a cognito ad incognitum progredimur. Ex quo liquido patet, si nihil homini naturâ compertum esset, quodque idcirco per ratiocinium minime obtinetur , nil unquam ei cognitum et repertum iri , ipsumque ratiocinium impossibile penitus fore. *Ratione quidem*, ad hanc rem Baldinottius, *semper utendum est* , *ratiocinio non semper: id est impossibile; basim namque et fundamentum ratiocinium habere opus est, non autem in alio ratiocinio*, *quod ad progressum in infinitum cogeret. Aliquid igitur est*, *de quo ratiocinandum non est.* Hujusmodi porro sunt suprema rationis principia (V. n. 55 56), quae per se nota sunt, seu potius idea entis universalis, a qua immediate ipsa dimanant (V. n. 67) ; quibus proinde sublatis, et rationem ipsam totamque humanam intelligentiam evanescere necessum est (1).

95. Sed judicii ex aliis judiciis deductio sive illatio variis modis effici potest; hinc variae, ut dicunt, formae seu species ratiocinii, de quibus in Logica erit sermo. Omnium simplicissimam (vulgo *syllogismum*), et ad quam caeterae reduci facile possunt, hic tantum exhibemus.

Pone, scire me velle, utrum datum *ens*, quod

---

(1) Quo tamen ad ignotum a noto quopiam gradum facere possimus, hoc oportet cum illo datas quasdam relationes habere, alioquin nil ad rem omnino prodesset. Ut si quis dicat, se duplum argenti in dextera inclusum, quam in laeva manu tenere: quis unquam, nisi Deus, quid illud sit, nosse poterit? quaestio enim penitus indeterminata est. At pone, v. gr., ex nobis quempiam percontari, quinam bini sint numeri, quorum summa est 67, differentia vero 19? Ea profecto inter notum et incognitum determinata intercedit relatio, quae opus est ad quaesitam quantitatem detegendam; si praesertim calculo utamur algebrico, qui mirum in modum in suis operationibus rationem adjuvat.

animantis formam praesefert, *animal* revera, an automaton fortasse sit? Ad ignotam hanc relationem detegendam, tertiam quamdam seu mediam ideam assumo, nempe *sensibilitatis physicae*, cum qua binas deinceps quaestionis ideas (*animalis* scilicet, ac peculiaris illius *entis*) comparo. Video, ex. gr., utramque cum idea media convenire; hinc deduco seu concludo (quod prius erat in quaestione) ens illud esse animal, hoc modo: « Quod physica sensibilitate pollet, est animal; sed hoc ens physica pollet sensibilitate (hanc me reapse in illo expertum fuisse suppono); ergo est animal ». Quod si ex duabus ideis quaestionis, altera quidem conveniat, altera vero non conveniat cum media, tunc infertur illas non convenire inter se. Sic, ubi nullum in illo ente sensibilitatis indicium inesse mihi constet, nequaquam animal esse hac ratione deduco: « Quod omni sensu caret, animal non est; atqui hoc ens omni caret sensu; non est igitur animal ».

96. Quamobrem simplex ratiocinium definiri etiam potest « complexio trium judiciorum, quae ita simul connexa sint, ut ex duobus prioribus tertium necessario consequatur »; vel aliter: « actus, quo mens, post cognitam convenientiam duarum idearum cum tertia seu media idea, vel alterutrius ab eadem discrepantiam, affirmat seu judicat, binas illas ideas inter se convenire, vel non » (1).

(1) Hinc patet discrimen inter simplex judicium et ratiocinium. Illud enim *immediatum;* hoc vero, judicium *mediatum* vel discursivum etiam appellant. Idea autem *media* illud est, quod terminus comparationis quoque dicitur, vel communis mensura, qua utimur ad ideas quaestionis dimetiendas (fere ac metrum, quod, in dimetiendis corporibus, adhibemus). A Cicerone nominatur *ratio, quae ex rebus perceptis, ad id quod non percipiebatur adducit*. Hinc enimvero *ratiocinii* nomen est ductum.

Animadvertendum tamen est, inter binas ideas quaestionis et ideam mediam, *identitatem* et una simul *diversitatem* inesse oportere. Quemadmodum autem diversitas, ita et identitas nonnisi partialis esse debet: ea nimirum, quae inter genera et species, vel inter species et individua intercedit. Alioqui, vel inutilis esset, vel impossibilis deductio.

97. Haec porro, quam *identitatis partialis* legem appellant, veluti fundamentalis et organica lex ratiocinii habenda est. Quae duobus exprimi solet principiis tanta fulgentibus evidentia, ut inter axiomata enumerentur:

1m « Si duo eadem ratione conveniant cum uno eodemque tertio, ea conveniunt inter se ».

2m « Si ex duobus unum conveniat, alterum vero eadem ratione non conveniat cum uno eodemque tertio, ea inter se nequaquam conveniunt ».

Quibus adjungi etiam poterit

3m « Si ex duobus neutrum cum tertio conveniat, nil potest hinc neque de convenientia, neque de illorum discrepantia inter se, legitime concludi »: quaestio nimirum proposita resolvi nequit (1).

Merito igitur tria haec, formalia seu *organica* ratiocinii principia nominantur (V. n. 53); utpote quibus tota ratiocinii ars ejusque organismus in-

(1) Id porro significat, haud idoneam et ad rem nostram opportunam ideam mediam nos selegisse; perinde ac illi contingeret, qui, ad relativam duorum locorum temperiem determinandam, - potiusquam thermometro -, hygrometro, v. gr., vel barometro uteretur: quae optima quidem atque utilissima instrumenta sunt, sed quae nostro in casu nullius sunt usus.

nititur : ad ea nimirum, tamquam ad normam, ratiocinium quodlibet se debet componere, ut recte ac legitime concludat.

98. Ideae et cognitiones per ratiocinium acquisitae, *deductae* vel discursivae appellari solent, ut ab primitivis et immediatis distinguantur. Quae quanti momenti sint nemo non videt. Quid enimvero homo esset, ubi hujuscemodi ideis careret? Per quam misera intellectualis ejus conditio, si illi vim deducendi, sive ideas ex aliis ideis inferendi abstuleris!

Nihilotamen secius haec eadem vis, humanae intelligentiae limitationem aperte demonstrat. Ideo enim ratiocinia conficimus, ut ignotam veritatem ex jam cognitis deducamus. Quare Deum *ratiocinari* nequaquam dixeris (quemadmodum neque *abstrahere*, *meminisse*, etc.) ; vel nonnisi *eminenter* haec de Deo enunciari possunt. Deum namque nil latet, quippe qui omnia omnino unico et simplici intuitu complectitur ac videt; nec proinde opus habet quidquam per ratiocinium inquirere. Sed haec opportunius in Metaphysica.

99. Inductio. Homo, uti superius vidimus, facultate gaudet objecta vel facta singularia cognoscendi. Hujuscemodi tamen cognitiones sat illi non sunt : generalibus quippe principiis, ceu totidem regulis, indiget, quibus in sua agendi ratione dirigatur, quaeque illi jugiter, quibuscumque in adjunctis, praesto sint. Quum porro illi, ex completa et perfecta singularium factorum observatione, ad haec principia pervenire non liceat (quaelibet namque observatio finita semper et limitibus circumscripta est), haec, natura ipsa duce et impellente, sibi homo conficit, singularia ipsa

facta, cogitatione sua, indefinite quodammodo producendo, sive extendendo.

Hoc ratiocinandi genus *inductio* appellatur; quae definiri potest « humani spiritus operatio vel rationis functio, qua ex peculiaribus aliquibus factis observatis, generalis quaedam propositio seu principium generale elicitur » ; unde *generalizzatio* nuncupari etiam consuevit (1). Sic factum, quod periodice et pluries contigit, - puta solis ortum et occasum -, judicamus, consueta periodo elapsa, ita et in posterum semper eventurum esse. Item, ex eo quod in dissectis hominum corporibus, jecur ad dexterum, cor autem ad sinistrum latus semper repertum est, in omnibus generatim hominibus, ubique et nullo non tempore rem ita se habere concludimus (2).

100. At inductio, fortasse quis dixerit, haud recta et legitime procedere videtur : utpote quae generale quidpiam a particulari concludit, in quo nullomodo contineri evidens est.

Hac tamen de re animadvertimus, nonnisi fronte et specie tenus ita fieri ; nec praepostere illum

(1) In eo igitur tota est inductio, ut, observationibus vel experimentis aliquibus peractis, generalem statuat legem, cujus ope in praeterito futurum, futurum vel praeteritum in praesenti, et generatim aliud in alio introspicere datum sit. Ex quo patet, inductionem hujusmodi, - cujus non utique auctor, quam tamen primus, Baconus a Verulamio in pleniorem lucem adduxit -, ad inventionem scientiarum et artium revera utilem esse; atque omnino ab illa distinguendam, quae procedit *per enumerationem simplicem*, quaeque, ut Baconus ipse animadvertit, *res puerilis est, et precario concludit.*

(2) Sic etiam, propterea quod corpora nonnulla, quae sub experientiam nostram venerunt, ponderosa esse animadvertimus, generaliter inferimus, corpora omnia esse ponderosa. Item, generatim affirmamus, hiemen ver, hoc aestatem, aestatem autem autumnum sequi; panem nutrimento homini esse; aquam sitim extinguere, et similia : eo solum, quod hujuscemodi phoenomena et effectus, aliquoties ac quibusdam in casibus sumus experti.

ratiocinari, qui per inductionem argumentatur. Si namque rem exacte perpendimus, facile patebit, ratiocinationem quamlibet inductivam universali principio inniti, quod, etsi ut plurimum exprimi nequaquam solet, semper nihilominus subauditur; hoc autem est: « Rerum universitas certis ac statis legibus gubernatur »; quod enimvero substantiarum, causarum rerumque proprietatum constantiam atque stabilitatem supponit. Hujusmodi porro *fundamentale inductionis principium*, non secus ac superius memorata (n. 55), homini congenitum est, atque ad rationalem ejus naturam pertinet. Re enim vera, si hujus principii originem quaeras, ab ipsis *causae* ac *substantiae principiis* proxime illud oriri videbis: persuasio enim stabilitatis atque firmitatis ordinis, cum physici tum moralis, aliud demum non est, quam principiorum illorum applicatio. En cur tanta hocce principium penes homines omnes auctoritate polleat; qui illi omnino fidunt, eique non res suas tantum, sed et seipsos penitus concredunt.

101. Ex hoc consequitur, inductionem ab ratiocinio proprie dicto nequaquam differre, atque sub syllogismi forma, perinde ac quodlibet aliud ratiocinium, exprimi posse; in quo conclusio, licet generalis, minore tamen generalitate gaudet quam principium, a quo deducitur et in quo evidenter continetur. Quae propterea, cum ipso comparata, particularis profecto est.

Quare *inductio* definiri etiam potest « rationis functio, qua universale hoc principium, *Mundus legibus regitur*, particularibus quibusdam factis tacite applicando, haec generalizzamus ope propositionis, *generalem* exprimentis *legem*, quam in rerum natura existere pro certo habemus » (1).

102. Inductio igitur solide ac legitime concludit: non necessario tamen, neque ea penitus certitudine, qua ratiocinium. Fundamentale namque inductionis principium, tametsi, uti vidimus, ab causae et substantiae principiis dimanans, absolutum nihilominus, necessarium et immutabile dici nequit. Quo fit, ut propositiones seu leges generales, ad quas ope inductionis pervenimus, idest principia, uti etiam appellant, *inductiva* (cujusmodi haec sunt: « Gravia, sibi ipsis permissa, descendunt in vacuo motu uniformiter accelerato »; - « Ignis comburendi proprietate gaudet »; - « Aqua ignem extinguit », et similia) ab principiis *rationalibus* (V. n. 55), omnino distent. Haec enim observationem omnem et experientiam, cum internam tum externam, antevertunt: hinc *pura* etiam, vel *a priori* vocantur; illa, contra, ex observatione particularium factorum, per generalizzationem consequimur: unde *a posteriori* nominari etiam solent. Haec intrinsecam,

---

(1) Sunt qui inductionem cum analogia confundant, sed immerito: licet enim maxima inter utramque insit connexio, altera tamen ab altera distinguenda est. *Analogia*, generatim sumpta, est « similitudo, quae inter duo vel plura objecta intercedit », quaecumque demum haec sit: nam cujuscumque generis nexus, qui inter res esse possunt, complectitur. Jamvero, pone, objecta nonnulla a nobis observata magnam inter se similitudinem praeseferre. Si proprietatem, quam in eorum aliquo directe animadvertimus, in alio quoque inesse conjicimus, haec mehercule conjectura tota innititur analogiae. Hujusmodi tamen similitudo, generalis atque constantis legis characterem minime refert. At si, analogia ducti, congruis observationibus et experimentis confectis, haec reddimus generalia, sicque legem statuimus, quae non in praesens tantum, sed et in praeteritum atque futurum tempus vim habeat; tunc judicia per analogiam, vera fiunt inductio. Haec igitur analogiam supponit; non semper tamen analogiam inductio subsequitur.

absolutam seu *apodicticam* necessitatem sibi habent adnexam; illa *hypotheticam* seu relativam tantum. Haec *universalia* sunt; illa, nonnisi *generalia*. Haec nequeunt non esse vera; illa, absolute loquendo, falsa esse possunt. Quanquam profecto, absoluta haec fallendi possibilitas, nil eis auctoritatis et vis detrahit; dummodo colligantur per inductionem accuratam et ad illas regulas exactam, quas suo loco in Logica exponemus.

103. Quanti porro momenti quantaeque utilitatis sit inductio, satis superque ex dictis constat. Quandoquidem, inductionis ope, corporum proprietates, necnon generales, quibus mundus regitur, leges compertae nobis fiunt. *In philosophia naturali*, ait Neutonus, *propositiones deducuntur ex phoenomenis, et generales redduntur per inductionem*. Neque vero in philosophia tantum, quam Neutonus *naturalem* appellat, sed et in omnibus generatim scientiis, - potissimum vero in experimentalibus; quin imo in cunctis humanae vitae negotiis, totaque agendi ratione, maximi et perpetui usus est inductio. Natura enim ipsa, hominis necessitatibus sollertissime prospiciens, hunc quodammodo, uti jam paullo ante innuimus (n. 99), generalizzare, idest generalia principia sibi componere docet.

Hinc binae inductionis species: quarum altera, *naturalis* vel spontanea; altera vero, *scientifica* dicenda est. Quae postrema, de qua praesertim hic agimus, ut recte et adamussim fiat, operationes quasdam, veluti praeparationem, requirit: observationem videlicet, experientiam et comparationem.

104. *Observatio* est « attenta humani spiritus applicatio ad entia naturaliter percepta, ut eorum notio clara et distincta fiat». Haec autem *externa* dicitur, vel *interna*, prout circa res sive objecta externa, vel interna versatur.

Animadvertendum tamen est, ea, quae nostrae subjiciuntur observationi, vel esse *individua* cum suis qualitatibus; vel *facta* sub datis adjunctis, unde eorum origo pendet.

105. Quod si ad plenam rei cognitionem ducere nequit mera observatio, ad *experientiam* tunc confugere oportet; quae definitur « operatio, qua homo facta quaedam data opera provocat et excitat, ut commodius deinceps et ad libitum suum ea observet ». Quae, non secus atque observatio, *externa* quoque est, vel *interna*.

Discrimen hinc patet inter observationem et experientiam; licet, in communi loquendi usu, haec vocabula promiscue saepius adhibeantur. *Observare* namque est factum aliquod expendere, quod sponte sua se prodit; contra *experiri*, est facto alicui studere, quod nosmetipsi voluntarie et opera nostra produximus. Sic phoenomena *meteorologica*, *astronomica* et similia observantur; experimenta vero fiunt ope *machinae electricae*, vel *pneumaticae*, *penduli* etc. (1).

106. Observando vel experiendo id efficimus, ut perceptiones nostrae, quae obscurae dudum et confusae erant, clarae fiant et distinctae. Hae tamen, quatenus individuales, haud nobis sufficiunt:

---

(1) Quapropter Astronomia, Zoologia, Botanica, Mineralogia, Geologia, Anatome, Physiologia, inter scientias *observationis* enumerantur; Physica vero, Chemia, Therapeutica, sunt scientiae *experimentales*. Psychologia ad utramque classem pertinet.

objectorum videlicet relationes nosse insuper opus est. Quod consequimur, entia vel facta cognita simul *comparando*, seu alterum alteri quodammodo superponendo, ut inde constet, quid illis commune, vel analogum, vel dissimile sit: in quo nimirum differant inter se, in quo autem conveniant.

Cognitiones, quas per comparationem consequimur, *relativae* dicuntur: cognitiones nempe relationum inter res.

107. Ex his, quae hactenus de ratiocinatione diximus, manifestum est, duplici, et contraria quadantenus via, humanum spiritum ad cognitiones adquirendas incedere. Ab particularium scilicet factorum observatione (universali principio tacite semper admisso, eoque secreto veluti duce) ad leges seu principia generalia, *inductionis* ope, assurgit; quibus, ad alia exinde particularia facta dignoscenda et explicanda, utitur: quod quidem per *deductionem* fit. Vi ratiocinationis *inductivae*, ascendendo; *deductivae* autem, descendendo, gemina humanae scientiae scala percurritur: perinde ac qui ab imis montis ad ejus verticem pertingit; indeque, ex opposito latere, ad ipsius radices iterum redit (1). In mentem nihilominus revocare opus est, quae superius (n. 101), de ratiocinationis unitate diximus.

§ 5. — *De memoria.*

108. *Memoria* est « facultas, qua humanus spiritus ideas acquisitas retinet; eas, ubi opus sit, revocat, et revocatas recognoscit ». Interdum e-

(1) Quod perbelle, in hoc aphorismate, Verulamius expressit: *Neque enim*, ait, *in plano vita sia est, sed ascendendo et descendendo; ascendendo ad axiomata, descendendo ad opera.*

tiam memoria dicitur *recordatio* ipsa, quae vi ejus facultatis fit.

Memoria igitur complexa quaedam est facultas, ex tribus scilicet elementis, vel potius elementaribus facultatibus, constans: *retinentia* (quae ab retinentia sensitiva distinguenda est, V. n. 37), *revocatione* et *recognitione*. Hinc, pro diversa vi diversaque horum elementorum proportione, varia quoque memoriae qualitas et bonitas est. *Tenax* vel *ampla* dicitur memoria, si res firmiter aut multae retineantur; *facilis* et *prompta*, si revocentur expedite; *fidelis*, si accurate et nitide recognoscantur. Memoria vero, quae ad quemdam gradum omnibus hisce qualitatibus gaudet, *felix* nominatur. Sileo, quosdam, et inter veteres et inter recentiores, singularem prorsus et paene incredibilem memoriae vim prodidisse (1).

109. Quanti usus memoria quantique momenti sit, non est cur dicamus: omnis quippe disciplina memoria maxime constat; frustraque docemur et cognitiones acquirimus, si quidquid audimus vel legimus, praeterfluit. Hoc quinimo probatissimum est, qui memoria prorsus careret, - nedum ratiocinium utut simplicissimum conficere -, ne ideam quidem *temporis* proindeque *identitatis* suae *personalis*, habere illum posse. Conscientia videlicet illi omnino deesset, qua certus

(1) In veteribus, Simonidis, - quem primum artem memoriae protulisse ferunt; Themistoclis, qui oblivionis artem quam memoriae se malle dicebat, Theodectis, Cineae, Mithridatis, Hortensii memoria celebratur. Quod si posterioribus temporibus memoriae portenta inquiris, sat est Picum Mirandulanum, Scaligerum, Pascalium, Grotium; et, hac ipsa aetate nostra, Eminentissimum Mezzophantium commemorare, quem argute Gregorius XVI *viventem Pentecosten* appellabat.

omnino sit, se eumdem modo esse, qui jamdudum fuerat (1).

Nec tamen, ut Lockio et Gravesandio visum est, identitatem nostram personalem memoria ipsa constituit; perinde ac, cui omnis interciderit rerum praeteritarum recordatio, non idem amplius ille sit qui antea fuit (2).

110. Sed dupliciter memoria distinguenda est: passiva nempe et voluntaria. *Passiva* dicitur, quum ideae, in mente nostra quodammodo latentes, casu aliquo ipsi ultro recurrunt. *Voluntaria* autem est ea, per quam ideae, nisu quodam voluntario et positivo revocantur.

Utraque tamen *associationi idearum* omnino innititur; quo nomine intelligimus « vim, qua ideae, ceu totidem annuli, ita in mente nostra simul nectuntur, ut unam altera quoquomodo excitatam sequatur, una alteram post se trahat ». Hoc profecto quoddam est rationalis naturae factum, de

(1) In Plauti comoedia, quae *Amphitryo* inscribitur, - quum Mercurius, Sosiae forma indutus, huic persuadere vellet, se quidem, non vero illum esse Sosiam -, hic attente ac partite inspecto Mercurio, hunc profecto sibi omnino simillimum deprehendit; Mercurii argumentis innexus et irretitus, quid jam respondeat, nescit. Nihilotamen secius se non existere, neque Sosiam esse, nullomodo persuaderi potest; curnamvero? quia cogitat, quia se cogitare conscius est et praeterita reminiscitur: *Sed quom* COGITO, ait, *equidem certe sum idem, qui semper fui*. Item Molierus, qui plautinam comoediam adeo belle et festive, more suo, imitatus est, sic Sosiam, post colloquium cum Mercurio habitum, sese alloquentem inducit:

Il ne ment pas d'un mot à chaque repartie;
Et de moi je commence à douter tout de bon.
Près de moi, par la force, il est déjà Sosie;
Il pourrait bien encor l'être par la raison.
Pourtant, quand je me tâte et que je me RAPPELLE,
Il me semble que je suis moi.

(2) Ergone ex graecis Hermogenes, inter latinos Orbilius Beneventanus et Corvinus Messala; recentioribus vero temporibus Cagnolius et Mazzocchius, qui memoriae sensum plane amiserant, suae quoque personae identitatem amisisse dicendi sunt?

quo nemo potest ambigere, qui paullo attentum in se animum converterit. Re enimvera, quotidiana experientia edocemur, quum aliquod nobis occurrit objectum, imagines et ideas, quae cum illo utcumque consociationem habent, extemplo revocari. Sic pone, dulcissimum inter caros nostros jamdiu occubuisse, ac paene jam tempus, magni in eo facti damni memoriam oblivione delevisse. At si extincti amici forte domum ingredimur, heu vetus illico recrudescit vulnus! Quocumque oculos vertimus, aliqua amici adest imago; colloquia secum jam habita denuo mentem subeunt, dum ejus cubiculum, vel sellulam, cui insidere consuevisset, intuemur (1). Neque alii profecto causae, quam idearum associationi, tribuenda est vividior illa commotio, seu, ut Graeci dicere amant, *enthusiasmus*, quo vehementer illi afficiuntur, qui terras, quas *classicas* vocant, vel campos insigni aliqua clade aut egregio facinore illustres invisunt (2).

111. Quanti porro facienda sit associationis potentia, cuilibet paullo attentius rem perpendenti manifestissimum est. Profecto, hanc tolle, et cognitionum nostrarum aedificium nunquam extruetur: haec quippe ideas et vocabula quibus illae

(1) *Est quidem*, ita Epistolam XLIX ad Lucilium suum exorditur Seneca, *supinus et negligens, qui in amici memoriam ab aliqua regione admonitus reducitur; tamen repositum in animo nostro desiderium loca interdum familiaria evocant, nec extinctam memoriam reddunt, sed quiescentem irritant; sicut dolorem lugentium, etiam si mitigatus est tempore, aut servuli familiaris admissio, aut vestis, aut domus renovat. Ecce Campania et maxime Neapolis, ad Pompejorum tuorum conspectum, incredibile est, quam recens desiderium tui fecerit. Totus mihi in oculis es, cum maxime a te discedo: video lacrymas combibentem, et affectibus tuis inter ipsam coercitionem exeuntibus non satis resistentem; modo amisisse te videor.*

(2) Hinc Cicero, de Athenis loquens, *quacumque ingredimur*, inquit, *in aliquam historiam vestigium ponimus* (De finib.).

exprimuntur, vocabula et alphabeticas literas simul conjungit; haec integri sermonis, quem memoriter didicimus, nomina, phrases et periodos connectit; per hanc musicae notae ac modulationes ex ore musici sponte quasi fluunt, atque aliae aliis adamussim succedunt. Huic tandem optimi illi habitus referendi sunt, quos sibi illi comparant, qui negotium aliquod vel artem exercent; quo fit, ut in agendo, minore in diem defatigentur labore, necnon facilius atque alacrius quodvis actionum genus exsequantur.

At si magnae prorsus utilitatis sunt idearum associationes, ubi composite et qua par est ratione fiant, valde contra, uti postmodum in Logica dicemus, ab inordinatis associationibus et, qui inde consequuntur effectibus, metuere opus est.

112. Sed idearum associatio cum associatione phantasmatum confundi non debet (V. n. 37). Haec enim ad naturam animalem omnino pertinet; illa vero intellectualis hominis naturae propria est.

Quanquam profecto plerumque contingit, ut perceptio, vel phantasma, quod quacumque de causa in nobis excitatur, datam idearum seriem primitus eliciat ac provocet, - uti facta, quae paullo ante innuimus (n. 110), satis evincunt -; et saepius etiam illam abrumpat atque cum alia serie conjungat.

113. Quum objectum quodvis variis sub adspectibus considerari possit, proindeque idea quaelibet cum aliis pluribus connexionem et relationem habeat, jam sequitur multiplices, easque interdum, uti experientia constat, abnormes et absurdissimas esse idearum associationes. Hinc enimvero repentini illi saltus seu transitiones, uti vocant, quas pene poëtas praesertim videre est. Hinc mentis avocationes (*distrazioni*). Hinc inanes illae cogitationes, quibus mens aliquando, veluti a labore quiescens, pascitur; quod Latini lepidissime dicunt *in aëre piscari* (nos: *far castelli in aria*).

Ne tamen credas, associationes hujuscemodi casu omnino fieri et quodammodo sine lege vagari: idearum enim associationes, quaecumque sint, certis et a natura ipsa constitutis legibus reguntur. Has porro ad tres revocat Humius, quas *principia associationis* appellat; suntque: 1º *Similitudo* (1); 2º *Temporis locive proximitas*; 3º *Relatio causae* vel *effectus*. Quae potissima quidem sunt; tametsi alia nonnulla in hac enumeratione desiderentur. Galluppius tamen ad hoc unum omnia *associationis* principia reduci posse opinatur: « Praeterita perceptio tota instauratur, quum illius pars aliqua menti recurrit ».

§ 6. — *De imaginatione intellectiva.*

114. *Imaginatio intellectiva* est « potentia, qua humanus spiritus, ex ideis quas possidet, quaeque in eo vel sponte vel data opera excitantur, illas arbitratu suo eligit, quas magis ad rem suam facere existimat, varie illas immutat, amplificat,

---

(1) Hoc associationis principium explicat, cur versus facilius, quam prosa, facilius autem carmina similiter cadentia, quam soluta, memoriae mandentur. *Sicut facilius*, ait Quintilianus, *versus ediscimus, quam prosam orationem; ita prosam vinctam, quam solutam*. Hinc enimvero versus, *technici* dicti; qui tantopere memoriam juvant: ut illi, puta, quibus exponi solent grammaticae regulae; igienica, seu salutaria scholae Salernitanae praecepta; leges syllogismi, de quibus in Logica agemus, etc.

minuit, easque ita disponit, ut totum aliquod, nova scilicet idea, a se quadantenus procreata, exoriatur ». Sic pictor, de quo Horatius sub initium *Artis poëticae*, imaginationis vi, humano capiti cervicem equinam jungit et varias inducit plumas, undique collatis membris, ut turpiter atrum in piscem desinat mulier formosa superne. Item, hypogriphum, sirenem et similia imaginantur poëtae.

Sed imaginationi quoque tribuendum est, si objecta nonnunquam, aedes, ex. gr., templa, hortos, nemora aliaque effingimus, longe illis pulcriora, quae fortasse vidimus aut revera existunt; ut ea quodammodo creare, novam scilicet omnino ideam, ut diximus, nobis conficere videamur (1). Quae postmodum idea, ubi exterius manifestetur, opus quoddam existit, quo vis et copia imaginationis se prodit. Hinc enimvero poësis, musice, pictura, et generatim artes omnes, quas *pulcras* appellant; quibus ad *pulcri* contemplationem maxime evehimur, atque generosis affectibus inflammamur.

115. Imaginatio, uti ex ejus definitione liquet, complexa quaedam facultas est: idearum quippe associationem complectitur, memoriam, abstractionem; acre insuper et intelligens judicium (criterio, discernimento) vel *gustum*, uti vocant, - cum in idearum delectu, tum in earum dispositione -, re-

(1) Unde fit, ut qui magna imaginandi vi pollent, *ingeniosi* nuncupari consueverint (*uomini di genio*) a latino *gignere*: quod nimirum est producere, procreare; quandoquidem aliquid de novo reipsa illi gignere videntur. Probatissimum tamen est, nil aliud proprie nos per imaginationem efficere, quam simul ideas copulare. Idearum quidem complexio, seu totum illud quod inde emergit, novum est; at elementa ex quibus componitur, jam prius extitisse non est dubium, nec nova dici possunt.

Hoc autem idem jam animadvertimus, quum de imaginatione sensitiva sermonem haberemus (n. [illegible]).

quirit. Si enim temere et inordinate haec fiant, abnormis et absurdi ingenii habebis argumentum; et, potiusquam egregium opus: - statuam, ex. gr., vel picturam visu pulcherrimam, quaeque in admirationem nos rapiat -, Horatianum monstrum, quod nuper memoravimus (n. 114), prodire videbis.

Hinc intelligitur, cur tanta in ingenuarum artium professoribus varietas et dissimilitudo inveniatur: elementares namque facultates, ex quibus imaginatio constat (sive id naturae, sive habitui, sive accidentali alii causae tribuendum sit) diversae admodum in diversis hominibus esse possunt. Ex quo fit, ut subtili judicio artibus videndis praeditus, in tabulam pictam oculos conjiciens, non solum ad quamnam, ut dicunt, scholam auctor illius pertineret, notum extemplo habeat, sed auctorem ipsum ab alio quocumque distinguere omnino valeat. Sic Raphaëlis picturam cum pictura Bonarotii, vel Corregii, vel Titiani, vel Leonardi minime confundit; etsi horum quemque ut praestantissimum in suo pingendi genere salutamus (1). At tantam profecto dissimilitudinem in rerum mathematicarum vel naturalium scriptoribus nequicquam requirimus.

CAPUT III.

De sensu spirituali.

116. Ut sensus aliquis existat et, pene dixerim, emergat, duo semper elementa necessaria sunt: *subjectum* videlicet seu principium sentiens (quod simplex esse oportet), et *res* quae ab illo sentia-

(1) *Una*, ad rem Tullius, *ars ratioque picturae; dissimillimi tamen inter se Zeuxis, Aglaophon, Apelles* (De orat.).

tur; haec autem sensus ipsius terminus nuncupari solet, eo quod in illo sensus quadantenus desinit in eumque effunditur.

Jamvero, pro termini seu rei, quae sentitur, diversitate (nam unum semper idemque in homine est principium sentiens, nempe spiritus humanus), diversus quoque in eo sensus existit: *physicus* nimirum (qui externus, corporeus, vel animalis etiam dicitur), si ejus terminus est corpus, materia scilicet extensa (V. n. 12); *spiritualis* autem vel internus, « cujus terminus est ipsum subjectum purum, idest humanus spiritus »; nempe τὸ *ego* (l'*io*).

117. Quod ut plenius intelligatur, animadvertendum est, humanum spiritum duplicem una simul relationem habere: alteram cum essentiali suae intuitionis objecto, cum *ente* scilicet (V. n. 67), quod, dum sese illi manifestat, in quemdam continuum et immanentem actum trahit, eique subsistentiam tribuit; alteram vero cum corpore, cum quo intime conjungitur.

Ex hac porro duplici relatione, tamquam ex collisione quadam vel ictu, duplex in humano spiritu exsilit sensus: alter nimirum, quo corpus idest extensum sentit (sensus *corporeus*), alter vero, quo seipsum suasque modificationes (sensus *spiritualis*): humanus quippe spiritus intuetur ens, atque in ente ipso quod intuetur propriam suam activitatem cognoscitivam inseparabiliter sentit. Bini autem hi sensus in unum, pene dixerim, coëunt; unicum videlicet sensum, nempe του *ego*, vel melius τὸ *ego* ipsum constituunt: quod enim per vocabulum *ego* exprimitur, uti jam alias ani-

madvertimus (n. 73), nil aliud est, quam sensus quidam essentialis et substantialis (1).

118. Complexus hic sensus του *ego* (dell'*io*) sensus *fundamentalis humanus* nuncupari potest; cujus duo sunt modi: sensus nempe *fundamentalis spiritualis*, et sensus *fundamentalis corporeus* (de quo postremo jam superius diximus). Speciales autem horum modificationes seu limitationes, totidem sunt sensus, cum *physici* tum *spirituales*, quibus speciatim homo afficitur.

119. Sed sensuum spiritualium duo genera distinguenda sunt. Quum enim humanus spiritus intellectu et voluntate sit praeditus, quorum ille ad verum, haec autem ad bonum (honestatem) essentialiter tendit; fit, ut sensus spiritualis, *intellectivus* dicatur vel *moralis*, prout objectum,

---

(1) Haec tamen aliquibus animadversionibus illustranda sunt. Vocabulum *ego* non *humanum subjectum* solum exprimit, sed relationem insuper, quam subjectum, - intimi sui sensus, necnon reflexionum suarum vi -, cum seipso habet. Hinc τὸ *ego* (l'*io*) proprie est « principium activum supremum in data quadam natura existens, quatenus suipsius conscientiam habet ». Τὸ *ego* igitur nequit non esse *subjectum intelligens* (V. n. 63). Sed subjectum mere intelligens per se solum τὸ *ego* non constituit; opus est insuper, ut hujusmodi subjectum cum mundo reali communicet, sicque pati et agere possit: *passio* siquidem et *actio* sunt proprietates entium realium; quaeque in sensu originem habent. Secus enim, nullam subjectum illud de seipso conscientiam haberet; sibi omnino ignotum esset; brevi: τὸ *ego* nequaquam existeret. Hoc namque vocabulum, stricte loquendo, identitatem exprimit inter τὸ *ego*, et principium quod τὸ *ego* pronuntiat. Ille videlicet, qui hanc vocem *ego* profert, hac ipsavoce se conscium esse testatur, quamdam inesse activitatem; hanc autem activitatem eam ipsam omnino esse quae loquitur, quae seipsam declarat, quaeque suipsius conscia est. Quum itaque humanum subjectum, per varias suarum facultatum internas operationes, eo pervenit, ut suipsius conscientiam acquirat, tunc solummodo hoc subjectum fit *ego*.

Jam alias animadvertimus (n. 4), τὸ *ego* per seipsum non esse notum, neque illud esse, quod primo nobis compertum sit. Ex his autem quae modo diximus, patet insuper, τὸ *ego* esse quid prorsus *factitium*, neque vere exsistere, quin intelligentiae usus praecedat.

quod hujuscemodi sensum excitat, seu terminus in quo ille desinit, est *verum* vel *bonum;* sive rectius fortasse, prout spiritus humanus activitatem suam intellectualem vel moralem sentit. Sic intellectualis est sensus suavissimus, qui in nobis oritur, ex actuali rerum conceptu et contemplatione, atque ex consecutione veritatis; *moralis* autem, jucundissimus ille, quo perfundimur, sensus ex perceptione boni moralis, vel virtutis cultu.

120. Hinc jam maximum, inter sensus physicos et spirituales, discrimen apparet: priores enim illi rerum cognitionem praecedunt, quinimo cognitionis ipsius stimulus quidam et occasio dicendi sunt; hi, e contrario, intelligentiae et voluntatis explicationem supponunt, atque ab earum exercitio, veluti effectus, dimanant.

Ea autem plane ratione, qua longe animus corpori praestat, multo etiam nobiliores et excellentiores prae physicis sunt sensus spirituales. Quis enimvero, utut exquisitissimas, epicureorum voluptates cum iis comparet, quibus illi perfruuntur, qui menti et animo excolendis totis viribus incumbunt (1)?

121. Quum duplex in homine originarius sit sensus, - animalis et spiritualis -, jam sequitur duplicem quoque, *animalem* scilicet ac *spiritualem*, in eo vitam inesse. *Vita* enim, quam cum sensu arctissime conjungi animadvertimus (n. 17), nil aliud generatim est, quam « continua sensuum productio ».

(1) *Omnes*, ait Tullius, *trahimur et ducimur ad cognitionis et scientiae cupiditatem, in qua excellere pulcrum putamus: labi autem, errare, nescire, decipi, et malum et turpe ducimus* (De off.). Et alio loco: *Nihil est menti hominis luce veritatis dulcius* (Academ.). Item Lactantius: *Nullus suavior animae cibus est, quam cognitio veritatis.*

Quid, vitae animalis nomine veniat, jam diximus. Vita spiritualis, vel, ut S. Augustinus appellat, rationalis, definiri potest « continua sensuum spiritualium seu internorum productio ». Utraque autem haec vita, simul quodammodo conjuncta et ad unitatem redacta, vitam *humanam* constituit.

SECTIO SECUNDA

DE ACTIVIS SPIRITUALIBUS HOMINIS POTENTIIS

122. Spirituales hominis activae potentiae sunt tres: instinctus spiritualis, voluntas et libertas: quae, ut diximus (n. 48), sensui spirituali, intellectui et rationi ordine respondent.

CAPUT I.

De instinctu spirituali.

123. Quemadmodum animal, quum voluptate vel dolore (corporeo) afficitur, in inclinationis vel aversationis actum erumpit, ita subjectum humanum, - ubi spiritualis aliquis sensus, ex gratae cujuspiam rei cognitione in ipso oriatur -, in hanc tendit et inclinat. Unde *instinctus spiritualis* seu *humanus;* qui definiri potest « facultas naturaliter appetendi bona humanae intelligentiae propria »; vel aliter: « activa hominis potentia, quae ipsum ad operationes quasdam impellit, ut internis sensibus satisfaciat, ab quorumdam objectorum cognitione in illo excitis ».

Hinc, dum instinctus physicus ad *corpoream voluptatem* hominem movet, ad *felicitatem* illum

urget instinctus spiritualis. Qui, non secus atque sensus a quo ortum ducit, duplex distinguendus est: *intellectualis* seu *rationalis*, et *moralis*. Prioris generis est propensio ad *scientiam* (1), - quam instinctus ad propriam *excellentiam*, ad *potentiam*, ad *gloriam* atque ad *animi magnitudinem* consequitur (2) - ; necnon ad *societatem*, *amicitiam* etc. Inter instinctus morales ponenda est inclinatio ad *benevolentiam*, ad *honestatem*, ad *justitiam*: sive haec homines, sive Deum respiciat; quo postremo in casu, instinctus *religiosus* dicitur (3).

124. Ab instinctu spirituali affectiones spirituales, sive *affectus* originem ducunt. Qui, licet multiplices, omnes tamen ad *amorem* et *odium* reduci possunt: quilibet enim affectus quid aliud est demum, quam *boni amor*, atque *odium mali?* Hi autem (quemadmodum de affectionibus animalibus dictum est), ubi fines suos praetergrediantur, in *passiones* abeunt: cujusmodi sunt *avaritia*, *invidia*, *contemptus* etc.

Quo autem affectus, si ordinem conservent, in hominis utilitatem vertunt; eo passiones non individuis tantum, verum et ipsi humanae societati quammaximum detrimentum important.

Eadem tandem ratione, qua animales, ita ex

---

(1) *In primisque hominis est propria veri inquisitio atque investigatio* (Cic. *De off.*).

(2) *Huic veri videndi cupiditati adjuncta est appetitio quaedam principatus; ut nemini parere animus bene informatus a natura velit, nisi praecipienti et docenti, aut utilitatis causa juste et legitime imperanti; ex quo animi magnitudo existit* (Cic., *ut sup.*).

(3) Instinctus spiritualis ab sensitivo maxime differt: hominis namque proprius est; a corpore nequaquam pendet; nullis limitibus continetur; nullo non tempore agit. Ejus tandem finis est humanae naturae explicatio atque perfectio. Quapropter instinctu animali multo nobilior atque praestantior est: quippe qui bona spiritualia appetit; intereadum ille ad sensus corporei satisfactionem unice tendit.

actibus repetitis, *habitus spirituales* in homine existunt: quorum alii *intellectuales* sunt, alii vero *morales*. Ad morales tamen habitus nobis comparandos voluntas praesertim confert.

125. Quae cum ita sint, jam patet, quid de Stoicis dicendum, qui, humanos affectus exosi, docent, in id maxime unumquemque nostrum contendere oportere, ut iis vacuum omnino animum faciat (1). Si enim, quum hujuscemodi loquuntur Stoici, in affectus inordinatos ac degeneres, idest passiones, spectant, nae verissima dicunt, nosque cum iis penitus consentientes fatemur. At longe aliter sese res habet, ubi affectus in eorum statu, ut ajunt, normali, nempe ordinatos consideremus. Hi namque, potiusquam hostes, uti Stoicis placet, humani generis amici de eoque optime meriti dicendi sunt; utpote qui hominem excitant, nec socordia torpescere sinunt, unaque ad agendum alacrem, expeditum ac strenuum efficiunt. Profecto, quid magni unquam et praestans, quid humanae societati utile molitus homo esset; quid novi unquam invenisset; quosnam in scientiis et artibus, vel in alio quocumque studiorum genere progressus, sine magna scientiae ac gloriae cupiditate, fecisset? (2)

---

(1) *Zeno*, ait Cicero, *omnibus* (affectibus) *quasi morbis voluit carere sapientem* (Academ.).

(2) « Noctu, idem ait Cicero, ambulabat in publico Themistocles, « quod somnum capere non posset; quaerentibusque respondebat, « Miltiadis tropaeis se e somno suscitari. Cui non sunt auditae Demosthenis vigiliae? qui dolere se ajebat, si quando opificum antelucana victus esset industria. Philosophiae denique ipsius principes « nunquam in suis studiis tantos progressus sine flagranti cupiditate « facere potuissent. Ultimas terras lustrasse Pythagoram, Democritum, Platonem accepimus: ubi enim quid esset, quod disci posset, « veniendum judicaverunt. Num putamus haec fieri sine summo cupiditatis ardore potuisse? » (*Tuscul. disput.*)

Quo autem, amabo, hominum vita redigeretur, dulcissimis mutui amoris et grati animi sensibus ab ea subductis? Quae inter ipsos societas esse posset, ubi amicitiae, benevolentiae, commiserationis affectus demas?

Hoc igitur maxime quidem interest, ut affectus prudenter regantur atque moderentur, ne, fines suos transgressi, in passiones abeant; at ipsos ex animis penitus evellere, sicque hominem apathicum et enervatum ac veluti truncum reddere, - praeterquamquod fieri nullomodo potest (quis enim hominis naturam immutare valeat?) - , in hujus damnum atque perniciem penitus verteret.

CAPUT II.

De voluntate.

126. Altera humanae naturae activa potentia, atque intellectui respondens, est *appetitus rationalis*, seu *voluntas;* quae definitur « facultas agendi propter aliquem finem cognitum » ; vel, « bonum cognitum appetendi » ; vel etiam « interna activitas, qua sese homo ad operationes quasdam, cognito fine, determinat ». Ejus autem actus dicitur *volitio.*

Ex his patet, quantum inter instinctum et voluntatem intersit. In hac porro, hominis personalitas proprie sita est. Quamvis enim et instinctus sit potentia activa, subjectum tamen intelligens illud non est quod operetur *cum* ipsa, sed haec potius *in* subjecto ipso intelligente operatur.

127. Ea est voluntatis natura, ut nulla illi vis externa inferri unquam possit: *voluntarium* quippe et *violentum* omnino pugnantia sunt. At posset

illa necessario ad aliquid determinari; ad actum enim voluntarium nil amplius requiritur, quam finis cognitio. Hinc dupliciter operari potest humana voluntas: *necessario*, vel *libere*. Voluntas scilicet sponte semper agit, libere autem non semper; vel, ut ajunt scholae, libera semper est a *coactione*, non vero semper a *necessitate*.

Constat profecto, hominis voluntatem, usque ad certum tempus, spontaneitatis legi penitus obnoxiam esse; et, nonnisi quadam vitae adventante periodo, libertatem in eo manifestari: quum videlicet ad bonum a malo dignoscendum idoneus fit. Tunc enimvero puer ad aetatem, ut dicunt, *discretionis* pervenit.

CAPUT III.

De libertate.

128. *Libertas*, generatim sumpta, est immunitas a servitute; vel, quemadmodum ait Seneca, *nulli rei servire, nulli necessitati* (Epist. XLVII); totque modis distinguitur, quot sunt servitutis genera.

Stricte tamen et prout hic a nobis accipitur, *libertas*, seu *liberum arbitrium*, est « facultas, qua homo pollet sese determinandi inter volitiones oppositas »; *oppositae* autem dicuntur volitiones, quae ad bona diversae speciei referuntur. Quapropter in actu simplicissimo, quo homo inter bonum et malum, vel clarius, inter *subjectivum* et *objectivum* eligit; seu, coram bonis diversae speciei, - quae illum sollicitant atque hinc et illinc trahere conantur - , ad hoc potiusquam illud volendum sese determinat, proprie sita est essentia libertatis; quae *bilateralis* etiam dicitur vel *meritoria*, quippequae

meriti moralis fons est; atque a libertate simplicis *electionis* distinguitur, quae bona respicit ejusdem speciei.

129. Hinc discrimen apparet inter voluntatem generatim sumptam et voluntatem liberam: voluntas quippe magis patet quam libertas. Illa dici potest « facultas volitionum »; haec autem, « facultas volitiones determinandi ».

Libertatis igitur proprium et naturale est, ut caeteras hominis facultates regat et moderetur. Quanquam interdum, et crebro etiam, contingit, ut vires inferiores in illam rebellent, ejusque exercitio impedimento sint.

130. Hominis libertas multos quovis tempore adversarios passa est; inter quos potissimum *fatalistae:* ita dicti, quod omnia hisce in terris, propterea que et animi nostri volitiones caeco atque ineluctabili *fato*, idest necessitate, abripi et obstringi opinantur. Qua tamen de re generatim animadvertendum est, quae in libertatem a fatalistis objiciuntur, inde utplurimum oriri, quod externum libertatis exercitium cum libertate ipsa confundant: quae, ut vidimus, est quid homini omnino internum.

131. Sed hominem libertate praeditum esse, luculenter unicuique conscientia testatur. Haec quippe docet, sicuti a nostra voluntate nequaquam pendet, datis in adjunctis, sentire vel non sentire, veritatem intueri vel non; in nobis e contrario omnino esse positum, aliquid velle aut nolle, ad hoc vel illud bonum amplectendum voluntatem nostram determinare (1).

(1) *Sentit animus*, inquit Tullius, *se moveri; quod cum sentit, illud una sentit, se vi sua, non aliena moveri* (Tuscul. disp.).

At de libertate disserere ad *Ethicam* proprie spectat. De hac nihilominus pauca cursim hic nobis dicenda visa sunt, tum ut de natura hominis spirituali absoluta esset tractatio, tum praesertim, quod hominis libertas, uti in *Metaphysica* videbimus, ad animae humanae spiritualitatem demonstrandam, firmissimum argumentum nobis suppeditat.

CAPUT IV.

Condillaci doctrina de animae humanae potentiis, in eamque animadversio.

132. Qui humani spiritus potentiis studet, intimas earum relationes et nexus, sed una differentias investigare debet. Philosophi autem est, easdem ad paucas et simpliciores, quod fieri potest, reducere, in quibus caeterae contineantur. At cavendum, ne, simplicitatis amore nimium illecti, spiritu systematis abrepti atque imaginationi plus aequo indulgentes, eam, inter humanas potentias, naturae communionem et similitudinem inesse affirmemus, quae revera non sit: quod mehercule Condillaco contigisse constat. Qui omnes humani spiritus facultates, cum *intellectuales* tum *morales*, in physicam sensibilitatem concludere conatus est; qui attentionem, memoriam, judicium, voluntatem.... ut totidem habet vis sentiendi transformationes; cui, uno verbo, *intelligere* ac *velle* nil aliud est quam *sentire* (1).

133. Atqui facultates animales, intellectivae et morales, quibus homo gaudet, etsi in uno eodem-

(1) Idem autem jamdiu docuit Thomas Campanella: *Sentire*, ait ipse, *est scire*.

que subjecto existunt, *irreductibiles* tamen sunt, quippe naturâ dissimiles atque omnino diversae. Frustra igitur Condillacus ad physicam sensibilitatem reduci omnes posse contendit.

Et primo quidem, essentiale, ut vidimus (n. 72), inter perceptionem *sensitivam* et *intellectualem* est discrimen.

Nil itidem sensus cum *judicandi* facultate commune habet. Aliud enim est duo objecta, vel melius, duorum objectorum actionem in nobis factam, uno eodemque tempore sentire; aliud autem ea simul objecta conferre, et de eorum relatione decernere. Quaelibet imo peculiaris sensatio totam ad se nititur animi attentionem rapere; dum judicandi facultas illam quodammodo aequabiliter distribuit inter subjectum et praedicatum, ut ex eorum comparatione judicium manare possit.

Quod autem de judicio diximus, potiori jure de *ratiocinio* dicendum est: ratiocinium quippe ex pluribus judiciis conflatur.

134. Ad activas vero potentias quod attinet, quaenam, quaeso, inter sensibilitatem et *voluntatem* est ratio? nonne tunc praesertim vis voluntatis elucet, quum haec sensibilitati obsistit? Ergone sensum, victorem una et victum dixeris?

Nequit igitur sensatio in *attentionem* (intellectivam) converti: quum enim homo sentit, patitur; agit vero, quum attendit. Quis porro affirmare ausus fuerit, *activitatem*, quemadmodum egregie animadvertit Laromiguierus, quamdam *passivitatis* transformationem esse (1)?

(1) Quum itaque Condillacus attentionem ad sensationem reducit, attentionem proprie dictam, seu intellectualem, cum sensitiva confundit; quae plane differunt inter se (V. n. 78).

Neque aliter, quod ad *memoriam* spectat, dicendum: quî enim haec potest cum sensibilitate confundi (1)? Quandoquidem voluptatem vel dolorem aliquem recordari, aliud prorsus est ac praesentem experiri. Ecquis nescit, praeteritorum temporum felicium recordatione, praesentes aerumnas et calamitates augeri utplurimum atque acriores fieri (2)? Contra vero, qui jam vitae integer scelerisque purus est, animo quam maxime angitur ac dolet, quum libidines aç voluptates, quibus jamdiu constringeretur, illius mentem subeunt (3).

135. Hujusmodi Condillaci doctrinae, utpotequae ad *sensum*, quidquid in homine intellectivum et morale est, revocare nititur, nomen est *sensismus*. De quo iterum in Ideologia mox erit dicendum (4).

(1) Hinc optime Cusinus, de Condillaci doctrina loquens: « Le seul fait, inquit, de la mémoire volontaire détruit donc cette doctrine de fond en comble » (*Cours de 1818*).

(2) *Nihil est*, ait Cicero, *tam miserabile, quam ex beato miser* (Partit. orat.). Item, Severinus Boëtius: *Nec inficiari possum prosperitatis meae velocissimum cursum. Sed hoc est, quod recolentem me vehementius coquit. Nam in omni adversitate fortunae infelicissimum genus est infortunii, fuisse felicem* (De consol. philos.).

(3) Hoc de se ipso sic testatur S. Augustinus: *De turpibus gaudio quodam perfusus sum, quod nunc recordans detestor atque exsecror; aliquando de bonis et honestis, quod desiderans recolo, tametsi forte non adsunt, et ideo tristis gaudium pristinum recolo* (Confess.).

(4) Sunt qui homini, praeter facultatem sentiendi, aliam quoque naturâ diversam facultatem tribuere videntur; quorum tamen doctrinam si intimius inspicias, nullomodo a sensismo abhorrentem deprehendes. Sic Lockius docet, *sensationem* et *reflexionem* binos quodammodo fontes esse, ex quibus ideae omnes fluunt, quas habemus vel habere naturaliter possumus. At *reflexio*, prout a Lockio intelligitur, nil prorsus adjicit sensationi, in iisque tantum se exercet quae sensatio ipsa suppeditat; ex quo patet, ab hac reapse minime distingui: quod mox eius discipulus Condillacus adamussim demonstravit. Qui proinde, reflexione Lockiana, utpote inutili, dimissa, humanas omnes facultates, ut vidimus, ad unam sensibilitatem physicam

II.

IDEOLOGIA

136. *Ideologia* est « sermo vel doctrina de ideis »: in humanae scilicet cognitionis seu idearum natura, in variis eorumdem speciebus, necnon origine inquirit.

Primum igitur idearum natura probe dispicienda est, earum analysis instituenda, videndum quibus constent elementis, in quasnam classes et species distinguendae, antequam ad earum originem explicandam progredimur. Profecto, idearum originem explicare nil aliud est, nisi causam sufficientem afferre, unde illae ortum ducant. At quî id rite fieri poterit, ubi quid sint ideae compertum prius non sit (1)?

CAPUT I.

De idearum natura.

137. Ut veram idearum naturam plane perspectam habeamus, in mentem revocare opus est (V. n. 74), intellectualem rei alicujus perceptionem duo elementa complecti, idest quemdam rei ipsius *conceptum*, et una persuasionem seu tacitum *ju-*

---

seu animalem reduxit. Hinc merito Lockius, *sensismi* nostrae aetatis, a melioris notae philosophis veluti *parens* habetur.

Similiter Helvetius duas homini ad cogitandum necessarias facultates tribuit: *sensibilitatem physicam* nempe et *memoriam;* quae tamen ab se invicem essentialiter non distinguuntur. Helvetii enim sententià, una sensibilitas omnes ideas nostras gignit: « La sensibilité seule produit toutes nos idées ».

(1) Hinc liquet, cur Lockius, qui de ideis disquisitionem ab earum origine exorsus est, a veritate quam longissime aberraverit: non enim in accurata factorum observatione, sed in mera hypothesi ideologicum suum systema totum construxit.

dicium, quo affirmamus sive cogitamus, rem conceptam actu existere (subsistere) (1).

Jamvero, si in hujusmodi perceptione, ab rei subsistentia abstrahimus, non omnis profecto evanescit de illa re cogitatio, sed simplex remanet in mente nostra conceptus seu apprehensio rei, non jam subsistentis, sed tantum possibilis. Hic porro conceptus *idea* nominatur. Ex quo manifestum est rei alicujus *perceptionem*, meram ac simplicem ejus *ideam*, - si tempus consideretur, quo haec primum se prodit, nempe in ordine, ut dicunt, *chronologico* -, necessario praecedere. At in ordine *logico*, - ratione nimirum habita ad ideae naturam -, perceptio ideam subsequitur: elementa enim, ex quibus res aliqua componitur, ipsi rei, cogitatione saltem, praegredi necesse est.

138. Quare actus, quo mens rem aliquam *percipit*, alius est ab eo, quo simpliciter rem *concipit* vel apprehendit. Perceptionis ope mens affirmat seu cogitat rem tamquam actu existentem; unde *perceptio* definitur « cogitatio rei subsistentis ». Ope vero ideae, rem uti possibilem cogitat. Quapropter idea definiri potest « cogitatio rei possibilis »; vel: « intuitio possibilitatis rei alicujus » (2).

At enim, nonne completam atque absolutam ideam rei habere possum, quin tamen hanc revera existere affirmem? Ex quo maximi momenti consectarium ducimus, ad ideam videlicet consti-

---

(1) *Ad cognitionem*, inquit S. Thomas, *duo concurrere oportet, scilicet apprehensionem et judicium de re apprehensa* (De verit.). Rei namque conceptus vel *idea* (quam S. Thomas apprehensionem appellat) adnexa *judicio*, intellectualem rei *perceptionem* (cognitionem) constituit.

(2) Duplex itaque cognitio: quarum altera (conceptio) per *intuitionem* fit; altera vero (perceptio) per *affirmationem*.

tuendam, nil omnino conferre judicium de subsistentia rei per ideam conceptae; ideoque subsistentiam esse elementum ab idea prorsus alienum, neque ad ejus naturam ullomodo pertinens (1).

139. Illud quod mens cogitat, ejus *objectum* nuncupatur: quasi dicas id, quod menti objicitur contemplandum. Quare objectum perceptionis est res *actu existens* (subsistens); objectum ideae est res mere *possibilis*. Perceptionis ope rem cogito, et una iudico rem cogitatam actu existere. Per ideam contra, rem simpliciter cogito seu concipio in seipsa, quatenus nimirum concipi potest, quin aliquid de ea affirmem vel negem. Quod igitur ideam constituit, est res seu *objectum*, quod tamquam possibile cogitatur.

140. Quum itaque *rei* alicujus *ideam* dicimus, etsi duo inter se distincta elementa (rem nimirum et ideam) ponere videmur, aliter tamen est. Unum tantum est objectum in cogitatione rei possibilis, sed duplicem habens relationem. Si objectum in seipso consideretur, dicitur *res concepta* sive essentia; si respectu ad mentem, vocatur *idea*. Quae idcirco nil aliud est, quam *res possibilis*, vel *exemplar*, secundum quod ens intelligens cogitat et operatur. Quapropter accuratius *idea* definiri potest « intelligibilis rei essentia »; vel *intelligibilitas* ipsa, seu *cognoscibilitas* rei. Idea igitur essentiâ et naturâ suâ *objectiva* est, vel potius, ut vidimus (n. 139), ipsum mentis *objectum* (1); sub alio autem respectu, est cognoscendi *forma* et *instrumentum* (2).

(1) *In re vera et actuali*, ait Kantius, *non plus positum est, quam in re mere possibili: siquidem omnes determinationes et universa praedicata rei actualis etiam in sola illius possibilitate possunt inveniri.*

Hinc aliud proprie est *idea*, aliud vero *cogitatio* et *cognitio*. Quum enim idea illud sit, per quod res cognoscimus, jam sequitur, cum a nostro spiritu, tum a quacumque ejus operatione distingui (3). Quanquam haud inficiamur, idea sublata, quae est essentiale cogitationis objectum, eo ipso cogitationem omnem et cognitionem evanescere; et in qualibet idea cognitionem aliquam semper includi. Ex quo fit, ut cognitio, et ejus objectum sive idea, nonnisi per mentis abstractio-

(1) Jam superius (n. 63, nota 2), de ordine subjectivo et objectivo mentio facta est. Ordo autem subjectivus vocatur etiam *metaphysicus*, *realis*, *ontologicus*, vel *rerum subsistentium*; objectivus vero, *logicus* vel *idealis*. Objectum enim id tantum proprie dici potest, quod menti objicitur contemplandum seu intelligendum (res objecta subjecto). Ea porro solum a mente intelligi possunt, quae sunt per se intelligibilia, quae nempe in ordine mere ideali comprehenduntur, idest ideae; subsistentia vero, seu quae ad ordinem subjectivum pertinent, *per se* objecta non sunt, sed solum per *participationem*. Haec namque per se non sunt intelligibilia, sed ope tantum idearum cognoscuntur, quae vere sunt lumina mentalia et cognoscendi instrumenta. Quapropter nonnisi mens sive intellectus proprie dicitur objectum habere, ad quod sese convertit; sensui nullum est objectum, sed terminus tantum vel materia. Quod si alias sensuum objecta memoravimus (n. 26-27), communem tunc loquendi usum sequuti nos sumus, penes quem latissima significatione vox *objectum* gaudet.

Quanquam verissimum est, *sensus objectum* stricte nominari etiam posse, si hoc ita accipimus, non quatenus simpliciter sentimus (nam, ut tale, a subjecto ipso sentiente nequaquam distinguitur), sed quatenus exinde per intellectum illud cognoscimus. Neque aliter profecto et in communi hominum sermone hoc verbum *objectum* intelligi putandum est. Nomina enim nonnisi rebus aliquatenus cognitis applicari solent. Quum igitur immediatum sensus alicujus objectum nominant, illud profecto innuere volunt, quod immediate et proxime afficit sensum; haud tamen quatenus simpliciter sentitur (quo in casu nomine omnino caret) sed potius prout quampiam cum intelligentia jam induit relationem, idest aliquo modo intelligitur.

(2) « Nella *percezione*, ait Rosminius, entra l' idea dell'essere come forma e mezzo del conoscere; nell' *intuizione* all' incontro ella entra puramente come oggetto » (*Logica*).

(3) « Si distingua sempre fra l'*idea* in sè stessa, e l'*intuizione* accidentale che noi ne abbiamo » (Rosminius, *Il Rinnovamento* ecc.).

nem sejungi possint. Quapropter indiscriminatim et promiscue vocabula *idea* et *cognitio* adhiberi solent; quem loquendi usum (ubi nullus errori sit locus) et nos libenter sequimur.

141. Idea, ut vidimus, est res in mera sua possibilitate, - *possibile* autem idem est ac *cogitabile* (1). Idea igitur naturâ suâ universalis est; *universalis* quippe dicitur idea, quatenus per ipsam infinita individua similia mens sibi deinceps repraesentare potest: quatenus nempe idea quaelibet est quoddam veluti exemplar vel typus, ad quem infinita objecta similia possunt effingi (2).

Sed id omnino advertendum est, hanc universalitatem vere in idea tum etiam inesse, quum haec ad perceptionem, tamquam ejus elementum, pertinet; nequit enim ab idea essentialis ejus character unquam abesse. At in perceptione, hujusmodi universalitas nequaquam apparet; namque idea hoc in casu nonnisi in peculiari sua relatione ad objectum sensu perceptum consideratur. Ex quo fit, ut, quum a perceptione ideam abstrahimus, ut hanc seorsum perpendere possimus, ei

---

(1) Possibile, de quo hic loquimur, est possibile *absolutum* (incondizionato); eique opponitur id quod concipi et cogitari nequit, nempe absurdum, contradictorium, quodque *impossibile absolutum* etiam dicitur.

Sed et aliae sunt impossibilitatis species, quae *relativae* vel hypotheticae vocantur. Cujusmodi, v. gr., hae sunt: « Fieri nequit (impossibile est) ut gravia terrestria, sibi ipsis permissa, tellurem versus non ruant motu uniformiter accelerato ». — « Impossibile est, parentem sanae mentis probum filium scienter interficere ». Aliquando autem, in vulgari praesertim sermone, *impossibile* dicitur, quod valde *improbabile* est.

(2) Quod et ipsa vocabuli etymologia satis ostendit: idea enim a graeco εἴδω dicta est, quod latinis est *video*: quasi id quod mente intuemur, et in faciendo imitamur ac sequimur. *Idea*, ad Platonis mentem scribit Seneca, *est eorum, quae natura fiunt, exemplar aeternum* (Epist. LVIII).

videamur universalitatem tribuere. En cur hujuscemodi abstractio, *universalizzatio* dicta est (V. n. 86). At si jam prius universalis non fuisset idea, quomodo, ab ea judicium de rei subsistentia simpliciter abstrahendo, talis effici potuisset? resne augeri dicenda est, quum aliquid ab ea detrahimus? Atqui *abstrahere* est tollere, auferre; *universalizzare* contra, augere, amplificare.

CAPUT II.

De idearum speciebus.

142. Vera jam ideae natura et essentia constituta, quae in ejus *objectivitate* et *universalitate* omnino continetur (V. n. 140-41), de praecipuis idearum speciebus disserendum nobis est.

Qua de re in primis animadvertimus, humanas omnes *intellectiones* (quo nomine quemlibet generatim mentis nostrae actum complectimur, quicumque illius terminus sit) ad tres classes revocari posse: ad perceptionem scilicet intellectualem, ideam et idearum modos. Hinc tres quoque sunt classes, in quibus ideae omnes comprehenduntur: suntque *ideae* proprie dictae, ideae *abstractae* et *complexae*. Commode etiam dividi possent ideae in ideas *rerum*, et *relationum* inter res. Nobis tamen paullo amplius et minutatim hoc argumentum pertractare in animo est, et per praecipuas saltem (praeter eas quas passim, quum de humani spiritus potentiis sermo esset, dudum innuimus) idearum species discurrere.

143. Et 1.° quidem, idea est *innata*, vel *facti-*

tia (quam postremam, *adventitiam* etiam appellant): prout nobis a natura ipsa tradita et quodammodo impressa est; vel usu et exercitio facultatum nostrarum acquisita.

144. 2.° *Determinata*, si objectum quoquomodo determinatum et limitibus circumscriptum exhibeat; si nullis omnino terminis definitum, *indeterminata* : cujusmodi exclusive est idea entis.

145. 3.° *Positiva*, quae ex ipsa intellectuali rei perceptione obtinetur; *negativa*, si rem per quamdam solum, vel naturalem vel fortuitam, relationem cognoscimus (V. n. 76). Sic positiva est idea hominis cujuspiam, animantis, floris etc., a me intellective percepti; negativa, e contrario, idea artificis, quem nunquam fortasse vidi, interim vero existere pro certo mihi demonstrat tabula ejus picta, quam prae oculis habeo (unde illud : «Opus artificem probat»); et generatim idea causae, cujus existentiam ex ejus effectibus unice deducimus. Quamobrem idea Dei, quem, uti videbimus in Metaphysica, ab ejus tantum operibus nobis nosse datum est, inter ideas negativas enumerari debet (1).

146. 4.° *Pura, formalis, transcendentalis*, vel *a priori* dicitur idea, quae nil continet, quod a sensu, externo vel interno, exhibitum sit; *non-pura*, *mixta, materiata, a posteriori*, quae, ut formetur, aliquid recipit et quasi mutuatur a sensu. Hinc ideae veri, justi, possibilitatis, necessitatis et aliae hujuscemodi sunt purae; materiatae

---

(1) Facultas, cujus ope ideas negativas conficimus, *integratrix* appellari potest: « Facultas nimirum, qua homo connititur, ut perceptiones suas *integras* reddat, eas nempe absolvat perficiatque ».

vero seu mixtae, ideae rosae, equi, hominis, libertatis, virtutis etc.

147. 5.° *Simplex* sive elementaris est idea, quae in plures, eosque distinctos, conceptus resolvi nequit: idea, ex. gr., veri, unitatis,.... coloris, saporis et similium. *Complexa*, quae ex aliarum idearum conjunctione seu synthesi oritur; in quas proinde, per analysim, potest resolvi (V. n. 83). Talis est idea hominis, virtutis, urbis etc.

148. 6.° *Concreta* (quam melius fortasse *plenam* vel *integram* diceres) est idea, quae objectum repraesentat in omnibus suis partibus : per quam nimirum res concipitur, quatenus omnibus cognoscibilibus suis qualitatibus est praedita ; hujusmodi sunt ideae omnes, quas per intellectualem perceptionem seu synthesim primitivam nobis comparamus. *Abstracta*, quae vi abstractionis efficitur: quae videlicet partem tantum objecti repraesentat (V. n. 87).

Hic tamen juvat animadvertere, ideas, cum abstractas, tum complexas (de quibus in num. praeced.), idearum potius *modos*, quam *ideas* appellandas esse : illae namque, idearum *partes;* hae autem, determinatus *complexus* idearum sunt.

149. 7.° Idea *singularis* ea dicitur, quae ens individuum ; *generalis* vero, quae entium collectionem seu classem repraesentat. Quae postrema, - prout ejus objectum est species, aut genus -, *specifica*, vel *generica* nominatur.

Quo tamen plenius haec idearum divisio intelligi possit, aliqua de individuo, specie et genere praemittenda sunt.

150. *Individuum* dicitur « ens, quatenus est unicum, indivisibile, incommunicabile, atque ab

aliis omnibus distinctum » (1). Hoc autem vel *reale*, vel *ideale* esse potest.

Verum tamen individuum nonnisi in ordine entis realis invenitur: principium enim individuationis est ipsa *realitas* entis. Quod Aquinatis doctrinae omnino consentaneum est; cujus sententiâ, *omne subsistens* (idest reale) *est tantum unum numero* (2). Sic revera existit homo individuus; item, datum animal, arbor, flos, mons etc., existunt: quae totidem individua sunt. Ex quo fit, ut perceptio intellectualis ideas individuorum tantummodo nobis praebeat; nunquam vero ideam, ex. gr., hominis generatim considerati (*dell'uomo*); quemadmodum neque ideam generalem animantis, arboris et similium (V. n. 88). Quae quanti momenti sint, nemo non videt; quandoquidem eisdem passim in nostris sermonibus utimur, iisque potissima cognitionum nostrarum pars continetur.

151. Jam porro quaerenti, quî ideae generales in nobis exsistant? respondemus, humanam mentem, hac ferme ratione, illas, abstractionis ope, formare:

Individuum quodlibet, - praeter id quod illi est proprium, per quod nimirum est id quod est atque ab alio ente quocumque distinguitur -, quasdam insuper qualitates cum aliis individuis communes seu similes habet. Hujusmodi porro individua, si (ab eo, quod cujusque proprium est, ab-

(1) *Individuum est*, inquit S. Thomas, *quod est in se indistinctum, ab aliis vero distinctum.*

(2) Proprie et stricte loquendo, vera individua sunt tantum principia sentientia, et principia intellectiva. Quanquam, abusive, vel ipsa entia quae ratione et sensu carent, inter individua adnumerari consueverunt.

stractione facta) sub hoc solum respectu consideremus, quatenus communibus qualitatibus gaudent, indefinitam entium collectionem seu classem nobis componimus. Idea, cujus objectum est aliqua rerum classis; vel, si mavis, quae individuum repraesentat, quatenus qualitates habet cum aliis individuis communes, dicitur *generalis;* cujusmodi est idea *hominis*, *pyri* etc. (1).

152. Quod si, duabus vel pluribus hujuscemodi entium classibus simul collectis, id solum animadvertamus quod illis commune est, ceteris praetermissis quae uniuscujusque sunt propria, ampliorem formamus classem, quae illas sub se complectitur. Hinc generalior quoque erit idea hanc classem repraesentans. Talis, ex. gr., est idea *animantis* prae idea hominis; idea *arboris*, si ideae pyri conferatur, etc.

Ita porro progredientes, facile constat, ad omnium latissimam classem pervenire nos posse, in qua caeterae continentur; proindeque ad ideam omnium generalissimam, quae ideas omnes in se quodammodo comprehendit. Hujusmodi est idea *entis* in universum, seu universalis idea *existentiae*. Haec enim qualitas, - *entitas* nimirum vel *existentia* - , omnibus omnino rebus communis est.

153. Hic tamen optimum ducimus animadvertere, datis pluribus entium classibus, quarum aliae alias complectuntur, *speciem* vulgo appellari, quae in alia continetur; hanc autem, comparate ad illam, *genus*. Quare una eademque classis et

(1) Hinc discrimen apparet inter ideam *generalem*, et ideam *complexam* (de qua, n. 147). Illa repraesentat quod objecta, numero indefinita, commune inter se habent; haec vero determinatum objectorum numerum.

species et genus esse potest, prout ad se ampliorem, vel minus extensam classem refertur (1). Sic *triangulum* est species polygoni; est autem genus, ratione ad diversas triangulorum species: *aequilaterum*, *isoscele* etc.

Quanquam, proprie loquendo, *species* dicenda est classis, quae nonnisi individua seu entia singularia continet; *genus* vero illa, quae alias classes comprehendit. Sub hoc respectu, genera seriem componunt, in qua alia aliis subjecta sunt. Genus *supremum* dicitur, quod nullum aliud supra se habet (hujusmodi porro est *ens;* quod imo, ut S. Bonaventurae verbis utamur, *extra omne genus* positum est); *infimum* illud, quod immediate seu proxime continet speciem: unde *proximum* etiam appellari consuevit. Quae autem inter supremum et infimum sunt, vocantur genera *intermedia*.

Idea, uti jam paullo ante innuimus (n. 149), quae speciem repraesentat, *specifica* dicitur; quae vero genus, *generica*.

154. Ex his manifesto sequitur, ideam *specificam* unice et proprie ideam rei nuncupandam esse: quam enim Graeci *ideam* dicunt, *nos recte*, inquit Cicero, *speciem possumus dicere*. Species namque ab *inspicio* dicta est (apud veteres *specio*), quemadmodum idea a graeco εἴδω (video). Profecto ideam specificam seu speciem immediate nobis comparamus, quum intellective aliquid percipimus; intereadum ideam generalem per abstra-

(1) ***Genus est***, inquit Cicero, ***quod plures partes*** (species) ***amplectitur, ut animal; pars est, quae subest generi, ut equus. Sed saepe eadem res alii genus, alii pars est; nam homo animalis pars est, Thebani aut Trojani genus*** (De invent. rhet.).

ctionem obtinemus. Atqui idea abstracta, non proprie idea, sed tantum ideae pars (V. n. 148); vel etiam, *idea elementaris* illius ideae a qua fuit abstracta, dicenda est (1).

155. Quid igitur, quis fortasse requiret, de idea dicemus, quae individuum repraesentat? Nonne *singularis* vel *individualis* appellanda videtur?

(1) Sed hic quaeri potest, quaenam proprie illa sit idea, quae rei speciem constituit?

Huic percontationi ut satisfiat, animadvertendum est, quum primo singulare aliquod et determinatum objectum percipimus, admodum incompletam et imperfectam de illo notionem nos acquirere: nulla quippe res subsistit, quae plus minusve imperfecta et vitiis deformata non sit. At enim, nonne possumus hanc ipsam rem tanquam numeris omnibus absolutam concipere, omnibus ab ea imperfectionibus per abstractionem remotis? Tunc nimirum rei ipsius archetypum vel exemplar perfectum nobis conficimus, id nempe quod Itali ***l'ideale d'una cosa*** egregie appellant. Sic illud crebro audire est: ***L'ideale dell'uomo; — L'uomo perfetto; — L'uomo per eccellenza; — Il tipo dell'uomo;*** quae omnes dictiones adamussim respondent ideae hominis, quam specificam-perfectam dicimus. Haec porro absoluta et perfectissima rei idea, ea est quae ***speciem*** constituit: atque ad illam aliae omnes reducuntur, quae illud ipsum objectum exhibent in quocumque imperfectionis gradu. Ex hoc fit, ut ideae, quae diversa individua ejusdem speciei repraesentant, ideae diversae, proprie loquendo, non sint, sed potius eadem semper idea *specifica-perfecta* modificata, variis nimirum modis accidentaliter affecta. Quod si hanc ideam specificam-perfectam nobis comparare non licet (id enim, si tamen fieri potest, admodum difficile est, nec certe omnibus datum), tanquam rei exemplar et typum illam assumimus ideam, quae minus a perfectione distat. In hoc autem delectu, bonarum artium cultores praesertim excellunt (V. n. 114-15), in eoque ingenium et vim mentis ostendunt. *Itaque*, ad rem nostram Cicero, ***Phidiae simulacris, quibus nihil in illo genere perfectius videmus,.... cogitare tamen possumus pulcriora. Nec vero ille artifex, quum faceret Jovis formam aut Minervae, contemplabatur aliquem, a quo similitudinem duceret; sed ipsius in mente insidebat*** SPECIES ***pulcritudinis*** EXIMIA ***quaedam, quam intuens, in eaque defixus, ad illius similitudinem artem et manum dirigebat*** (Orat.).

Triplex itaque rei alicujus idea distingui potest: *specifica-perfecta; specifica-abstracta; specifica-imperfecta*. Hoc autem ordine inter se cohaerent hujusmodi ideae, si secundum earum *naturam* considerentur. At ordo ipsarum *chronologicus*, ut vocant, idest ratione temporis quo acquiruntur, omnino inversus est. Primum enim ideam rei acquirimus specificam imperfectam; deinde specificam abstractam efficimus; ad specificam denique perfectam, si fieri potest, pervenire contendimus.

Respondemus, *individuum* ab ejus *idea* distinguendum esse: illud quidem aliquid reale proindeque singulare necessario est; haec contra nonnisi improprie et abusive singularis et individualis nuncupari potest. Nam etiam idea, quae individuum omnino determinatum et completum refert, puta idea *Platonis*, vere proprieque in se spectata, non secus ac quaelibet alia, universalis est: quippequae objectum suum in mero possibilitatis statu repraesentat, quodque propterea indefinite repeti atque iterari potest. Hinc idea Platonis, - quemadmodum et alius cujuscumque humani individui - , nil aliud tandem est, quam ipsa idea hominis typica seu specifica-perfecta, nonnullis ab ea detractis (1). Idem autem et de ideis specificis *equi*, *canis* etc. dicendum est. Quae, ubi haec vel illa adjuncta et accidentia eisdem detrahas, cuilibet datae speciei individuo repraesentando idoneae fiunt.

156. Ex dictis manifestum est, ita simul connexas esse ideas, ut aliae sub aliis contineantur. Sic idea generica (genus) ideam specificam (speciem) sub se habet. Jamvero idea, quae aliam sub se continet, hac magis extensa sive superior est; quae autem in ea continetur, inferior. Quapropter genus est specie superius. At si alio sub adspectu res consideretur, genus in specie con-

---

(1) Per ideam igitur hominis typicam, *homo* concipitur, numeris omnibus absolutus omnibusque suis partibus expletus. Quare hujusmodi idea in se quodammodo et virtualiter ideas complectitur hominum omnium, seu omnes homines repraesentat, qui sunt, aut fuerint, aut esse possunt: ab Apolline, v. gr., vel Phaone ad Thersitem usque; ab doctissimo mortalium et disciplinarum omnium atque artium scientissimo, ad ineptissimum et rerum omnium ignarum; ab integerrimo et omnigena virtute atque sanctitate insigni, ad hominum flagitiosissimum omnique vitiorum genere atque turpitudine foedatum.

tineri patebit (V. n. 153). Re enimvera, nonne ex idea *equi*, v. gr., ideam *animantis*, per abstractionem, eruimus? Idea igitur animantis ideae equi pars quodammodo dicenda est: nemo quippe equum cogitare potest, quin et animal (implicite, ut dicunt) una cogitet (1). Quae omnia ita enuntiari possunt: Idea superior plures notiones *sub se* continet, *in se* autem pauciores; inferior contra, numero minores *sub se*, majores vero *in se* notiones complectitur.

157. Quibus positis, quid comprehensio et extensio idearum sibi velint, nullo negotio intelligitur (2).

Comprehensio (vel, uti etiam vocant, *quantitas intensiva*) ideae alicujus dicitur « complexio idearum omnium specialium, quae in ipsa, ceu totidem ejus notae et determinationes, includuntur ». *Extensio* vero (vel *quantitas extensiva*) est « complexio idearum, quas idea ipsa *sub se* complectitur »; seu, ut vulgo definiri solet, « totalitas entium sive objectorum, quibus idea convenit »: ad quae propterea quadantenus extenditur. Sic conceptus animalitatis, intelligentiae et voluntatis, ideae hominis *comprehensionem;* universa autem humana individua, cum existentia tum possibilia, ejusdem *extensionem* efficiunt (3).

---

(1) Quod jam, in sua *Metaphysica*, animadvertit Aristoteles: «Genus, ait, sub quodam respectu, pars dicitur speciei; sub alio vero, species generis pars». Idem autem et Cicero (V. n. [illegible], nota).

(2) Brevi: idea quaelibet conceptus superiores *in se*; *sub se* autem inferiores continet. Unde fit, ut idea, quo plus idearum *sub se* et minus *in se* habet, tanto extensior sit; minus, e contrario, extensa, quo pauciores *sub se*, et *in se* plures comprehendit.

(3) Totalitas comprehensiva a Latinis exprimitur per vocabulum, *totum;* extensiva vero per verbum, *omne*. Aliud porro est, ex. gr., dicere *totus homo;* aliud, *omnis homo*. Hinc, quod vere de idea affirmari

Ea proinde est comprehensionis et extensionis natura, ut, si una augetur aut minuitur, minuatur altera vel augeatur; hae nimirum sunt inter se *in ratione*, ut dicunt, *inversa:* uti ferme se habet valor fractionis ad ejus denominatorem. Hinc ideae, in quibus major est comprehensio, minore gaudent extensione: ad objectorum scilicet classes numero minores extenduntur; et vicissim. Quapropter idea, cujus comprehensio est minima, maximam extensionem habet; cujusmodi est idea *entis:* quae omnium simplicissima et una simul universalissima est.

158. Quid ideae generalis nomine veniat, superius diximus. Jamvero de idearum generalium natura disputantes philosophi, in diversas abierunt sententias. Horum alii docent, in rebus, praeter id quod illis est proprium, aliquid commune seu generale revera inesse; idest genera et species, seu, quemadmodum illi vocant, *formae substantiales, naturae universales*, vel saepius *universalia* (quae sunt idearum generalium objecta) totidem esse realitates: realem videlicet ac physicam exsistentiam extra mentem nostram habere. Alii contra, non solum id negant, sed et idearum generalium existentiam in humana mente inficiantur; atque universalia voces tantummodo et mera nomina esse contendunt, quibus nec res nec ideae respondent.

Illi *Reales;* hi *Nominales* dicti sunt. Quam vero acerrime hac de re et hostili animo hinc et inde

---

potest, si ad ejus extensionem ratio habeatur, non utique verum est semper, si illius comprehensionem respicias; et versa vice. Sic recte dicitur: « Omnis homo rationis est particeps »: quod mehercule de « toto homine » dici nequit.

pugnatum sit, ex philosophiae historia compertum habemus (1).

159. Sed in errore utrosque versari, manifestissimum est. *Universalia* enim, - quatenus universalia -, revera ac physice extra mentem non exsistere, tam perspicuum videtur, ut nulla prorsus egeat demonstratione. Nam quidquid revera existit, aliud non est nisi individuum (V. n. 150). Hinc nullae in objectis sunt verae et proprie dictae qualitates communes; sed omnes uniuscujusque propriae ac peculiares. *Communes* autem seu *similes* (V. n. 151) eas appellamus qualitates, quae, - etsi pluribus in objectis seorsum et singillatim existunt -, eamdem tamen in nobis excitant ideam; quas nimirum, unius ejusdemque mentalis formae seu ideae ope, percipimus (2).

Aliunde vero certissime constat, ideas generales, quas humana mens intuetur, aliquid amplius profecto esse ac simplicia nomina et vocabula, quemadmodum Nominalibus placet. Verba enim quae nil omnino significant, vacui plane sunt et inutiles soni, neque ullos ad cogitandum usus

---

(1) Ejusmodi, inter Reales et Nominales, concertationes, quibus interdum et ipse interfuit, ita refert Ludovicus Vives: *Clamores primum ad ravim, hinc improbitas, sannae, minae, convitia, dum luctantur, et uterque alterum tentat prosternere; consumtis verbis, venitur ad pugnos, ad veram luctam ex ficta et simulata. Quin etiam quae contingunt in palaestra, illic non desunt, colaphi, alapae, conspulio, calces, morsus; etiam quae jam supra leges palaestrae, fustes, ferrum. Saucii multi, nonnumquam occisi.* Nec vero aliter Erasmus, magnae hic quidem auctoritatis vir; qui aperte testificatur: *Eos usque ad pallorem, usque ad convitia, usque ad sputa, nonnunquam et usque ad pugnos invicem digladiari; alios ut Nominales, alios ut Reales loqui.*

(2) « *L'arbre*, inquit Eulerus, qui répond à mon idée générale de l'arbre n'existe nulle part; il n'est pas poirier, car alors les pommiers n'y seraient pas compris. Par la même raison, il n'est pas cerisier, ni prunier, ni chêne, etc.; en un mot, il n'existe que dans mon âme; il n'est qu'une idée, mais une idée qui se réalise dans une infinité d'objets » (*Lettres à une Princesse d'Allemagne*).

afferre possunt: haec meridiana luce clariora videntur. Atqui vocabula generalia seu nomina communia, determinata individua nequaquam exprimunt; ergo vel nil omnino, vel ideas generales significare debent. Has autem aliquid esse nemo mehercule negaverit: objecta quippe mentalia, idest entia rationis sunt; quae si demas, imaginatio intellectiva jam locum haudamplius haberet (V. n. 114); quidquid insuper in humana mente praestantius est, eo ipso abstuleris (1).

160. Ideae generales, uti vidimus, aliud sunt ac vocabula, quibus exprimuntur. Quanquam verissimum est, vocabula, vel signa generatim, necessaria esse, ut abstrahendi facultatem exercere, sicque ideas abstractas proindeque et generales sibi conficere homo possit; quae, uti jam alias monuimus (n. 150), nobilissimam totius humanae cognitionis partem constituunt.

Quod ut clare pateat, animadvertendum est, nonnisi stimulis humanam activitatem excitari: nil enim sine sufficienti ratione fit (V. n. 61). Ex quo sequitur, humanum spiritum cogitare non posse, ubi desit objectum, ad quod sese convertat: ad nihilum quippe cogitare absurdum est; necessario insuper ejus actionem ab objecto suo terminari et circumscribi.

161. Jamvero, *objecta corporea*, sensus nostros moventia, spiritum quidem ad perceptionis actum impellunt. Ad haec, *corporeae* objectorum, quae jam percepimus, *imagines*, - quaeque in nobis permanent atque identidem, per animales internae nostrae sensibilitatis leges, excitantur (V. n. 37) -, rationem sufficientem reddunt activitatis illius, cujus ope humanus spiritus puras sibi conficit ideas a perceptionibus divisas: per quas nimirum res cogitat sibique repraesentat ut mere possibiles. Sed nil ultra valent neque objecta nobis actu praesentia, neque eorum phantasmata: neutra possunt ad abstractionem spiritum adducere.

(1) Praeter Reales et Nominales, sunt etiam *Conceptualistae*, qui inter illos medium quodammodo tenent locum. Hi nimirum universalia quidem habent veluti humanae mentis *conceptus*: ea tamen ratione, ut extra mentem ipsam nil prorsus existat, quod universalium ope mens cogitet. Sed ne horum quidem doctrina nobis probatur.

Id porro fit per signum, puta vocabulum, quod objecti ipsius vicem gerit. Vocabulum scilicet, opportune expressum, datam entis alicujus qualitatem, ab ente ipso in quo revera inest, abstrahit, necnon a caeteris qualitatibus, - quae illam, usquedum in ente individuo consideratur, circumstant -, quadantenus sejungit; atque hoc modo sejunctam sistit, et veluti seorsum subsistentem menti offert contemplandam (1).

162. Hujusce praeterea rei certissimum argumentum nobis praebent pueri, forte a parentibus amissi, quique extra hominum consortium et sermonis auxilio destituti, silvestrem vitam duxerunt.

(1) Rem exemplo explicemus. Sit abstracta et generalis *humanitatis* idea. Ope *sensuum* nonnisi particulares homines percipio; ab perceptione autem sensitiva excitatur intelligentia, sicque individuorum illorum hominum *perceptio intellectualis* habetur. Quum tandem tenuiores horum *imagines* reviviscunt, hae intelligentiam denuo movent ad hominum eorumdem, utpote possibilium, *ideas* concipiendas. Hic omnis explicit harum imaginum vis. At enim idea humanitatis longe aliud est. Quum igitur *humanitas*, - hujusce nempe ideae objectum -, propriam sibi subsistentiam extra mentem nostram non habeat, jam illam neque percipere neque sensibiliter imaginari nobis non licet; interim vero mente concipimus: concipimus autem, ope signi vel vocabuli, eo modo quo dictum est.

Sed signa nulla nobis ratione prodesse possunt, nisi ea percipiamus; neque ea percipimus, sine quadam de iisdem affirmatione seu judicio. Hinc liquido patet, ante quamcumque signorum intelligentiam vel inventionem, *ideam* aliquam, utpote judicandi instrumentum, in mente nostra necessario existere.

Hi namque, etiam cum adolevissent, belluis perinde simillimi, nullum unquam suppeditarunt indicium, se abstractas ideas mente comprehendisse.

Ex quo manifestum est, quantum ex societate beneficium, quantaque utilitas in homines promanet. Hinc etiam patet, quid de celebri illa quaestione censendum sit, utrum nempe sermo ab homine ipso fuerit inventus, an illi ab Auctore naturae primitus datus (1).

CAPUT III.

De idearum origine.

163. Hominem quemlibet adultum ideis et cognitionibus, plus minusve, instructum esse, quoddam mehercule est factum, de quo nemo ambigere possit (V. n. 51).

Sed jam maximi interest inquirere, quî in hominum mentem hae primum pervaserint: quaenam videlicet humanarum idearum origo sit? Ex diversa quippe ratione, qua, ut verissime Degerandus animadvertit, quaestio de idearum origine, seu de humanarum cognitionum principio, dijudicata est, diversa quoque philosophorum sunt exorta systemata. Quapropter quaestionem de *origine idearum*, - quippe quae universae philosophiae fundamentum est -, gravissimam duxerunt philosophi omnes (1).

(1) Ad hanc rem, caeteris disquisitionibus omissis, id tantum animadvertimus, fieri non posse, ut sermonem excogitet humana mens, quae ideis abstractis careat: nemo enim ideas quas non habet, signis manifestare potest. Hinc verissime atque ingeniose a Russojo dictum est, « ad sermonem excogitandum, sermone opus fuisse ». Haec nihilominus sententia ad eam tantum sermonis partem erat referenda, quae ideas abstractas respicit: quae profecto pars est, uti jam saepius advertimus, in sermone nobilissima omnium atque praestantissima.

164. Duplici tamen sub respectu hujusmodi inquisitio potest considerari: Vel enim quaeritur, quomodo, aliquibus in humana mente ideis jam existentibus, alias atque alias ex his eruere nobis datum sit? Ad quod respondemus, novas hasce ideas, facultatum nostrarum exercitio, - per varias scilicet reflexionis functiones (uti suo loco dictum est) -, nos componere. Vel quaeritur, quomodo humana mens cognitionum suarum veluti fundamentum ponat; seu primas omnino rerum notiones acquirat, quae ad alias deinceps consequendas conferant? Haec porro vera est et proprie dicta quaestio de origine idearum.

Sed et huic quaestioni jam obiter responsum dedimus, quum primas ac directas rerum notiones, per intellectualem perceptionem seu judicia primitiva, sibi hominem comparare demonstravimus (V. nn. 75, 85, 90). Tota igitur in eo est difficultas, ut horum judiciorum sufficiens ratio afferatur: hic *aurea*, innuente Rosminio, philosophiae *clavis* sita est.

165. Quod si libeat binas hasce quaestiones in unam eamque simplicissimam concludere, sic poterit institui: Quum ideae omnes, ut unicuique compertum est, intimo simul jungantur nexu, eaque inter illas consociatio sit, ut altera in altera quodammodo includatur, - *omnis quippe cognitio*,

(1) Hinc quaestionem hujusmodi paullo fusius pertractare constituimus. Quod neminem mehercule vitio nobis versurum confidimus: nam, quaestione de idearum origine probe soluta, jam in vasto philosophiae campo liberius exspatiari licebit. Quin imo, si S. Augustino credimus: *In eis* (ideis) *tanta vis constituitur, ut, nisi his intellectis, sapiens esse nemo possit.*

ait Aristoteles, *ex antecedente cognitione fieri solet* -, quaeritur, quaenam sit idea princeps atque fundamentalis, quae omnes alias plus minusve generales, necnon et specificas ipsas, in se quadantenus seu virtualiter comprehendat: cujus proinde origine explicata, caeterarum origo certissime constet?

Cui percontationi ut penitus satisfiat, - praeter ea quae jam alias ad hanc rem innuimus (n. 67)-, demonstrandum adgredimur: 1.º In *idea entis* humanas omnes cognitiones radicem et fundamentum habere, ad eamque omnes tandem reduci; 2.º hujus ideae ope caeteras revera ideas, ubi occasio et adjuncta tulerint, humanam rationem sibi conficere, eamque propterea esse, quae *idearum potentiam* in homine proprie constituit (1); 3.º tandem ideam hujusmodi humanae menti congenitam esse. Quibus pauca adjiciemus de falsis, circa idearum originem, philosophorum systematibus.

(1) Ita omnino agunt Chimici, quum determinare volunt, ex quibusnam elementis, et qua proportione, data quaedam substantia componitur: hanc scilicet analysi subjiciunt. Si autem illud quod ab analysi exhibetur, synthesi comprobari possit: eadem videlicet elementa, quae analysis ab invicem sejunxit, simul iterum conjungendo, in pristinam substantiam restituere datum sit, tunc ea, in scientia chimica, certitudo obtinetur, qua nulla major haberi potest. Quod, licet non semper, pluribus tamen in casibus Chimici consequuntur. Sic *aquam* ex *oxigenio* et *hydrogenio* componi, extra omnem dubitationem positum est, ex quo certa aquae dosis, pilae Voltaicae actioni, v. gr., subjecta, in determinatum gaz oxigenii volumen, et bis tantum hydrogenii, constanter abit; quae duo fluida simul denuo commixta, atque igni vel electricae scintillae admota, in aquam repente transformantur.

Ad instar itaque Chimicorum, idearum analysi primum instituta, entis ideam, commune idearum omnium elementum et veluti basim esse detegimus; postea vero, contraria via incedentes, synthesim nempe conficiendo, evincimus, ope ideae entis ceteras quascumque ideas reapse formari. Quod ubi consequi nobis liceat, non video, cur inter certas atque optime probatas theorias, haec, quam tradimus, de idearum origine doctrina adnumerari non debeat.

Art. I. — *Ideae omnes ad ideam entis reducuntur.*

166. Id in primis animadvertendum est, quum *ens* vel *existentiam* dicimus, realem quamdam et determinatam existentiam haud nos intelligere, sed potius existentiam prorsus *indeterminatam*: ens scilicet *possibile;* quod rectius fortasse *ideale* vel *mentale* dixeris.

167. Jamvero, data peculiaris cujuspiam objecti idea, omnes quidem qualitates et proprietates, per abstractionem ab eo removeri possunt et auferri, excepta existentia seu *possibilitate* existendi, quae omnium qualitatum universalissima est. Hac enim demta, nil amplius remanet; nihili autem nulla est cogitatio. Ubi, e contrario, sola existentia objecto relinquatur, - ceteris ab eo qualitatibus semotis -, aliquid adhuc in mente superest, aliquid nempe cum existendi possibilitate. Quod, licet penitus indeterminatum, verum nihilominus est cogitationis objectum.

Sic ideam penitus determinatam pone: ideam ex. gr. amici mei. Si quidquid huic proprium et individuale est, per mentis abstractionem removeo, haudamplius amicum, sed hominem generatim cogito. Quod si et proprias hominis qualitates abstraho, jam non hominis, sed generaliorem animantis ideam habeo. A qua iterum, si qualitates animantis propriae abstrahantur, quid mihi remanet? idea corporis omni sensibilitate carentis. Quae abstractiones ulterius adhuc produci queunt; et aliquid tamen semper, licet magis magisque generalius, cogitatione complector: aliquod nimirum jugiter est objectum, in quo mens mea

defigitur; usquedum ad ideam entis omnium generalissimam, ad ens scilicet omnino indeterminatum pervenerit. Quo ubi adducta fuerit abstractio, jam non ultra illi progredi datum est, quin eo ipso omne cogitationis objectum, idea omnis e mente evanescat.

Ex quo conficitur, ideam entis in omnibus omnino ideis inesse; quae proinde humanarum cognitionum omnium seu idearum veluti radix et fundamentum habenda est (1).

168. At si idearum analysim ulterius producimus, palam fiet, ideam quamlibet nil aliud tandem esse, quam hanc ideam ipsam varie determinatam; vel totidem essentiae entis possibiles *realizzationes*. Reenimvera, quid est, ex. gr., idea *equi?* nequicquam aliud profecto, nisi entis essentia, quatenus in equo potest realizzari. Quid idea *hominis?* ipsa essentia entis, quatenus in homine realizzari potest. Et sic de ceteris. Hinc generatim ideae *hominis*, *animantis*, *arboris*, *lapidis*.... sunt ipsa idea *entis possibilis*, determinationibus seu qualitatibus praedita, quae hominibus, animantibus etc. communes sunt, quaeque ab experientia nobis exhibentur; vel qualitatibus etiam individualibus determinata: cujusmodi est idea Ciceronis, vel cujuspiam amici mei. Quare aliquid mente concipere, aliud proprie non est, nisi concipere ens, his vel illis determinationibus definitum: quae diversae tantum determinationes id efficiunt, ut ideae diversae dicantur (2).

---

(1) Ad rem S. Thomas: *In his, quae in apprehensione hominum cadunt, quidam ordo invenitur. Nam illud quod primo cadit in apprehensione est ens, cujus intellectus includitur in omnibus, quaecumque quis apprehendit.*

(2) Ea ferme ratione, qua, si tabulam coram se, multis variisque fi-

Una igitur est idea, in qua ceterae quodammodo comprehenduntur, et ad quam omnes, quaecumque sint, referri possunt; ipsa autem nusquam. Quae idcirco idea *mater*, *fundamentalis*, *princeps* nuncupari potest; vel etiam primigenium intellectuale *elementum*, rationis vel intelligentiae *forma* (1). Haec porro est idea entis universalis, idest ens *ideale* seu *possibile* (2): quod erat demonstrandum.

---

guris ornatam quis habeat, in quamcumque ex his oculos conjiciat, tabulam semper et nonnisi tabulam intuetur; hac autem sublata, jam eo ipso figurae omnes ex ejus evolant conspectu.

(1) Sed hoc verbum *forma*, utpote quod multiplici gaudet significatione, explicare opus est.

Forma proprie id significat, per quod ens quemdam sibi proprium et primitivum habet actum, vi cujus est id quod est; ex S. Thoma, *forma est quo agens agit*. Sic essentia entis per se intelligibilis, dicitur *forma animae intelligentis*, eo quod per ipsam in illum actum anima erumpit, quo intelligens fit. Bina tamen formarum genera distinguenda sunt: quandoque enim id quod actum essentialem tribuit enti, entis ipsius pars quaedam est vel cum illo confunditur, et nonnisi per mentis abstractionem ab eo separari potest; interdum vero est aliquid, ab actu et ab ente quod ab eo formatur, reapse diversum. Postremo autem hoc sensu vox *forma* accipienda est, quum ens ideale *formam* intelligentiae nuncupamus.

Quanquam maximi interest animadvertere, entis essentiam diversa omnino ratione spiritus nostri formam fieri, ac ens aliquod reale alterius entis realis fit forma. Hoc namque nonnisi per actiones et reactiones contingit; *essentia entis*, e contrario, eo ipso quo sese simpliciter spiritui nostro manifestat eique naturalem suam cognoscibilitatem prodit, jam ipsius est forma, quin ulla in eam sit spiritus reactio. Hinc hujusmodi forma *objectum* dicitur, quasi aliquid adversum spiritui intuenti, cui nomen est *subjectum*. Ex quo patet, quum ens ideale, humani spiritus formam appellamus, alio omnino sensu hanc esse accipiendam, ac formas Kantianas, quae *subjectivae* sunt; illa contra prorsus *objectiva* est, quinimo essentiale mentis objectum.

(2) Quo tamen sensu haec vox *possibile* intelligi debeat, attendendum est. Essentia entis dicitur *ens ideale;* ejus autem realizzationes sunt *entia realia*. Quod si ens ideale respectu ad possibiles suas realizzationes consideretur, *ens possibile* nuncupari solet. Quapropter vocabulum *possibile* haud equidem propriam entis qualitatem exprimit, sed id tantum significat, ens realizzari posse.

Nequis itaque arbitretur, entis essentiam nil amplius esse, quam meram possibilitatem. Vera quippe essentia est, nequaquam vero simplex essentiae possibilitas. At hujusmodi essentia realizzari *potest*, ejus nempe realizzatio possibilis est: en quid sibi velit *ens possibile*.

Art. 2. — *Ope ideae entis ideas omnes humanus spiritus format.*

169. Humanae cognitiones, seu ideae, quod ad praesens argumentum attinet, in *puras* et *mixtas* dividi omnes possunt (V. n. 146).

Inter ideas puras sese primum nobis objiciunt ideae *unitatis, possibilitatis, universalitatis, necessitatis* et similium. Hae simplicissimae notiones omnibus hominibus communes sunt; vulgaria et ipsa hominum ratiocinia illas supponunt; quae proinde ad communem naturae sensum pertinent (V. n. 51). Intimius autem eas inspicienti facile constat, nonnisi quasdam entis idealis elementares ideas esse: in ente scilicet ideali, veluti totidem ipsius characteres et naturales qualitates, includi. Non aliunde igitur quam in ente ideali, earum origo quaerenda est.

170. Ad ideas puras, praeter nuper memoratas, referri etiam debent ideae *veri, justi* et *pulcri*, necnon *causae* et *substantiae.*

Atqui idea entis ea semper est, quae diversis sub relationibus, modo veritas, modo justitia, modo pulcritudo appellatur. *Verum*, inquit S. Thomas, *fundatur in ente;* et alibi: *Verum convertitur cum ente.* Item, justum seu bonum morale nil aliud est, quam species boni in universum; at *bonum et ens*, ut ipse S. Thomas animadvertit, *sunt idem secundum rem, sed differunt secundum rationem tantum.* Porro ens, quatenus *veritas* est principium seu fundamentum Logicae, ut mox videbimus. Quatenus *justitia*, fundamentum Ethices constituit, quemadmodum suo loco demonstrabimus. Quatenus tandem *pulcritudo*, est fundamentum Aesthaeticae et Callologiae; ea enim ratione, qua verum cum ente convertitur, pulcrum convertitur cum vero: nam pulcritudo nil aliud est, quam « ordo veritatis in rebus »; vel, uti magnifice ait Plato, « splendor veri ».

171. Ab ipsa tandem idea entis, causae et substantiae ideas, - non secus atque omnia generatim rationis principia -, immediate quoque manare, ex his quae hac de re superius diximus (n. 64 et seq.), facile evincitur (1).

Ex quo palam fit, hasce notiones omnes eamdem omnino cum ente ideali originem habere.

172. Ad ideas non-puras seu mixtas nunc venio: quae strictius ac simpliciter ad cognitionem seu perceptionem reducuntur subsistentiae nostrae, et corporum externorum; cujus proinde origo explicanda nobis est (2).

---

(1) Ideae quas hactenus enumeravimus, *transcendentales* quoque vel *formales* appellantur, quod omnem sensuum vim transcendunt et superant, neque aliud proprie sunt, quam simplex ipsa cognitionum forma (ens ideale), quae varias solummodo relationes induit.

(2) Jam diximus, cognitiones ejusmodi nos tunc primum acquirere, quum sensui interno vel externo ideam existentiae applicando (V. n. 90), id quod sentimus, existere quoque affirmamus: idest, quod sentimus, etiam cognoscimus et quodammodo transformamus in ideam. At quum hominem dicimus, - naturali et instinctivo rationis actu, universalem existentiae ideam sensibus adjungendo -, primas sibi rerum notiones comparare, id profecto intelligendum non est, quasi haec idea, - uti adest humano intellectui -, cum sensationibus reapse conjungatur, adeo ut cognitionum omnium pars quaedam integrans fiat; sed hoc tantum significare volumus, humanum nempe spiritum, ope universalis et indeterminatae ideae existentiae, existentiam determinatam et particularem, in re sensu percepta, cognoscere, dum internum illud pronuntiat judicium: « quod sentio, existit »; sicque primam rei ipsius notionem adipisci; vel aliter: in ente singulariter percepto, quamdam entis universalis, quod naturaliter intuetur, realizzationem videre.

Sed hic fortasse quis objiciet: Si essentialis cognitionum humanarum forma est ens ideale, idea nimirum existentiae universalis seu possibilis, jam sequitur, hujus ope, rem quampiam utpote solum

Hae autem ideae, *mixtae* dicuntur vel *materiatae*, quod duobus constant elementis: elemento scilicet *formali* et immutabili, quod in idea qualibet invenitur; et elemento mutabili seu *materiali*. Formale cognitionis elementum est ens ideale; materiale vero, sunt entis ipsius determinationes et modi.

---

possibilem, nequaquam vero tamquam revera existentem cognoscere nos posse: judicium scilicet, quo primam rei ideam acquirimus, non esse, « quod sentio, actu existit »; sed hac potius ratione enuntiandum, « quod sentio, possibile est ». Huic porro objectioni facile occurrimus, considerando, rei subsistentiam ab intellectu haudquaquam poni, ut adversarius noster innuere videtur, - intellectus enim non ultra possibilia seu intelligibilia progreditur -, sed a sensu exhiberi, qui proprie est facultas subsistentium. Intellectus nimirum dat lumen seu cognoscibilitatem subsistentiae; sensus subsistentiam ipsam, sed per se incognitam, praebet; homo, - per rationem seu reflexionis actum -, alteram cum altera, eo modo quo super dictum est, conjungit, et tacitum illud profert judicium: « quod sentio, existit »; perinde ac si diceret: « Quod sentio in me *agens*, - et quatenus tale, a meipso indistinctum -, video, affirmo, judico *existens* in se, idest tamquam ens considero: objectum quippe sive terminus cogitationis nil aliud esse potest quam ens ». Vel etiam, si mavis: « Ens, quod mens mea naturaliter indeterminatum intuetur, video determinatum eo modo quo sensus ipse determinat »: quod enimvero proprie est rem percipere, idest primam rei ideam habere. Id porro fit vi perfectae *unitatis* qua homo gaudet, seu humani spiritus *simplicitatis*. Namque ille *ego*, - principium nempe quod videt ens -, illud idem est, quod ejus actionem in se factam experitur: siquidem sensus est actio entis. Jamvero hujusmodi actio, idest sensus, usquedum seorsum ab entis idea consistit, omnino ignotus est. At principium simplicissimum, una simul sentiens et intelligens, sensum et entis notionem alterum ab altera sejunctum manere non sinit; homo igitur videt ens in se agens, idest sensum in se producens. Idem videlicet semper sibique identicum ens, illud est, quod ex una parte sese homini prodit tamquam *cognoscibile*, ex altera vero tamquam *activum*, gignens sensum. Ens enim, in sua, pene dixerim, integritate, una simul *reale* et *ideale* est: duplici nimirum primigenia et essentiali forma est praeditum, *realitatis* nempe et *idealitatis*.

Hoc itaque probe retinendum est, totam entis activitatem ad entitatem ejus reduci; idest ens, naturâ suâ, activum esse. Quum porro totum ens sit cognoscibile, sequitur, totam ejus activitatem, ideoque et sensum, in ente ipso cognoscibilem esse. At priusquam ens determinata ratione operetur, idest sensum gignat, hujusmodi activitas nonnisi potentialiter cognoscibilis est; haec itaque potentialis, quae cognoscitur, activitas est indeterminata. Quo fit, ut ens ideale *ens indeterminatum* dicatur.

173. Sed undenam haec *forma;* undenam *materia* eruitur? Quaenam insuper est in homine *potentia*, quae alteram cum altera conjungens, cognitionem perficit?

Respondemus, cognitionis formam ab *intellectu* nobis exhiberi: hic enim est facultas, quae essentialiter videt ens (V. n. 67). Earumdem nobis materiam praebet *sensus*, cum internus tum externus. *Ratio* demum, seu vis mentis synthetica, ea est, quae naturaliter et instinctu quodam formam cum materia conjungit, sicque speciales rerum ideas componit: perinde ac, pene dixerim, *sculptor*, qui *moli* marmoreae peculiarem quamdam dat figuram seu *formam*, sicque statuam fingit (1).

174. Ex his omnibus concludere pronum est, entis ideam eam omnino esse, per quam in homine *cognoscendi facultas* vel *potentia idearum* proprie existit (V. n. 165): illius enim ope primitiva judicia formantur, affirmantur entia realia quae sensus afficiunt, sicque cognoscuntur (2). Primis autem ideis hac ratione acquisitis, jam ceterae, per varias reflexionis functiones, obtineri facile possunt. Ex quo manifestum est, ideae entis origine detecta, gravissimam de origine idearum quaestionem, per tot saecula et a tot philosophis agitatam, penitus dissolvi.

---

(1) Supervacaneum arbitror monere, sensum, intellectum et rationem nonnisi per abstractionem mentis, tamquam potentias ab se invicem distinctas hic a nobis considerari; nam in uno simplicique subjecto (humano spiritu) revera insunt: cui sensus, intellectus et rationis functiones unice tribuendae sunt.

(2) Relationes ideae entis cum entibus realibus sunt conceptus, idest ideae specificae entium particularium.

Art. 3. — *Idea entis est innata.*

175. Hujusmodi propositio ex hactenus dictis legitime ac recta consequitur. Reenimvera, si idea entis necessaria est ad primitiva judicia formanda, quorum ope primas rerum notiones consequimur; si ideam rei alicujus habere, idem est ac rem illam cogitare; aliquid autem cogitare, nil aliud est quam illud in seipso, seu tamquam ens animadvertere (quod profecto absque idea entis fieri nequit); si, brevi, hac idea sublata, homo cogitare nullomodo potest, consequens est, humanae menti congenitam seu *innatam* hanc esse. Quî enimvero illam posset homo adipisci? haud alia equidem ratione, quam cogitando. Atqui idea entis, ut vidimus, cogitandi possibilitatem constituit. Ne igitur vitioso circulo involvamur, hanc veluti innatam admittere necesse est (1).

---

(1) Facile hinc patet quaestioni responsum, quae hac de re solet nstitui: Si ideae omnes, ajunt, judiciorum ope obtinentur; ad judicium autem quodlibet efficiendum, aliqua necessario idea requiritur: quidnam primum ponendum est? ideane an judicium? Quis, quaeso, ab labyrintheis hisce flexibus extricare nos poterit?

Atqui tota haec solvitur difficultas, si ideam ponamus humanae menti congenitam, quaeque idcirco ad existendum judicio non indiget; quinimo judicia quaelibet praecedit eaque possibilia reddit. Haec autem est idea entis universalis-indeterminati. Quapropter aeque dici poterit: ideae omnes, una tantum excepta (idea entis), sunt acquisitae; vel: omnes in idea entis, tamquam in germine, continentur, a qua erui possunt.

Hisce autem constitutis, nullo etiam negotio satisfieri potest quaerenti, utrum homo semper cogitet, necne? Si *cogitationis* nomine venit humanae intelligentiae actus, cui aliquod objectum quoquomodo determinatum, tamquam terminus, insit, non video, cur homo jugiter cogitare dicendus sit. At si mera et simplex intuitio entis idealis indeterminati, cogitatio nuncupari velit, tunc nemini profecto dubium, quin homo perpetuo ac semper cogitet: entis namque intuitio est humanae mentis propria et essentialis; qua proinde ablata, mentem ipsam auferri atque interire necessum est.

176. Dicesne fortasse, hanc ideam ab corporeis sensationibus, vel a sensu existentiae nostrae originem ducere? At id fieri nequaquam posse constabit, si proprios hujusce ideae characteres consideremus. Haec namque est idea *rei* tantum *possibilis;* sensus, contra, nonnisi *subsistentia* percipit, neque illum mere possibilia movere ullomodo possunt. Idea entis est essentialiter *objectiva*, vel potius, naturâ suâ, mentis objectum; sensus vero quilibet *subjectivus* est.

Ab his autem duobus characteribus et alii dimanant, quibus idea entis insignitur, quique sensus cujuslibet naturae omnino adversantur: hujusmodi sunt *universalitas*, *necessitas*, *immutabilitas*, *aeternitas*.

177. Hac tamen de re animadvertendum est, characteres omnes hactenus memoratos in idea qualibet inesse: quaevis namque idea aliud non est nisi « cogitatio possibilitatis entis alicujus »; vel, « essentia intelligibilis alicujus rei ». Unde consequitur, nullam prorsus ideam, - ubi in se simpliciter, omnique ab ea remoto extraneo elemento, consideretur -, a sensibus oriri posse.

Sed, quod ad ideam entis universalis spectat, haec quodam insuper sibi proprio et exclusivo charactere distinguitur, nempe *indeterminatione* (V. n. 174, *nota*). Ens quippe in universum, non subsistentiam solum, ut ceterae ideae, sed quamlibet praeterea specierum ac generum differentiam a se excludit. Ergo nequit a sensu ortum habere, qui naturâ suâ finitus et *determinatus* est.

178. Anne humana mens hanc sibi ideam propria vi cudere et procreare poterit? Atqui mens humana finita, contingens et mutabilis est; ens

contra ideale, quod essentialiter ipsa intuetur, oppositis omnino characteribus pollet. Hoc igitur ens humanae mentis procreatio vel modificatio esse nequit. Quin imo mens ipsa enti obnoxia est, ab eoque omnino pendet. *Ens* enim, uti jam alias animadvertimus (n. 67), *eo ipso quod intelligitur a mente, dat illi et intelligere et esse.*

179. Brevi igitur: Si idea entis in homine existit, atque ad cogitandum est necessaria; si neque a sensibus externis, neque a sensu existentiae nostrae oritur; si humana mens huic ideae gignendae est impar; postremo, si ineptum est et absurdum, quod aliquibus placet, menti nostrae, quum illi opus est, extemplo hanc adesse -, jam sequitur, innatam esse oportere: a Deo scilicet, in ipso creationis actu nobis impressam, eo modo quo in *Metaphysica* explicabimus (1).

180. Cave nihilominus ne doctrinam hanc cum illa confundas, quam *de ideis innatis* vulgo dicunt; quae

(1) « Il fatto ci dice, ita nitide Rosminius, che l'uomo non comincia ad usare le facoltà del suo spirito, se non in occasione delle sensazioni esterne, e che il pensiero dell' uomo comincia dall' accorgersi che esistono dei corpi, che esiste egli stesso, che esiste qualche cosa di reale. Ora questo primo pensiero non è se non una affermazione, è affermare un ente; il che suppone che si conosca innanzi l'essenza dell'ente. Dunque l'essenza dell'ente è nota all'uomo prima di tutti gli atti del suo pensiero; dunque ella non è acquistata cogli atti del pensiero, ma è data precedentemente dall'autore della natura. Di più supponiamo che l'uomo non sapesse che cosa è ente; egli non potrebbe mai, per quanti piaceri o dolori sentisse, dire che c'è un ente. Non potrebbe riconoscere che la sensazione suppone un ente, perocchè appunto non saprebbe che cosa sia ente; dunque non conoscerebbe nulla, e non conoscendo nulla, non avrebbe alcuna cosa nota che gli facesse la via a conoscere l'essenza dell'ente. Dunque l'essenza dell'ente non può essere conosciuta per mezzo di altra notizia, ma per sè stessa: l'*essenza dell'ente* adunque è *conoscibile* per sè, ed è il *mezzo che fa conoscere tutte le cose;* ella è dunque il *lume della ragione.* In questo senso si dice, che l'idea dell'ente è *innata*, e che è quella *forma* che dà l'intelligenza » (*Introduzione* ecc.).

plures, plus minusve determinatas, ideas humanae menti congenitas tribuit. Nos contra, unam tantum, eamque omni prorsus determinatione carentem, hujuscemodi esse affirmamus; quam siquis *ideam* appellare nolit (haec mehercule unica *sui generis* est et ab aliis quibuscumque ideis diversa) *formam* dicat, vel *lumen* mentis naturale et ingenitum, vel alio nomine vocet: id illi damus libentissime.

181. Neque mirum profecto cuipiam videri debet, lumen aliquod, quod naturaliter homini luceat, a nobis admitti. Siquidem *lumen*, ut dicunt, *rationis* in unoquoque inesse, communis naturae sensus testatur. Hoc insuper lumen, utpote quid divinum vel divinae Sapientiae radium omnes semper habuerunt (1). Hinc enimvero *aeternitas*, *immutabilitas* aliique divini characteres, quibus ideas omnes praeditas esse vidimus: in omnibus quippe divinum illud elementum, tamquam formalis earum pars, inest.

Quid porro aliud haec vox *lumen rationis* significare poterit, quam ideam aliquam seu notionem, quae mentis oculis splendescat, quaeque illi regula sit et instrumentum ad ceteras deinceps ideas adquirendas? Haec autem notio, universalis omnino atque indeterminata esse debet (cujusmodi nimirum est idea entis): quî enim secus humano spiritui, *omnia* indiscriminatim cognoscendi

(1) *Divinae particulam aurae*, illud appellat Horatius. *Unde ab ipso* (Deo), ait S. Thomas, *anima humana lumen intellectuale participat, secundum illud:* Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine. Et iterum: *Ipsum lumen naturale rationis, participatio quaedam est divini luminis.* Item Galileus: « L'intelletto umano è una scintilla del divino ».

facultatem tribuere posset? Profecto, quemadmodum oculus sine luce materiali non videt, sic intellectus absque luce spirituali (idea) non intelligit. Ad haec, homo naturâ suâ intelligens est; aliquid igitur esse debet, quod ab eo naturaliter et essentialiter intelligatur, vel melius, quo ipse intelligat. Quod et ipsum verbi *intellectus* etymon satis ostendit: *intellectus* enim dicitur, quasi aliquid naturâ *intellectum*.

182. Quod si nullum a natura ipsa homini inditum esset principium cognitionis, nullum intelligentiae germen et semen veritatis, quî humana mens evolvi atque explicari posset? Cur tanta in homine sciendi cupiditas, quae vel in pueris ipsis tempestive admodum se prodit (V. *Praef.*, n. 1)? Quî ingenti in id amore abripi quis potest, quod prorsus ignorat (1)?

In quonam demum, si quodlibet homini naturale lumen deneges, similitudo ponenda est, quam illi cum Deo esse sacrae Literae aperte testantur (2); et ethnicorum etiam nonnulli, inter quos Cicero praesertim, agnoverunt (3)?

(1) Ad rem acutissime S. Augustinus: *Quilibet igitur studiosus, quilibet curiosus non amat incognita, etiam cum ardentissimo appetitu instat scire quod nescit. Aut enim jam genere notum habet quod amat, idque nosse expedit etiam in aliqua re singula; vel etc.* (De Trinitate). Cum Augustino autem penitus consentit Aquinates: *In eo qui docetur*, ait, *scientia praeexistebat, non quidem in actu completo, sed quasi in rationibus seminalibus, secundum quod universales conceptiones, quarum cognitio est naturaliter insita, sunt quasi semina quaedam omnium sequentium cognitionum.*

(2) *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram*, uti refert *Genesis;* et iterum: *In die qua creavit Deus hominem, ad similitudinem Dei fecit illum.* Item, in libro *Sapientiae* legitur: *Deus creavit hominem inexterminabilem, et ad imaginem similitudinis suae creavit eum.* In *Ecclesiastico* autem: *Deus creavit de terra hominem, et secundum imaginem suam fecit illum.*

(3) Multa enimvero de hoc disputat Tullius in lib. *De legib.* I; quae

Art. 4. — *Falsa philosophorum de idearum origine systemata.*

183. Qui humanarum cognitionum originem explanare adgreditur, causam sufficientem afferre debet, unde illae ortum ducant (V. n. 136): non plura videlicet, nec pauciora assumere, quam quae ad id necessaria sunt. Quodnam porro sit, - idque minimum -, intellectuale elementum, homini congenitum, quod ad hanc quaestionem dirimendam omnino requiritur ac sufficit, paullo ante declaravimus. Qui igitur plus hoc ipso admittunt, *excessu;* qui vero minus, *defectu* peccant. De singulis breviter.

§ 1. — *De his, qui, in idearum origine enodanda, excessu peccant.*

184. Nobilissima in primis, totius antiquitatis ingenia hic sese nobis objiciunt: Socrates ejusque discipulus Plato. Qui, quum homines res sibi adhuc incompertas acriter inquirere animadvertissent (V. n. 182), quî, ajunt, fieri potest, ut homo illud perscrutetur quod prorsus ignorat? quod si in rem quaesitam forte quadam offenderit, quomodo sciat, hanc omnino esse, quam nosse cuperet, quum in perfecta illius ignoratione versaretur?

Ad hanc porro quaestionem diluendam, duo cognitionum genera distinguunt: quarum aliae, veluti sopitae ac torpescentes, in animo latent;

in hanc, notatu dignissimam, sententiam concludit: *Est igitur homini cum Deo similitudo.*

aliae vero hic et nunc mente comprehenduntur. Quod ad postremum cognitionum genus spectat, nulla profecto de his fieri potest inquisitio: has quippe actu intuemur. Priores illas, e contrario, investigare licet: siquidem generalis quaedam de iis reminiscentia nobis tantum remanet, quae, dum menti nostrae, veritatis studiosissimae, nequaquam satisfacit, ad illas penitus inspiciendas nos movet atque sollicitat.

185. Quibus animadversis, animam humanam supponunt, jam alteram, ante hanc, vixisse vitam, in qua multarum rerum cognitione frueretur; quas postmodum, corpori veluti illigata, obliteraverit. Quo fit, ut ideae, quas in dies acquirere nos dicimur, haud novae revera sint, sed quaedam potius reminiscentiae: ideae scilicet, quae in mente jam aderant, sed quasi inertes atque delitescentes, quas deinceps excutimus, uti propemodum respectu idearum contingit, quae mente aliquando exciderunt, quaeque identidem in nobis excitantur; unde illud Socratis solemne: *Discere est recordari*. Hoc tamen inter utrasque, si Socrati credimus, maxime interest, quod has postremas, novas ideas non esse, conscientia utplurimum plane nobis testatur; illas contra, quae, - animis nostris veluti insculptae eisque congenitae reviviscunt -, jam nos alias habuisse, conscii nequaquam sumus.

186. Sed haec mehercule nimia sunt. Reenimvera, ad quid in homine intelligendi atque ratiocinandi facultas? Quod si, ad ideas quaslibet consequendas una eaque simplicissima et penitus indeterminata, notio, ut vidimus, humanae menti sat est, cur has ipsas ideas plenas atque absolu-

tas natura illi tribuisset? nil quippe frustra natura unquam molitur.

187. Scio equidem, quibusdam factis Platonem inniti, quae prima fronte sententiae suae favere videntur (1). Ex his tamen factis id tantum inferre licet, innatam hominem habere facultatem judicandi; vel melius, commune aliquod *judicatorium* (sive *notio*, sive *lumen* dicatur) ingenitum illi esse, quo judicia formare sicque rerum ideas adipisci potis est; nequaquam vero ideas ipsas, completas atque perfectas secum ab ortu gerere.

188. Iisdem autem rationibus innixi, eorum omnium doctrinam rejicimus, qui, licet Platone moderatiores, nimii tamen sunt ac convenientes fines excedunt, quum de idearum origine quaestionem pertractandam suscipiunt: inter quos Cartesius, Malebranchius, Leibnitius, Wolfius (2);

---

(1) « In illo libro qui inscribitur *Menon*, sic placita haec platonica re- « fert Cicero, pusionem quemdam Socrates interrogat quaedam geo- « metrica de dimensione quadrati. Ad ea sic ille respondet, ut puer; « et tamen ita faciles interrogationes sunt, ut gradatim respondens eo- « dem perveniat, quo si geometrica didicisset. Ex quo effici vult So- « crates, ut discere nihil aliud sit, nisi recordari. Quem locum multo « etiam accuratius explicat in eo sermone, quem habuit eo ipso die, « quo excessit e vita: docet enim, quemvis, qui omnium rerum rudis « esse videatur, bene interroganti respondentem declarare, se non tam « illa discere, sed reminiscendo recognoscere; nec vero fieri ullomodo « posse, ut a pueris tot rerum atque tantarum insitas et quasi consi- « gnatas in animis notiones haberemus, nisi animus, antequam in cor- « pus intravisset, in rerum cognitione viguisset.... Neque ea plane vi- « det animus, cum repente in tam insolitum tamque perturbatum do- « micilium immigravit; sed cum se collegit atque recreavit, tum agno- « scit illa reminiscendo. Ita nihil aliud est discere, quam recordari » (*Tusc. Disp.*). Eadem autem habet in libro De senectute: *Pueri*, ait, *ita celeriter res innumerabiles arripiunt, ut eas non tum primum accipere videantur, sed reminisci et recordari.*

(2) Cartesius (etsi ejus opinio hac de re liquido semper non pateat) censet, Deum -, impressione ab externis corporibus in nos facta -, quasi arrepta occasione, in mente nostra ideas earum rerum gignere, quas ipsa sensu percipit. Malebranchius hinc humanam mentem cum Deo naturaliter connexam esse opinatur, in eoque proinde, tamquam in speculo, objecta omnia videre atque cognoscere. Leibnitius,

praesertim vero Emmanel Kantius adnumerandus est (1). Qui multiplices, ad humanarum cognitionum originem explicandam, in anima formas supponit, quas ex se quodammodo ipsa educit atque emittit, statim ac internis vel externis sensationibus afficitur. Hisce porro sensationibus, tamquam materiei, formas illas seu conceptus universales conjungendo, peculiaris objecti perceptionem conficit.

At, aliis bene multis, quae ad hanc rem animadverti possunt, omissis, duplex idque gravissimum vitium in hoc systemate deprehendere pronum est: quod nempe *multiplices*, easque *subjectivas*, humanae menti formas attribuat (V. n. 168, *nota* 2). Naturalis enim et primigenia intelligentiae forma nonnisi *una* esse potest (2). Hujusmodi praeterea forma prorsus *objectiva* esse debet; proindeque immutabilis, necessaria, neque ab ipsa intelligentia ullomodo pendens; hac quinimo multo praestantior, eam sibi obnoxiam habere, uti jam saepius animadvertimus.

---

idearum omnium vestigia, omnes videlicet rerum notiones, - utut rudes adhuc et informes -, secum animum ab ortu suo gerere docet; quae in ideas perfectas deinceps et distinctas abeunt, instinctiva et ingenita animi activitate illis admota. Wolfius et Arnaldus mentem humanam tali vi praeditam esse censent, ut, positis sensuum et cerebri motionibus, ipsa sibi ideas procreet, rebus a quibus illae gignuntur, conformes: quae quidem doctrina haud parum cum Kantiana congruere videtur.

(1) Hujusce doctrinae fama, superiore labente saeculo et vel in praesens, per omnes Europae scholas maxime percrebuit; ex qua complura exinde, ingeniosa quidem (sin minus vera), at multis iisque difficilibus nodis implexa, orta sunt systemata; quibus, inter Germanos, prae caeteris inclaruerunt Fichtius, Schellingius et Hegelius. — Sed de his *Historia hpilosophiae* nostrorum temporum.

(2) *Impossibile est*, inquit S. Thomas, *simul multa primo et per se intelligere: una enim operatio non potest simul multis terminis terminari.*

§ 2.— *De his, qui, in idearum origine enodanda, defectu peccant.*

189. Ad hanc classem omnium primi referri debent philosophi, quos Cicero *prebeios* vocat (1); a nobis *sensistae* nominantur. Quorum inter veteres Aristoteles (cujus tamen doctrina saepe admodum incerta); inter recentiores autem Lockius princeps habetur. Horum doctrinae summa haec est: Quamlibet ideam vel formam innatam inter chimaeras esse ponendam; nullum omnino cognitionis elementum humanae menti congenitum esse. Hinc mentem ipsam veluti *tabulam rasam*, nullo charactere signatam, habent; atque ideas omnes, sola sensuum externorum vi, in anima gigni putant, unde illud in hac doctrina solemne: *Nil est in intellectu, quod prius non fuerit in sensu.* Hoc autem systema, variis licet modis enuntiatum, ad simplicissimam formam reduxit Condillacus. Qui, postquam omnes humani spiritus facultates in solam physicam sensibilitatem conclusit (V. n. 132), nil aliud *ideam* esse docuit, nisi *sensationis transformationem;* quae transformatio, per Condillacum, fit, quin intellectus quidquam sensationi ipsi adjungat. En purum putumque sensismum.

Hanc porro doctrinam, etsi quae superius in Condillacum ipsum jam disputavimus, - specialim autem diximus de idea entis (n. 176 et seq.) -, satis refellere videntur, abs re tamen non erit ad

---

(1) *Sic enim ii*, ait, *qui a Platone et Socrate et ab ea familia dissident, appellandi videntur* (Tusc. disp.).

trutinam denuo revocare: de re quippe agitur maximi momenti; a sensismo enim perniciosissima quaeque in philosophia systemata nullo non tempore manarunt.

190. Ponunt sensistae, humanam mentem, nulla prorsus notione naturaliter formatam, ideas sibi comparare; quin animadvertant, absque objecto intellectuali, seu, ut vulgo dicitur, lumine rationis, ne mentem quidem ipsam esse posse; nullam proinde in homine cogitandi potentiam (V. n. 5), nullam ideas adquirendi possibilitatem, nullumque propterea verum et essentiale inter hominem et belluam discrimen (1); eo autem minus, inter Deum et hominem, similitudinem interesse (V n. 182).

Ad illud autem quod asserunt, nil esse in intellectu, quod prius non fuerit in sensu, cum Leibnitio respondemus: « excipe, *nisi ipse intellectus* ». Intellectus porro, ut vidimus (n. 67), nil aliud est quam naturalis et primitiva entis intuitio. Quod si hoc effato id sibi volunt sensistae, nullam

(1) Nequicquam igitur sensistae, ut hanc consequentiam devitent, discrimen inter homines et bruta in potentia cogitandi ponunt, qua homines pollent, haec autem carent. Vel enim potentiam, nomine tenus, admittunt, quaeque reapse nihil sit; vel veram proprieque dictam potentiam in homine inesse affirmant, tumque nobis penitus consentiunt. Quod facile patebit, si *potentiam cogitandi* analysi subjicimus (V. n. 175): Quid est enim *cogitare?* est rem vel objectum aliquod in se ipso concipere: idest quatenus propria sua existentia praeditum est; vel aliter, quatenus est. Quare simplici, mathematicorum more, facta substitutione, potentiam cogitandi nil aliud esse deprehendimus, quam potentiam entia concipiendi. Sed ea plane ratione, qua nil, v. gr., tamquam pulcrum concipere vel judicare possum, nisi in me idea pulcritudinis praeexistat; nil justum vel crudele, sine idea justitiae et crudelitatis....; sic, absque idea entis, nil possum tamquam ens concipere, idest potentiam concipiendi entia seu cogitandi non habeo. Sensistae igitur, quin sciant aut velint, nostram confirmant sententiam eique patrocinantur.

in humana mente cognitionem *materiatam*, ut dicunt, vel *mixtam* esse (V. n. 146), cujus pars *materialis* non prius fuerit in sensu, libenter concedimus. Sed, praeter materialem, pars etiam in illis est, et quidem praecipua, seu elementum *formale*, quod ad sensum nullomodo pertinere potest.

191. Ad hoc, idea naturâ suâ universalis et objectiva est; sensatio, contra, particularis et subjectiva. At, si duo sint entia, diversae inter se et oppositae naturae, alterum profecto alterius transformatio esse nequit (1). Praeterquamquod sensatio, quum sit quid simplex (V. n. 130-1), ut in aliud transformetur, prius destruatur necesse est.

Quamobrem sensatio, occasio quidem, stimulus et *materia* ideae dici poterit, non vero *formalis* ejus causa et principium, non idea ipsa. Quod eo magis patebit, si cum Thoma Calusio animadvertimus, sensationem per se obscuram atque incognitam esse; neque absque ratione, seu idea, intelligi posse. Ergone idea, quae sensationem intelligibilem facit, nil aliud est, quam sensatio ipsa?

192. Ex his etiam consequitur, ideam ab *imagine sensibili* omnino differre. Quum enim nil aliud haec sit, quam interna sensationis cujuspiam reproductio, vel plurium sensationum, quas jam alias sumus experti, compositio (V. n. 37), non secus ac sensatio ipsa, subjectiva et particularis est.

193. Quid vero de ideis *puris* dicendum, quae videlicet nil continent, quod sensus, vel internus vel externus, suppeditaverit: cujusmodi, ex. gr., sunt

(1) *Nihil est enim*, ait Cicero, *quod de suo genere in aliud genus transferri possit* (Acad.).

ideae *veri et justi?* Quis, quaeso, sibi unquam persuadeat, per nares, vel aures, vel oculos hasce ideas permeare posse (1)?

Idem autem dicatur de ideis *causae* et *substantiae*. Siquidem in sensus revera cadunt facta, mutationes nimirum et phoenomena quae in mundo contingunt; sed horum phoenomenorum causae nequeunt a sensibus percipi: nullam quippe in illos impressionem faciunt. Similiter, rerum equidem modi seu qualitates sensus externos movent; at eorum substantia illos perpetuo latet eisque penitus inaccessa est (2). Hinc vel ipse Lockius quum ideam substantiae a sensibus oriri non posse aperte videret, illius in humana mente existentiam prorsus negavit. Quod profecto perridiculum est: quî enim idea non existit, quam, ipso fatente Lockio, omnes homines adhibent, quaeque in eorum sermonibus perpetuo invenitur?

194. Sed quid plura congerimus? Sat quippe est, intimam ideae naturam inspicere, ut statim constet, hanc ab sensatione toto coelo differre: nam idea est « intuitio possibilitatis rei alicujus », vel rectius, ipsius rei *cognoscibilitas* (V. n. 138, 140). Atqui mere *possibilia* nullam in organis corporeis vim habent, nullumque propterea sensum in

---

(1) « Usquamne hujusmodi res vidisti, ita Simmiam sciscitatur Socrates apud Platonem, vel aliquo alio corporeo sensu usurpasti? » Expressius autem S. Augustinus: *Dicatur mihi quem colorem habeat sapientia. Cum cogitatur justitia, quid veniat tamquam sonus ad aures; quid surgat ad nares; quid manu tractetur* (Enarr. in ps. 41). Quibus omnibus percontationibus ita respondet Cicero: *Neque oculis, neque auribus, neque ullo sensu percipi possunt: cogitatione tantum et mente complectimur* (Orator.).

(2) *Substantia*, inquit S. Thomas, *non est visibilis oculo corporali, neque subjacet alicui sensui, sed nec etiam imaginationi, sed soli intellectui.*

nobis excitare queunt: id namque rerum subsistentium proprium est. Per ideam scilicet objecta cognoscuntur extra omne tempus et spatium; quandoquidem possibilitas nullis, neque temporis neque spatii, limitibus circumscribitur: aeterna est et immensa. Quare, dum sensatio *multiplex* et *varia* est, idea est quid *unum* semper et *identicum:* absurdum est enim, plures unius ejusdemque rei possibilitates esse (1). Plures quidem sunt, iique distincti, actus intuitionis, seu mentes quae ideam intuentur (quemadmodum plures sunt oculi qui solem vident); sed idea ipsa (perinde ac sol) una semper et eadem est.

195. Ad philosophorum classem, de quibus modo agimus, pertinet etiam Laromiguierus. Qui, licet optime animadverterit (V. n. 134), *cognitionem* ad meram *sensationem* reduci non posse, omnes tamen ideas ab humano spiritu formari contendit, quin intellectuale aliquod elementum in eo congenitum ponere necessum sit.

Per Laromiguierum namque, idearum *origo* in sensu, earum vero *causa* in actione facultatum intellectus quaerenda est. Quum autem quadruplex, ut illi quidem videtur, in homine sit sensus, hinc quatuor idearum genera sunt distinguenda: ideae nempe *sensibiles*, ideae *facultatum* animae, ideae *relationum*, et ideae *morales*. Omnes tamen, simplicitatis gratia, animae humanae operationes ad *attentionem* reducit Gallus philosophus; hinc *ideam*

---

(1) *Si ambo*, ait S. Augustinus, *videmus verum esse quod dicis, et ambo videmus verum esse quod dico; ubi quaeso id videmus? Nec ego utique in te, nec tu in me: sed ambo in ipsa, quae supra mentes nostras est, incommutabili veritate* (Confess.).

generatim definit « sensum ab aliis sensibus, attentionis ope, distinctum ».

196. Jam porro, attentio, de qua loquitur Laromiguierus, vel mere sensitiva est, vel intellectualis. Si primum, a sensatione ipsa proprie non differt (V. n. 78), nec propterea ideis gignendis idonea est. Si vero alterum, iterum distinguo. Vel nimirum attentio hic accipitur pro perceptione ipsa intellectuali, vel pro quodam spiritus actu, qui intellectualem perceptionem consequitur: utroque in casu, idea universalis existentiae opus est, ut confici possit.

Quum igitur Laromiguierus, idearum causam in intellectus operatione constituit, - quocumque originali elemento seu lumine illi ablato -, falso laborat supposito et aperte secum ipse contendit: ponit namque facultatem; interim vero conditionem tollit, sine qua facultas haec esse nequit.

197. Eadem autem, qua Laromiguierus, animadversione dignus videtur Galluppius. Qui, in attentionis locum *meditationem* sufficiens, ideam definit « meditationis productionem »; quod idem est ac si diceret: idea est productio facultatis, quae illam producere potis est. Hujusmodi autem meditatio, ex Galluppio, analysim ac synthesim complectitur.

At, quaeso, potestne humanus spiritus in analysis et synthesis, seu meditationis actum erumpere, ubi nullâ, in hisce actibus exercendis, regulâ ducatur; si cujuslibet formae seu luminis intellectualis expers sit? Siquidem in hoc quaestio non est, qua ratione humanus spiritus, - attentionis, meditationis, et generatim suarum facultatum vi -, ideas sibi comparet; sed potius, quomodo attendere, meditari, uno verbo, facultates suas exercere valeat; vel melius, quomodo et quanam sub conditione facultates hujuscemodi possibiles sint; brevi, quomodo cogitare homo possit. En verum de origine idearum problema; quod nunquam resolvet, qui humanam intelligentiam ab ipso ortu veluti *tabulam rasam* (eo saltem sensu, quo haec vox ab sensistis accipitur) effingit.

198. Non licet, de idearum origine dicenti, Reidium, celebris Scoticae scholae principem, silentio omnino praeterire. Reidius, quamvis ab sensistarum doctrina quammaxime alienus in eosque acerrime pugnaverit, non secus tamen ac illi, idearum originem explicare nititur, quin innati aliquid in anima admittat. Id optime quidem perspectum fuit Reidio, primam humani spiritus operationem esse synthesim, idest judicium de reali existentia objecti, quod ope sensuum perceptum est; quod judicium sic tacite exprimitur: « quod sentio, existit ». Ex qua maximi momenti observatione consequitur, judicium de actuali rei alicujus existentia, meram et simplicem rei ipsius ideam praecedere (V. n. 147); hinc aliud esse, si idea in sua *natura*, aliud autem si in *origine* sua consideretur. Ut primitus idea menti praesens sit, rei quidem subsistentia requiritur; sed haec ad ideae naturam nullomodo pertinet. Haec mehercule verissima sunt; eaque in lucem proferens, plurimum Reidius de philosophia meritus est.

199. At a veritate quam longissime aberrat, quum docet, judicium illud primitivum et naturale, caeca quadam, seu fatali vi et necessitate, vel, ut ipse ait, naturae ipsius *suggestione*, ab homine formari, quin ulla idea praecedat. Nam-

que, si verum judicium hoc est, iis procul dubio elementis constare debet, quae ad judicium quodlibet sunt necessaria, *subjecto* nimirum et *praedicato;* haec autem judicium ipsum praecedant, necesse est. Ut igitur hoc ferre judicium possimus: « quod sentio existit », idea existentiae omnino requiritur, cujus tamen origo in reidiano systemate nequaquam explicatur, sed in incerto relinquitur; innatam autem hanc esse, solida, ut nobis quidem videtur, argumenta omnino evincunt (1).

200. Humanae cognitionis naturam et originem hactenus investigavimus. Nobis modo demonstrandum est, naturam humanae cognitionis hujusmodi esse, ut errorem a se prorsus excludat; adeo ut error quilibet extra cognitionis naturam quaerendus sit: error quippe cognitio dici nequit. Sed id ad Logicam spectat.

(1) Ex his interim manifesto liquet, quum Rosminii, de idearum origine, systema, a nobis superius expositum, in eo totum sit, ut explicet, quomodo judicium illud primitivum fieri possit, cujus ope primam rei cujuspiam notionem acquirimus, Reidiano systemati proprie continuari, et illud quodammodo complere atque perficere.

III.

LOGICAE GENERALIS ELEMENTA

201. *Logica*, a graeco λόγος dicta est, quod Latinis est *sermo*. Hic autem duplex distinguitur: internus et externus. Sermo internus idem est ac *cogitatio* vel *ratio;* externus vero, *verbum*, *oratio* (1). Alter tamen ab altero haud essentialiter differt: *oratio* enim est cogitatio ipsa exterius patefacta; *cogitatio* autem, uti in Thaeeteto et Sophista animadvertit Plato, aliud non est, nisi sermo, quem secum ipsa mens confert circa res, quas considerandas suscipit.

Logica itaque generatim definiri potest « scientia artis cogitandi», vel melius, «ratiocinandi». Ex qua definitione patet, quamdam esse ratiocinandi artem, quam ab hujus artis scientia secernere opus est. Quatenus *ars*, Logica est « habitus recte ratiocinandi »: accurate scilicet ac vere judicandi de rebus, ad quasdam regulas ex ipsa humanae cogitationis natura expressas (2). Quatenus vero *scientia* eo spectat, ut ejusmodi regulas nitide declaret, quo eas quisque in suos usus convertere possit.

(1) *Quod graece*, ait S. Augustinus, λόγος *dicitur, latine et* rationem *et* verbum *significat.*

(2) Prout recte ratiocinandi habilitatem et dexteritatem a natura ipsa quis habet, vel hanc proprio sibi studio et industria, doctorum praeceptis et disciplinis praesertim adjutus, comparat, Logica dicitur *naturalis*, vel *artificialis*.

202. Animadvertendum tamen est, ratiocinandi regulas et principia vel ad quamcumque generatim materiam et rerum species accommodata esse; vel determinatis tantum ac peculiaribus disciplinis convenire. Si primum, dicitur Logica *generalis;* si vero alterum, *specialis.*

Logica generalis, immutabilis est et una: quippe quae, nullam determinatam rerum classem spectans, generalia tantum praecepta et regulas proponit, quae humanam intelligentiam in suis operationibus moderentur. Logica contra specialis, multiplex et varia est: cuilibet namque disciplinae propria est et sua congruit logica. Proprie tamen loquendo, logicae speciales nil aliud sunt, quam quaedam ipsius logicae generalis praecepta, ad peculiarem disciplinam apta et composita; seu, quemadmodum veteres appellabant, propositiones *mediae,* quae rationi praesunt, eamque dirigunt in iis quae speciatim pertractanda adgreditur. Hujusmodi sunt Logica *theologica, moralis, judiciaria* etc.

203. Ad quae si paullo attentius animum advertamus, facile unicuique patebit, quanti momenti quantaeque utilitatis sit Logica; nec profecto nimias et immodicas esse laudes, quibus extolli consuevit; neque immerito nunc *vectem ingeniorum,* nunc *organum* vel *clavim scientiarum,* nunc *mentis medicinam,* nunc honorificis aliis nominibus nuncupatam fuisse. Quidquid enim moliatur homo, vel negotium suscipiat, maxime vero si scientiis et literis det operam, hunc profecto, ni inconsulte et perfunctorie agere velit, de rebus apte cogitare et recte ratiocinari oportet: quî enim secus ad exitum suscepta studia perducere; quos in iis progressus facere unquam poterit (1)?

204. Logica, ut diximus, est scientia artis ratiocinandi. Sed finis, quem in ratiocinando quis sibi propositum habet, duplex esse potest: vel scilicet veritatem invenire, - quod logicam, seu sermonem internum respicit -, vel inventae alios participes facere, - quod praesertim ad sermonem externum refertur. Hinc Logica generalis (cujus elementa tradituri nos sumus) haec maxime praestare debet: Hominem videlicet edocere, quomodo ratiocinio suo uti idest ratiocinari debeat, ad veritatem inquirendam et inveniendam; et quomodo inventam aliis convenienter exponere et persuadere possit. Sed in primis, veritatis ipsius existentiam, atque humanae intelligentiae vim et efficaciam tueri opus est.

In tres itaque partes Logicam dividemus: quarum 1ª agit *De veritate;* altera, *De methodo inquirendae veritatis;* 3ª demum *De methodo veritatis exponendae,* seu *Dialectica.*

PARS PRIMA

De veritate.

205. *Naturâ inest,* inquit Cicero, *in mentibus nostris insatiabilis quaedam cupiditas veri videndi* (Tusc. quaest.). At quid *veritatis* nomine venit?

---

(1) Optime in rem Rosminius: « È degno di osservazione che in tutte quelle nazioni, nelle quali la logica o non fu inventata, o non pervenne alla perfezione, nè pure l'altre scienze poterono farvi buona presa, o non allignarvi al tutto, o se anco vi allignarono un po' di tempo, presto imbastardirono; attalchè la scienza logica, secondo la costante deposizione della storia, si può riguardare come condizione necessaria d'un grande sviluppamento e incivilimento dell' umanità » (*Logica*).

An quoddam fortasse haec est humanae mentis ludibrium et hallucinatio, vel fugax umbra, quam frustra nitimur amplecti? Ita sane sceptici. Quod si paene incredibile tibi videtur, in mentem revoca, nihil tam absurde dici posse, *quod*, uti idem Cicero animadvertit, *non dicatur ab aliquo philosophorum* (De divinat.).

206. *Sceptici*, a Gellio *quaesitores* et *consideratores* dicti, generatim appellantur, qui in veritatem pugnant: sive hanc omnino esse negent; sive homini imperviam, atque cum Democrito, in profundo quodam puteo demersam veritatem jacere affirment; sive tandem de ejus existentia dubitandum doceant (1). Quoddam insuper scepticorum genus est (*Critici* vel *Transcendentales* dicti), duce praesertim Kantio et inter veteres Protagora, qui veritatem quidem esse concedunt, sed *subjectivam* tantum, quaeque ipsam humani spiritus naturam induat. Hinc illud Protagorae effatum: *omnium rerum mensuram hominem esse.* Sed quid nomen valet, si rem ab eo significatam jam penitus abstuleris? siquidem veritas subjectiva idem est ac *non-veritas.*

Veritate autem sublata, quid adhuc homini restat? quid rebus humanis fiet? quid moribus? quid Religioni? Quod ad Deum attinet, vel hunc sceptici esse negant simpliciter, vel in medio relinquunt, ut Protagoras; qui, uti refert Cicero, « in

(1) Proprie tamen loquendo, hoc *scepticorum* principium est, nihil affirmandum nihilque negandum esse. *Pyrrhonici* omnia prorsus negabant. *Academici* vero (de illis loquimur, qui ad tertiam pertinebant Academiam ab Arcesilao institutam) censebant, nonnisi ad probabilitatem pervenire hominem posse; nullam de rebus scientiam dari, neque aliud superesse, praeter opinionem. Hinc Cicero, Academicorum sectae addictus, *ego vero ipse*, ait, *et magnus quidem sum opinator, neque enim sum sapiens* (Academ.).

principio libri sic posuit: *De diis neque ut sint, neque ut non sint*, *habeo dicere* (De nat. deor.). Et hercle! Quid Deum, quid sanctitatem, pietatem, verecundiam, quid justitiam loquerentur? Tollunt haec ipsi decretis suis (1).

207. Ex quo manifestum est, quantum scepticorum doctrinam refutare atque radicitus evellere, philosophi intersit.

Quod ut consequamur, dicemus in primis quid sit veritas, de veritatis scilicet natura et essenti a; 2º de illius existentia; 3º de veritatis criterio; 4º de variis humanae mentis, quod ad veritatem spectat, statibus; 5º demum, de naturali cognitionum humanarum certitudine, seu humanae intelligentiae veracitate et efficacia.

(1) Si scepticismi originem quaeris, ab sensismo hunc directe prodire reperies. Pone enimvero cognitionem omnem a sensibus profisci, jam nulla erit amplius cognitio *a priori*; nullum ratiocinii principium, universale, immutabile et necessarium: quandoquidem sensus omnino particulares, mutabiles et contingentes sunt. Atqui, demtis principiis necessariis, omnis evanescit de qualibet re certa cognitio. Hinc, qui sensuum doctrinam fideliter teneat, ne se quidpiam quidem percipere, vel aliqua sensatione affici, certum habere posset. Percontanti enim, cur certus ille sit, se voluptatem, v. gr., vel dolorem persentire, quid aliud respondet, nisi hoc unum, quod nimirum hoc sentit; dum autem sentit, fieri non posse ut illud non sentiat? nil quippe esse simul et non esse potest. Atqui principio contradictionis manifeste innititur; quod profecto, non secus ac caetera, a sensibus oriri nequit. Sensistae igitur, si sibi constare velint, ne de propriis quidem cogitationibus aut affectionibus certi esse possunt. Unde sequitur, lockianam doctrinam, quod nullam de principiorum rationalium necessitate et universalitate rationem afferat, recta ad scepticismum ducere. A quo tametsi Lockius ipse se omnino alienum aperte profiteretur (magis namque in eo naturae vis, quam propria philosophia potis fuit), hinc tamen non nullos, praesertim vero Humium, legitima argumentatione scepticismum elicuisse compertum habemus.

CAPUT I.

De veritatis natura et essentia.

208. Multiplicem vox *veritas* habet intellectum. Interdum veritas propositioni vel cognitioni alicui tribuitur; quo in casu definitur « convenientia cognitionis cum suo objecto » (« la corrispondenza fra la cognizione e il suo oggetto », uti ait Giobertius).

Aliquando veritas inesse dicitur in statua, v. gr., in pictura, in tragico vel comico dramate et similibus, ubi haec datum virum, vel factum aliquod, vel alicujus temporis aut loci mores et instituta adamussim ac perfecte repraesentent. Veritas hoc sensu accepta definiri potest « conformitas rei cum sua mensura vel exemplari ».

Saepius tandem, *veritatis* nomine, ipsa intelligitur « rerum mensura et exemplar ». Haec porro postrema, propria veritatis definitio dicenda est: quippequae veritatis ipsius essentiam atque naturam exprimit; dum illae priores, non essentiam veritatis, sed *cognitionis* potius vel *rei* qualitatem significant, qua fit ut hae *verae* dicantur. *Vera* namque generatim dicitur res, quae cum exemplari suo idest cum veritate convenit eique assimilatur; si ab ea discordat, *falsa* (1).

209. At quum res cum exemplari suo confertur, ut ejus cum illo similitudo vel dissimili-

(1) *Quidquid est verum*, ait S. Thomas, *veritate verum est*. Hujusmodi autem convenientia et similitudo, quae inter res et earum exemplar intercedit, est ipsa veritas a rebus quodammodo participata. Quo omnino sensu: *Signa Myronis*, inquit Cicero, *non satis ad veritatem adducta sunt* (Brutus); et alibi: *In omni re vincit imitationem veritas* (Orator).

tudo deprehendatur, haud profecto rem comparamus cum exemplari, quatenus fortasse reapse ac physice existit, sed cum illius potius idea, quae in mente nostra inest (1).

Quo fit, ut rerum mensura et exemplar, nil aliud, proprie loquendo, sit quam *idea*. Quapropter veritas, in se ipsa considerata, accuratius definitur « idea, quatenus est rerum exemplar » (2).

210. Inde conficitur, tot esse veritates, quot sunt ideae, quae tamquam rerum mensura et exemplar adhiberi possunt. Sic idea justi est veritas sive mensura, qua humanae actiones, bonae vel pravae recognoscuntur. Similiter, idea *pulcri* est veritas, cujus ope de rerum pulcritudine vel deformitate dijudicamus. Idem autem et de qualibet alia idea dicatur. Sub quo respectu, vox *veritas* plurali etiam numero usurpari solet: uti quum, v. gr., in summo oratore vel egregio scriptore *multas* easque insignes veritates deprehendimus; vel dicimus cum regio Psalmista: *Diminutae sunt veritates a filiis hominum.*

Hae igitur veritates nonnisi *specificae*, vel e-

(1) « Il paragone (uti optime P. Giordanius animadvertit) dee farsi verso un modello che è nella nostra mente ».

(2) Ideae nimirum sunt veritates exemplares; res autem veritatem accipiunt ab earum conformitate cum ideis. Si, e. c., datum ens reale equum esse judico, quod equus revera sit, *verus* dicitur equus: id autem significat, ens illud equi ideae, cujus ope de ipso judicium fertur, omnino respondere. *Unaquaeque res*, ait S. Thomas, *dicitur vera, absolute, secundum ordinem ad intellectum a quo dependet. Et inde est, quod res artificiales dicuntur verae per ordinem ad intellectum nostrum: dicitur enim domus vera, quae assequitur similitudinem formae quae est in mente artificis* (Sum. theol.). Ex quibus Doctor angelicus concludit, veritatem principaliter esse in intellectu, nempe *ideam* esse; secundario vero in *rebus*, secundum quod comparantur ad intellectum, tamquam ad earum principium. Hinc ab eodem S. Thoma et S. Bonaventura veritas definitur *adaequatio rei et intellectus*.

tiam *genericae* sunt, proindeque *relativae:* ad has quippe, veluti ad suum exemplar et mensuram, definitae quaedam rerum classes referri tantum possunt.

211. At saepenumero vocabulum *veritas* singulariter et sensu plane indeterminato atque absoluto accipitur. Hoc enimvero sensu, ex. gr., nos affirmamus, veritatem existere et ab homine cognosci posse; sceptici contra inficiantur. Ubinam porro est veritas, si ad hunc modum intelligatur? quaenam videlicet est idea, quae *veritas* absolute nuncupari possit?

Respondemus, haud aliam hanc esse, nisi ideam entis universalis, ad quam ceterae, uti in Ideologia demonstravimus, cum specificae tum genericae, possunt reduci, quaeque omnes quodammodo complectitur. Profecto, quum res, licet multa in eis sit modorum varietas, in hoc tamen omnes conveniant ut *sint*, de *ente* nimirum seu *entis essentia* participent, manifestum est, ideam entis eam unam esse, cujus ope de rebus omnibus, quatenus sunt, de illarum scilicet *entitate*, deque variis earumdem entitatis gradibus judicare possumus.

212. Quapropter idea entis, seu ens ideale (nequaquam vero homo, uti docet Protagoras) una est rerum omnium mensura; unicum et absolutum earum exemplar; paucis: *veritas* prima et universalis. Quae idcirco recte definitur « id quod est », seu *ens*.

Haec porro genuina est Platonis doctrina. In Platonis autem sententiam omnino concessere S. Augustinus, S. Thomas, Cartesius, Malebranchius, Bossuetus, Fenelonus, Leibnitius, Rosminius (1) et omnes generatim, qui a vulgari et plebeia philosophandi ratione recesserunt.

213. Veritas, ut diximus, idem est ac *ens*. At, si alio sub respectu consideretur, definiri etiam poterit « suprema vel ultima propositionis alicujus ratio ». Quae tamen definitio ab altera illa minime differt: *veritas* namque, *ultima ratio* et *ens*, unum idemque sunt. Profecto, nonne tunc rei alicujus *veritatem* consequutos nos esse dicimus, quum ad ultimam ejus *rationem* pervenimus (all'ultimo perchè), quum nempe rem ita *esse* videmus?

Ex quo iterum patet, veritatem, absolute acceptam, unam tantum esse: ultima quippe propositionis cujuscumque ratio nonnisi una esse potest. « Veritas una est », et ipsum vulgum saepe dicentem audimus (2). En cur *Philosophia*, quam scientiam diximus (*Praef.*, n. 4), quae in ultimis entium rationibus inquirit, scientia veritatis recte quoque nominetur (3).

---

(1) Plato « verum » appellat τὸ ὄν, *quod est*, nempe *ens*. S. Augustinus: *Veritas est qua ostenditur id quod est*. S. Thomas: *Doctrina non potest esse nisi de ente. Nihil enim scitur nisi verum, quod cum ente convertitur* (V. n. 170). Et alio loco: *Objectum intellectus est ens, vel verum commune*. Fenelonus: « Je conçois que l'être et la vérité sont la même chose; en sorte qu'une chose n'est qu'autant qu'elle est vraie, et qu'elle n'est vraie qu'autant qu'elle est ». Quod autem ad Rosminium attinet, inter alios innumeros, placet hunc locum, ab ejus *Epistola* ad B. Montium excerptum referre: « La verità è lo stesso *essere ideale* in quanto ch'egli rende conoscibili le cose reali, e però in quanto è lume, tipo od esemplare all'artefice che ha virtù di produrle, ed è regola o norma al critico che vuol giudicare se sono bene prodotte. Il vero adunque si converte coll'ente, perchè il vero non è altro che l'ente stesso ideale assunto agli indicati ufficii ».

(2) *Omnes* (res), inquit S. Thomas, *sunt verae una prima veritate, cui unumquodque assimilatur secundum suam entitatem. Et licet plures sint essentiae vel formae rerum, tamen una est veritas... secundum quam omnes res denominantur verae*. Item Varchius: « La verità in tutte le cose è una cosa sola » (*L'Ercolano*).

(3) Ita nimirum a Platone dicta est; qui levissimos illos homines,

CAPUT II.

Veritatis existentia adversus scepticos vindicatur.

214. Quum veritatis essentia, qualenus hisce in terris nobis innotescit, sit idea entis seu ens ideale, quod mentibus nostris jugiter splendet, jam sequitur, veritatis existentiam frustra scepticos inficias ire, vel hanc homini inaccessam dictitare. Entis namque intuitio, idest intellectus (V. n. 67), est factum quoddam universale, solemne, evidentissimum, quodque in dubitationem adduci nullomodo potest, utpotequod factorum omnium rationalium est fundamentum; quodque, vel ipse scepticus, dum negat vel dubitat, necessario admittit.

Hoc autem argumentum ita etiam exhiberi potest: Veritas est quaedam cognitionis qualitas (V. n. 208); vera porro est cognitio, quum id quod cognoscitur, *est;* ergo ens quod cognoscitur est veritas cognitionis. Atqui *ens* est forma intelligentiae (V. n. 168); ergo forma intelligentiae est *veritas* (humana mens, ex S. Augustino, *ab ipsa formatur veritate*): primam scilicet veritatem humanus spiritus naturaliter possidet. Tantum igitur abest, ut veritas, quemadmodum sceptici contendunt, non sit vel hominem perpetuo lateat, ut imo hominis adeo sit propria eique intime inhaereat, ut si ab illo hanc auferri ponas, jam eo ipso homo esse desineret: per hanc enim intelligens et rationalis est. Quod vel ipsum vocabulum

qui omnia videre, et audire, omniaque indiscriminatim nosse cupiunt, philosophorum similes vocat, potiusquam *philosophos:* quo nomine eos tantum appellat, qui « amant videre veritatem ».

veritas aperte declarat: haec namque graece est ἀλήθεια, quasi dicas *non lateo* (1).

215. Quod si altera spectetur veritatis definitio (n. 213), ad eamdem prorsus conclusionem pervenimus.

Hanc, ex. causa, propositionem pono: « Homo praestat belluis ». Si quis propositionis hujuscemodi rationem quaerat, respondeo: « Quia intelligentia, qua homo praeditus est, longe nobilior est sensu, quo belluae unice gaudent ». Anne hujusce rationis ratio ulterius requiritur? In promtu est responsum: « Intelligentia nobilior est sensu, quod illius objectum est quid universale, dum sensus corpore totus circumscribitur et continetur ». Postremae porro hujusce propositionis et sua potest ratio afferri; hujus autem sua et sic deinceps, donec ad propositionem tandem deveniatur, ultra quam progredi non liceat, utpotequae propositae quaestionis, quemadmodum et alius cujuscumque, ultima est ratio; quaeque proinde per se ipsa penitus menti satisfacit, neque amplius illam sinit alias rationes inquirere: *ratio enim*, ut ajunt Scholae, *non est quaerenda eorum, quorum non est ratio.* Atqui homines generatim, quum veritatem nominant, ultimam seu supremam sibi volunt propositionis cujuspiam rationem. Ergo sceptici, ni aliud fortasse, ac caeteri homines,

(1) Apte in rem Rosminius: « Se si considerano le cause dello scetticismo in ogni secolo, intendo le cause dialettiche che si trovano nel processo della mente degli scettici, si conosce facilmente che la prima tra esse si è, che tali filosofi non sono mai risaliti col pensiero sino all'*essenza della verità*, voglio dire all'*idea dell'essere*, dove ogni scetticismo trova il suo fine... Nessuno de' filosofi che è giunto a riflettere sull'ente naturalmente intuìto è stato mai scettico » (*Logica*).

veritatis nomine intelligant, hujus existentiam nullomodo inficiari queunt.

216. Sed jam refutatis scepticis, qui e sensismo systema suum duxerunt, Kantio satisfaciendum est; qui, nomine tenus, veritatem admittens, at reipsa, dum *subjectivam* facit, de medio tollens (V. n. 206), scepticismum quemdam *idealem* seu *transcendentalem*, scepticismo sensistico magis etiam pertimescendum, induxit. Kantius namque docet, ex puris conceptibus seu formis, - quas anima ex se ipsa, sua vi, ut ille opinatur, quodammodo educit, quaeque totidem veluti ejus modificationes habendae sunt (V. n. 188) - , veritates omnes ortum ducere. Per transcendentales igitur nil habet in se veritas stabile et absolutum; illa iccirco necessitas atque immutabilitas, quae veritati tribui solet, nonnisi subjectiva est et relativa: naturali scilicet hominis constitutioni et habitudini respondens; quae, si alia esset ac revera est, quae nos modo tamquam vera et certa tenemus, alia fortasse nobis viderentur (1). Quare, in hoc systemate, vanae solum species ac veluti aegri somnia mentibus nostris illudunt. Hinc illud Kantianis solemne, res nequaquam uti in se sunt seu *noumena* cognoscere nos posse, sed earum tantum adparentias idest *phoenomena* mentibus nostris obversari.

(1) Jam alii, ante Kantium, doctrinam hujusmodi, licet obiter tantum, professi sunt. Inter quos Condillacus et Montesquieu; qui postremus haec aperte scribit: « Si nous avions été faits autrement, nous aurions senti autrement; un organe de plus ou de moins dans notre machine aurait fait une autre éloquence, une autre poésie; une contexture différente des mêmes organes aurait fait encore une autre poésie..... Enfin toutes les lois établies sur ce que notre machine est d'une certaine façon, seraient différentes, si notre machine n'était pas de cette façon » (*Essai sur le goût*).

217. Ad haec respondemus, Kantii doctrinam falsae prorsus inniti analogiae. Naturalem scilicet humanae mentis formam materiali formae adaequat Germanicus philosophus; unde concludit, - ea ferme ratione qua liquidum, quod in vas aliquod infunditur, ad vasis ipsius sese formam accommodat -, sic veritatem, mentis a qua percipitur, formam et naturam excipere necessario debere. Atqui humana intelligentia non propriam veritati formam tribuit, sed a veritate ipsa formatur (V. n. 214): neque enim a mente veritas pendet, quin illam potius haec sibi obnoxiam habet, eique leges imponit (1).

218. Veritas porro est *ens*, quod in mente nostra elucet; hoc autem utpote *absolutum*, *aeternum*, in se *immutabile* ac *necessarium* deprehendimus (V. n. 176). Ergo hujuscemodi est quoque veritas; cujus propterea immutabilitas atque necessitas, realis et objectiva est, nequaquam vero, ut scepticis transcendentalibus placet, mere subjectiva vel phoenomenalis; aut subjecti ipsius assentientis lex quaedam ineluctabilis.

Re enimvera, humanam constitutionem utlibet diversam pone; aliis, si tibi placet, facultatibus praeditus sit homo; alias habeat propensiones; necessitatibus aliis urgeatur. At nequit omnino et

(1) *Veritas*, inquit S. Augustinus, *est major mente humana; alioqui mens judicaret de veritate. Nunc autem judicat secundum veritatem, et non secundum seipsam* (De lib. arbitrio). Item Fenelonus animadvertit, notiones quasdam universales et immutabiles mentem nostram possidere (hae autem nil aliud sunt quam totidem veritatis ipsius significationes), quae sunt judiciorum nostrorum regula; hinc subdit: « Je ne puis juger d'aucune chose qu'en les consultant, et il ne dépend pas de moi de juger contre ce qu'elles me représentent. Mes pensées, loin de pouvoir corriger ou forcer cette règle, sont elles mêmes corrigées malgré moi par cette règle supérieure, et elles sont invinciblement assujetties à sa décision (*De l'existence de Dieu*) ».

absolute fieri, ut quod est, nempe veritas, non sit (1).

219. Ad hoc, suprema considerentur rationis principia, quae nil aliud sunt, quam totidem entis idealis seu veritatis primae applicationes (V. n. 217). Nonne tamquam absoluta, necessaria et immutabilia sese nobis haec exhibent? In his scilicet mens nostra, dum se contingentem, finitam atque mutabilem agnoscit, vim quamdam inesse videt sibi propriam et intrinsecam persuadendi, absolutam nempe impossibilitatem ut aliter sint; quo fit, ut evidentissima quadam luce fulgeant, atque ad eis assentiendum nos quodammodo cogant; uti, *contra Gentes*, S. Thomas hisce verbis animadvertit: *Ea quae naturaliter rationi sunt insita, verissima esse constat, in tantum ut nec esse falsa sit possibile cogitare* (2). Caeterum, nonne

(1) *Faciliusque dubitarem*, ait S. August., *vivere me, quam non esse veritatem* (Confess.). Fenelonus autem, cit. loco: « Quelque effort d'esprit que je fasse, je ne puis jamais parvenir à douter que deux et deux ne fassent quatre, que le tout ne soit plus grand que sa partie, que le centre d'un cercle ne soit également distant de la circonférence. Je ne suis point libre de nier ces propositions; et, si je nie ces vérités, j'ai en moi quelque chose qui est aut-dessus de moi, et qui me ramène par force au but ».

(2) Ex his omnibus facile patet, quid de celebri Protagorae effato, « Homo, rerum omnium mensura », censendum sit. Quam sententiam, vetus ille scepticismi et sophisticae parens, hisce fere rationibus tueri conatur: Quae aliis, ait, dulcia videntur, amara videntur aliis, aegrotis eadem aliter, quam sanis, apparent; eidem adeo homini idem alio tempore placet, alio displicet. Quod ita fieri opinatur, quia in rebus judicandis homo sibimetipse quasi mensuram praebet, ad quam eas exigat et alio tempore aliam. Ut autem sic homo omnium sibi rerum, indeque ipsius veritatis, mensura sit, efficitur mentis hacce omniumque rerum mutatione perpetua: a fortuito rerum cum mente concursu judicia pendent.

Haec quidem ingeniose, et partim etiam vere dicta sunt. Sed in hoc peccat Protagoras, quod de toto pronuntiat quod ex parte solum verum est; atque, per sophisma, de genere transit ad genus: ea enim quae de *sensibilibus* tantum affirmari possunt, ad *intelligibilia* transfert. Profecto, quum de objecto agitur sensibili, hoc quidem concedimus, ab idea haud exacte nobis repraesentari, uti in se est; hu-

arrogans unaque ridiculum est, hominem rationem suam, coram ipsa ratione, in judicium vocare (1)?

220. Veritatem existere et ab homine cognosci posse, pluribus argumentis probatum est. Sed alia etiam via ad eumdem exitum rem adducere licet: demonstrando scilicet, scepticismum secum perpetuo pugnare sibique contradicere (2). Haec porro contradictio cum in scepticis illis apparet qui omnia prorsus *negant*, tum in illis quibus omnia *dubia* sunt: ad binas quippe hasce classes reduci possunt multiplices formae, quas sibi induit scepticismus.

Profecto, priores illi « humanam *rationem*, quemadmodum Ancillonus animadvertit, *ratiociniis* oppugnant; *certissime* affirmant, omnia *incerta*

jusmodi enim objectum, non prius ab intellectu cognoscitur, quam agat in organa sensoria atque a sensibus percipiatur. Constat autem, naturam atque indolem sensationis variam esse, pro varia, non solum objecti (agentis externi) quod organum afficit, verum etiam ipsius organi sentientis indole et natura; quemadmodum hoc fert principium: « Effectus, qui in ente quolibet contingunt, ipsius entis naturae respondent ». At, ab simplici objecti cogitatione, objectum ipsum aut ejus sensationem vel minimum inverti, omnino negamus. Cogitatio enim est actus intellectualis; quae proinde toto coelo ab actionibus corporis distat, aliisque legibus subiicitur. Quum itaque humana intelligentia, objecta ad quae convertitur nequaquam immutet, manifestissimum est, si haec mere intelligibilia sint, - quemadmodum sunt suprema rationis principia, axiomata....., uno verbo, veritas -, nullam prorsus, dum a mente adprehenduntur, vicissitudinem pati, sed, uti sunt, genuina ac firma consistere.

(1) Hanc porro criticismi temeritatem, vel suo tempore, jam vidit S. Bernardus: *Quid enim*, ait, *magis contra rationem, quam ratione rationem conari transcendere?*

(2) « C'est un mystère de la raison humaine, inquit Aloysius Peisse, que le scepticisme qui détruit tous les systèmes en montrant leur contradiction, est lui-même une contradiction, et la plus énorme de toutes ». Sed nil mirum: talem quippe doctrinam esse oportet, quae rationali hominis naturae directe adversatur; qui enim fieri potest, ut quis veritatis lumen, quod in eo naturaliter splendescit, a se depellat, et, quasi *hominem ex homine exuens*, uti ait Cicero, naturam suam immutet?

esse ». Nonne aperta haec est contradictio (1)? Hisce adde, *negationem* absolutam et universalem, quum omnia omnino complectatur, et seipsam tandem convellere (2).

221. Quod vero ad scepticos illos spectat, qui dubii universalis systema profitentur, in perpetua contradictione versari manifestissimum est. Cum enim dubitant, se dubitare affirmant, sicque aliquid certi ac solidi constituunt. « Nullus profecto scepticus, ait Cusinus, saltem dubitat se dubitare; porro qui non dubitat se dubitare, scit se dubitare, hic demum aliquid scit »; nec proinde scepticus esse potest.

Quod si quis dicat, se dubitare utrum dubitet; hic mehercule facile posset eousque sensim urgeri, ut alicujus facti certitudinem admittat. Profecto, quum ait « dubito, utrum dubitem », aliquid affirmat: *affirmat* nimirum se dubitare utrum dubitet. Ultra igitur illi progredi, atque sententiam suam hac ferme ratione expromere opus est: « dubito, an me dubitare dubitem ». Sed hic eadem ac dudum sese offert animadversio. Aliud propterea dubium est adjiciendum, et sic deinceps usque in infinitum. Sed quum illuc pertingere non possint, atque propositionem seu for-

(1) *Etiam qui negat veritatem esse*, inquit S. Thomas, *concedit veritatem non esse. Si enim veritas non est, verum est veritatem non esse* (Sum. theol.). Vel, uti ait Cusinus: « Au fond de toute négation gît une affirmation ».

(2) Id autem ne ipsum quidem fugit Lucretium Carum; qui novos Academicos ita adgreditur:

Denique nil sciri si quis putat, id quoque nescit,
An sciri possit, qui se nil scire fatetur.
Et tamen hoc quoque uti concedam scire, at idipsum
Quaeram (quom in rebus veri nil viderit ante)
Unde sciat quid sit scire et nescire vicissim?

mulam exprimere, quae infinito terminorum numero constet, fit, ut sceptici ne propriam quidem doctrinam efferre, aut integram et completam cogitationem conficere queant. Oh excellentem plane et pulcherrimam doctrinam, quam ne enunciare quidem possis!

Sceptici igitur, si sibi consentire velint, ipsa sibi cogitatione interdicere debent. Namque *cogitare* est *affirmare;* affirmare autem est *judicare:* idest aliquid tamquam verum ac certum statuere. Quamobrem cogitare et una simul veritatem inficiari contradictorium est (1). Nullibi ergo vere scepticum invenies; quique se scepticos jactant, sciant nesciant, sibi mentiuntur.

222. At quî fieri potest, ut sibi sceptici adeo aperte adversentur?

Quo id facile intelligamus, in mentem distinctio reducenda est inter cognitionem directam et reflexam (n. 70). *Directe*, idest natura rationali quodammodo impellente, sceptici, non secus ac caeteri homines, veritatem profitentur; non secus enim ac caeteri homines, cogitant, iisdemque cogitationis legibus subjiciuntur. Sed ad veritatem postmodum animum convertentes seu *reflexive* cogitantes, haudamplius hanc nitide recognoscunt, cuicumque id demum causae tribuendum sit. Jamvero, tunc cognitio reflexa falsa est (uti mox clarius videbimus) quum directae nequaquam convenit et respondet.

Non statim igitur scepticis credendum est, qui se principia rationalia negare vel in dubio po-

(1) *Nullus*, ait S. Thomas, *potest cogitare, veritatem non esse* (De verit.). Perinde namque hoc esset, ac si quis lumen non esse videret; vel, uti habet Horatius: *Insanire paret certa ratione modoque.*

nere affirmant; mentiuntur, quin fortasse sciant. Dum enim ratiocinantur, haec necessario adhibent principia; quae propterea, quin advertant, veluti certissima admittunt: id autem fit per cognitionem directam. Quatenus autem iisdem principiis assensum aperte negant eaque oppugnare conantur (id namque illorum systema postulat) cognitione utuntur reflexa; quae eo ipso quod directae adversatur, fallax et decipiens est (1).

CAPUT III.

De veritatis criterio.

223. Quae de veritate ejusque existentia hactenus diximus, satis ostendunt, regulam aliquam vel instrumentum esse debere, quo illa internosci possit. Jamvero « regula, qua vera et falsa judicantur », dicitur *criterium veritatis* (2).

Duplex autem hoc est: intrinsecum et extrinsecum. Criterium *intrinsecum* illud dicitur, quod veritatem ipsam nobis commonstrat, et veluti sub intelligentiae oculos ponit. *Extrinsecum* vero est

(1) Sic Lockius *substantiae principio* utebatur, dum interea evincere niteretur, ne ideam quidem substantiae nobis inesse. Similiter Humium novimus *principium causalitatis* inficiatum fuisse; at nihilominus implicite, cum in suis ratiociniis, tum in sua agendi ratione, aeque ac caeteri homines, illud admittebat. In eamdem contradictionem et ipsum Kantium incidisse constat. Neque aliter profecto fieri potest: nequit enim homo aut hujusmodi in se principia destruere, aut seipsum ab eorum imperio subducere. Id autem neque ipsa dementia praestare potest: dementes quippe rationalibus principiis parere non desinunt. Quo fit, ut homines adhuc sint, et omnibus, quibus caeteri, naturalibus juribus merito gaudeant.

(2) Haec, vera a falsis distinguendi, regula, in se simpliciter considerata, proprie est *veritatis criterium;* quod si in possibili ejus applicatione consideretur, *criterium certitudinis* appellatur.

signum aliquod vel argumentum, quod firmissimam quidem nobis persuasionem inducit veritatis, quin tamen hanc neque percipere, neque interdum propositionem ipsam qua veritas enunciatur, satis intelligere possimus. Hujusmodi est, v. gr., *auctoritas.* Hac enimvero ratione tot nostrae Religionis mysteria nobis rationabiliter credibilia sunt, quippe infallibili Dei auctoritati innixa. Ex quo patet, criterium extrinsecum nullam proprie per se vim habere, sed omnem intrinseco acceptam referre; eo plane modo, quo luna luce aliena lucere dicitur. Quemadmodum autem, si nullum esset corpus luce propria splendescens, a nullo haec posset reflecti, oculique nostri tenebris sempiternis offunderentur; ita, ubi nullum esset criterium intrinsecum, quae veritatem ipsam nobis patefaciat, haec nos perpetuo lateret.

224. Criterium insuper vel *particulare* est, vel *universale* seu supremum. Illud, varium et multiplex distinguitur, pro diversa rerum indole ac natura, de quibus judicium pronunciandum est. Sic *conscientia* proprium est Psychologiae criterium (V. n. 3). Item, *sensus* est signum vel criterium, quo animantia ab inanimis corporibus secernuntur (V. n. 18). Brevi: suis utitur criteriis Theologia, Ethica, Politica, Historia; suis Mathematica, Physica, Medicina. Suum quoque inest criterium bonis artibus: Poësi, Picturae, Musicae etc.

Varia haec igitur veritatis criteria, utpote particularia, pro quibusdam tantum rerum classibus valent; relativa proinde sunt, subjecta, dependentia: ab uno scilicet, eoque supremo, pendent veritatis criterio, a quo vim omnem suam et efficaciam mutuantur.

225. Sed criterium veritatis, quodcumque sit, nonnisi aliquid mentale esse potest: quod enim judiciorum nostrorum tamquam regula habetur, ad ordinem idealem necessario pertinere debet. *Supremum* itaque et universale criterium veritatis, quod quaerimus et ad quod caetera reducuntur, est « veritas ipsa omnium prima, evidentissima luce splendescens et a mente intuitive cognita». Ecquid aliud, nisi veritas, veritatem comprobare et confirmare potest? *Quidquid est verum*, ait S. Thomas, *veritate verum est.* Hujusmodi porro est idea universalis entis vel ens ideale, in cujus intuitione perpetuo et essentialiter mens humana defigitur (1).

Quod magis etiam magisque patebit, si animadvertimus, ens ideale iis omnino proprietatibus et characteribus pollere, qui criterii supremi sunt proprii. Hoc quippe *unum* esse debet, *evidens, absolutum, universale, immutabile, necessarium;* cujusmodi enimvero est ens ideale (2). Quapropter affirmare licet, - quemadmodum homo ingenitum sibi habet lumen rationale, seu illi innata est idea prima, caeterarum radix, fons et conditio -, sic innatum illi esse supremum veritatis criterium: a natura videlicet certum atque infallibile instrumentum illi tributum fuisse, dummodo eo recte

(1) Hoc autem criterium, in propositionem redactum, ita cum Rosminio exprimi potest: « Tutto ciò che apprende lo spirito umano è vero, se è conforme all'essere; ed è falso, se non gli è conforme » (*Logica*).

(2) Ex hoc fit, ut variae, quibus hactenus usi sumus, locutiones, nempe: « Lumen rationis -; intelligentiae forma -; idea princeps, fundamentalis -; idea universalis entis -; ens ideale -; essentia entis -; suprema ratio logica propositionis cujuspiam -, veritas prima -; supremum veritatis et certitudinis criterium etc. », idem propemodo denotent; idest unum idemque objectum intellectuale, sub diversis tantum relationibus, significent.

utatur, verum a falso internoscendi. Profecto, undenam illud arriperet, ubi a natura non accepisset (1)?

226. Quae cum ita sint, manifesto liquet, falsam penitus eorum doctrinam esse, qui *auctoritatem* tamquam unicum et supremum veritatis criterium existimant: sive hoc cum Bautain, in Fide et Revelatione; sive cum La Mennais, in universali hominum consensione ponant. Qui postremus, humanam rationem per se fallacem et veritatis detegendae ineptam ratus, consensum communem, seu humani generis auctoritatem, veluti unicam, de rebus non solum quae ad Religionem spectant, sed de philosophicis etiam nec non moralibus atque socialibus, judiciorum nostrorum regulam habet; illudque solum esse verum ac certum affirmat, cui communis hominum ratio ubique et semper acquiescit.

Re enim vera, quidnam probat auctoritati esse credendum? Aliane auctoritas? sed eodem revolvimur. Ad principium igitur aliquod rationale atque ab auctoritate diversum nobis tandem deveniendum est, quod de ipsa judicet auctoritate, eamque tutissimum veritatis argumentum esse demonstret; quae idcirco signum quidem erit seu criterium *extrinsecum* (V. n. 223), at *intrinsecum* et *supremum*, de quo agimus, veritatis criterium esse nequit (2). Quod et verum esse constat, etiam

(1) Hinc Degerando, quasi per jocum sciscitanti (*Histoire comparative* etc.): « Qui nous donnera un signe régulateur, un *criterium* pour discerner le vrai du faux, une *mesure* pour apprécier les divers degrés de certitude »? respondere pronum est, naturam ipsam id homini cuique tribuisse.

(2) *Ad discendum*, inquit S. Augustinus, *dupliciter ducimur, auctoritate atque ratione; tempore auctoritas, re autem ratio prior est* (De ordine).

cum de auctoritate certissima et omnino infallibili agitur, nempe divina (1).

227. Sed quid de iis dicendum, qui id solum tamquam verum et certum haberi posse contendunt, quod est evidens: quibus scilicet *evidentia* est supremum veritatis criterium? Distinguendum est: Si de evidentia intellectuali seu rationali loquuntur, nobiscum perfecte conveniunt; haec enim aliud non est, nisi « apprehensio necessitatis propositionis alicujus ». Ejus proinde vis, qua ad assensum nos cogit, ex rationalium principiorum universalitate ac necessitate oritur. Hinc hujusmodi evidentia est *objectiva*, absoluta, immutabilis.

At longe secus sese res habet, si de evidentia mere *subjectiva* sermo sit; quae definiri solet « clara et distincta rei cujuspiam perceptio ». Hanc enimvero nonnulli tamquam supremum veritatis criterium, duce Cartesio, habent; cujus principium hoc est: « Id verum et certum, quod unicuique clarum perspicuumque videatur ». Profecto, undenam erui potest, verum ac certum illud esse quod clare et distincte, idest *evidenter* percipimus? siquidem simplex rei alicujus perceptio, est factum contingens et accidentale, quod proinde nequit assensum necessarium gignere. Id autem

(1) Id autem in Porphirium jam animadvertit Huetius ipse; qui caeteroquin principium certitudinis in sola divina Revelatione ponit, quatenus Ecclesiae catholicae concredita est. *Nonne*, ait, *rationem hanc habuit, cur fidei ductum rationis ductui anteponeret, quod fallax esset ratio, at tutior fides? Quamvis autem ad percepiendam veritatem ratione potior sit fides, hoc ipsum tamen docet ratio.* Quod autem ad La Mennais praesertim spectat, notabilia haec, in *Epistola* ad ipsum conscripta, habet Giobertius: « Mais pour en revenir au genre humain, il n'y a rien de si plaisant qu'un principe, une maxime ou une doctrine qui n'a rien de fixe, de précis, d'immuable, et qui se prête à toutes les applications les plus contradictoires ».

neque ipsos penitus fugit doctrinae hujusce patronos; hi enim, ad incitas redacti, veram ab adparenti evidentia distinguunt. At si aliquid est supra evidentiam, quod decernat, utrum haec vera an illusoria sit, sequitur, evidentiam hujuscemodi per se solam intellectum nequaquam evincere, vel ad assensum permovere; quemadmodum supremum veritatis criterium omnino decet.

228. Neque aliter affirmare fas est de *evidentia intuitionis*, quam Mamianius tamquam « unicum et perpetuum veritatis criterium » proponit. Supremum namque principium seu criterium veritatis, uti paullo ante animadvertimus (n. 225), immutabile, universale, proindeque *objectivum* esse oportet. Perceptio contra vel intuitio, *subjectiva* est, relativa, particularis; nequit propterea unam pro judiciis omnibus et invariabilem regulam constituere.

Qui igitur propriam intuitionem vel perceptionem veluti supremam judiciorum regulam habet, perinde est ac qui, ad dimetiendam corporum externorum vel circumstantis aëris temperiem, potiusquam thermometrum, varias, quibus ipse afficitur, aestus vel frigoris sensationes sibi assumendas putet: quae sensationes, uti novimus, ab peculiari corporis constitutione et valetudine quam maxime pendent.

CAPUT IV.

De variis humanae mentis, respectu ad veritatem, statibus.

229. Etsi veritas homini pervia sit, quinimo ab ipsa veritate mens humana formetur (V. n. 214), non semper tamen infallibilem hanc judiciorum nostrorum normam recte atque adamussim adhibere illi datum est: quae proinde non eadem semper ratione ad speciales veritates se habet. Si enim res quasdam certissima cognitione adprehendit, multa nihilominus non desunt, quae probabilia tantum illi sunt, vel dubia; complura etiam omnino incomperta. Haud raro tandem contingit, ut, vana rerum specie decepta, pro vero falsum amplectatur. Hinc varii humanae mentis, respectu ad veritatem, status, nempe: certitudo, probabilitas, dubium, ignorantia et error; de quibus singillatim agendum nobis est.

ART. 1. — *De certitudine generatim ejusque speciebus.*

230. *Certitudo* est « persuasio quaedam firma et rationalis veritati consentanea »: *rationalis*, inquam; ut enim de re quapiam certi esse possimus, *ratio* aliqua seu *rationalis motivus* esse debet quo innitamur, quique rem illam certam nobis atque indubiam ostendat.

Perperam itaque a nonnullis certitudo definitur « mentis status, alicui propositioni assentientis sine formidine errandi ». Quae definitio cum illa omnino consentit, quam de supremo tradunt veritatis criterio; quod illis est « clara et distincta rei alicujus perceptio » (V. n. 227). Namque assensus, utut confidentissime praestitus, persuasio etiam firmissima non semper cum veritate conjuncta est. Praeterquamquod fieri etiam potest, ut persuasio sit veritati conveniens, quin tamen certitudo sit: id autem tunc accidit, quum persuasio illa nulli innititur *rationi* seu motivo stabili ac firmo; quo in casu, de veritate quidem persuasus homo esset, - eamque etiam ex parte possideret -, at de ea *certus* dici vere non posset.

231. Tria itaque elementa ad certitudinem efficiendam requiruntur: 1° nempe *veritas* in objecto (cognito); 2° firma *persuasio* in subjecto (cognoscente); 3° demum ratio vel motivus rationalis persuasionem hanc gignens: qui motivus vera et propria est causa certitudinis effectrix (1).

Quod si motivus, quo quis ad propositioni alicui assentiendum movetur, esset ipsa evidens et intuitiva propositionis illius veritas, certitudinis elementa ad bina tantum reducerentur. Tunc enim veritas objecti, et motivus qui firmissimam de illa persuasionem in nobis gignit, identificantur; hinc persuasionem, hoc in casu, rationalem dicere, idem est ac dicere *veritati consentaneam.*

232. Quamvis certitudo, si ad ejus essentiam ratio habeatur, una sit, quemadmodum una est veritas, a qua constituitur; pro *objectorum* nihilo-

(1) Animadvertendum tamen est, qui de veritate aliqua certitudinem habet, non semper datum illi esse, plane atque aperte motivum declarare, cui haec innititur; licet motivus procul dubio non desit, illiusque omnem in se quodammodo vim persentiat: quemadmodum in vulgari homine contingit, qui de christianae Fidei documentis certissimus sit.

minus, vel *motivorum* unde oritur, diversitate, triplex distingui potest: logica, physica et didascalica.

Certitudo *logica*, vel apodictica (quae vulgo etiam metaphysica nominatur) est firma veritatis propositionis alicujus persuasio, quam intrinseca propositionis illius necessitas in nobis gignit.

Hanc porro necessitatem intrinsecam, vel immediate mens videt (quo in casu, certitudinis elementa, ut modo diximus, ad bina tantum reducuntur), et habetur certitudo *logica-intuitiva:* - uti de hac propositione: « Angulus rectus major est acuto »; vel hujusmodi necessitatem mediate, idest, recte ratiocinando, deprehendimus, et certitudo *logica-rationalis* vocatur; ex. gr.: « In triangulo, producto latere, angulus externus utroque interno opposito est major ». — Certitudo igitur logica nonnisi veritates respicit *a priori* et *necessarias:* ita dictas, quod absolute, non esse vel aliter esse, non possint.

233. Certitudo *physica* dicitur firma persuasio veritatis propositionis, relative tantum sive hypothetice necessariae: cujus nimirum necessitas ab contingente aliquo facto pendet.

Quae duplex pariter distinguitur: *perceptiva* nempe, et ea est, qua perceptio ipsa intellectualis, cum interna tum externa, gaudet. Ex. gr.: « Ego existo »; - « Mundus existit » -; et *physica-rationalis;* quae, recta ratiocinatione, ex perceptionis ipsius datis eruitur. Hujuscemodi certitudinem gignunt argumenta, quae Dei existentiam demonstrant; quemadmodum videbimus in Metaphysica. — Hinc certitudo physica veritates complectitur, *a posteriori* et *contingentes:* sic nempe

vocantur, quod ad objecta seu facta referuntur, quae, - cum a libera Dei vel hominum voluntate pendeant -, non esse vel aliter esse, absolute possunt.

234. Certitudo tandem *didascalica*, a greco διδάσκω, *doceo* (quamque nonnulli, sed improprie, moralem appellant), ea est, quae ab indubia oritur auctoritate, cui assensum denegare non licet. Hic porro assensus *fides* nominatur; quae humana est, vel divina, prout hominibus, vel Deo tribuitur. Quare fides divina definiri potest « voluntarius assensus Dei revelantis auctoritati praestitus ».

Binae autem et certitudinis didascalicae sunt species: *historica* et *doctrinalis*. Historica, quum res, quarum, aliorum auctoritati innixi, certam cognitionem adsequimur, sunt *facta;* doctrinalis, si *doctrinas rationales* aut *argumenta ad scientias pertinentia* respiciat. Qui factum aliquod narrat, dicitur *testis;* qui vero doctrinam rationalem et scientificam tradit, *magister* vel *doctor*. Sic certi sumus historice, « Gallos et Germanos a Caesare fuisse devictos ». Quod siquis, geometrarum auctoritate unice fretus, firmiter credat proque certo habeat, « sphaeram cylindro inscriptam duas tertias hujus partes adaequare », ejus certitudo erit doctrinalis. Quae tamen in logicam, sive mathematicam, convertitur, ubi eo etiam ille perveniat, ut theorematis ejusdem demonstrationem plane intelligat et assequatur (1).

235. Ab certitudine igitur, cum logica tum physica, oritur *scientia:* scientia enim dicitur

(1) Tribus hisce certitudinis generibus quarta adjungi potest, nomine *practica* vel *normalis;* de qua sermo erit in Ethica.

« cognitio certae rationi innixa », - rationi, inquam, intrinsecae; a certitudine autem didascalica, *fides:* veritates namque historicas, et generatim quidquid per aliorum auctoritatem nobis innotescit, non proprie scimus, sed *credimus* (1).

Saepius tamen, scientiae nomine, venit « systema veritatum ab uno principio pendentium » (V. n. 54). In binas itaque classes, easque amplissimas, scientiae omnes tribui possunt: quarum aliae circa veritates necessarias versantur, suntque scientiae *rationales;* aliae autem circa veritates contingentes, et scientiae *experimentales* dicuntur. — At, quod ad scientiarum ordinationem et classificationem spectat, variae admodum sunt philosophorum sententiae.

Art. 2. — *De probabilitate.*

236. *Probabilitas* est « status mentis, alicui propositioni assentientis, argumentis quidem, plus vel minus, validis innixae, sed ad plenam ac firmam persuasionem gignendam ineptis ». Hujusmodi sunt argumenta quae ab analogia ducuntur (V. n. 101).

In hoc porro statu mens nostra non *scit*, neque *credit*, sed opinatur. *Opinio* enim dicitur « assensus praestitus rebus incertis, qui aliqua tamen adparenti ratione fulcitur » (2).

237. Ex proposita probabilitatis definitione liquet, in ea gradus quosdam distinguendos esse:

(1) *Quod scimus*, ait S. Augustinus, *debemus rationi; quod credimus, auctoritati.*

(2) *Unde abest scientia*, inquit Lactantius, *id totum possidet opinio quoniam scientia certi est, opinio incerti.*

quod profecto de certitudine asseri nequit. Nam plus minusve *probabile* aliquid esse quidem potest; at plus vel minus *certum* dicere, plane ridiculum esset.

Simplicissimo, ad rem illustrandam, utar exemplo Decem in urna (ab uno ad decem inclusive) sint numeri; quorum qui prior sortitione extrahatur, praemium aliquod refert. Siquis *decem* hosce numeros, praesenti pecunia, sibi omnes adscripserit, certus erit se praemium illud esse victurum; quod si *unum*, *duos*, *tres* etc. ex hisce numeris sibi comparaverit, minor vel major probabilitas: diversi videlicet praemium vincendi probabilitatis gradus illi erunt, ab *uno* ad *novem* deinceps excrescentes.

238. Si duo igitur sint numeri, - quorum alter casus omnes exprimat, quibus fieri potest, ut res quaepiam eveniat; alter vero casus illos, qui rei ipsius eventui favent -, manifestum est, *probabilitatem* nil aliud esse, quam « relationem, quae inter binos hosce numeros intercedit ». Haec porro relatio commode fractionis ope enunciatur.

Quapropter, in nuper allato exemplo (quod pro alio quolibet valere potest), numerus 10 casus omnes *possibiles* refert: est igitur consequens vel denominator fixus et invariabilis fractionis; numeri 1, 2, 3 etc., casus exhibent faventes: - sunt itaque variabiles fractionis ejusdem numeratores. Hinc 10/10 idest 1, rei vel eventus certitudinem; fractiones vero 1/10, 2/10, 3/10 etc. varios probabilitatis gradus exprimunt (1).

(1) Sunt qui putent, fractiones 1/10, 2/10, 3/10, 4/10, gradus improbabilitatis; fractiones vero 6/10, 7/10, 8/10, 9/10, probabilitatis gradus exprimere. Quanquam, stricte loquendo, ad hanc illa reducitur: rei

239. Probabilitatum supputatio fundamentali huic principio innititur: « Eventus a causis pendent a quibus gignuntur ». Quod igitur *casum* dicimus, nil aliud est nisi causarum ignorantia. Sed hujusmodi supputatio nequit adamussim et accurate fieri, nisi quum ad binos numeros pervenire nobis datum est, quorum alter, ut diximus, casus omnes possibiles referat, alter vero casus faventes. Hujusce porro generis probabilitas dicitur *mathematica:* utpotequae circa elementa versatur, quae numeris et ciphris significari possunt.

At innumeri casus occurrunt, in quibus opinandi motivos qui se nobis offerunt, ad severum calculum vocare nequicquam conaremur: uti, v. gr., si judicium ferendum sit de testis alicujus narratione; et generatim quotiescumque actio a libera agentis voluntate pendet (1). Hujuscemodi probabilitas, *logica* vel *philosophica* nuncupatur (2).

240. Duplex, non secus ac certitudinis, distinguendum est fundamentum seu principium pro-

---

namque alicujus improbabilitas, nil aliud est, nisi probabilitas ejus oppositi.

(1) Laplacium tamen novimus, in opere quod inscribitur *Essai philosophique sur les probabilités*, supputationes numerorum morali ordini, seu, ut ipse ait, gravioribus quibusque vitae quaestionibus, - quas veluti probabilitatum problemata utplurimum considerat -, accommodare conatum fuisse. Quare, nil tale forsitan cogitans, testimoniorum in rebus moralibus auctoritatem infirmat et universum moralem ordinem subvertit. Periculosa absurdaque haec commenta Cl. Doctor Paulus Rufinus, Mutinensis, profligavit quatuor doctissimis Commentariis (Memorie) de re editis; quibus titulus *Riflessioni critiche sopra il* Saggio filosofico intorno alla probabilità, *del Conte Laplace.*

(2) De logica probabilitate ita scribit Cicero: *Probabile est id quod fere fieri solet, aut quod in opinione positum est, aut quod habet in se ad haec quamdam similitudinem, sive id falsum est, sive verum* (De inventione rhet.).

babilitatis: quae proinde *intrinseca* est, vel *extrinseca.* Illa innititur motivis et argumentis, ex ipsa rei, de qua agitur, natura depromtis; haec vero, aliorum hominum auctoritati (1).

Ex quo patet, extrinsecam probabilitatem vim omnem suam ab intrinseca mutuari; illamque, absque hac, nullam omnino esse. Nemo profecto quidquam velut probabile habere potest, eo solum quod ab aliis dicatur, si hos noverit, nullo proprio atque intrinseco argumento suffultos, sed arbitratu suo illud affirmare (2).

241. Cavendum tamen est, ne probabilitatem cum verisimilitudine confundamus. *Verisimilis* namque tum solum res dicitur, quum ex solito contingit, vel cum alia re connexionem habet, quae revera frequenter evenire solet, aut constans est. Interim dum non raro fit, ut tamquam *probabilem,* aliquando etiam utpote *certam,* licet omnino insolitam, rem judicemus (3). Id porro locum

---

(1) Sic pone, probabilius cuiquam videri, non unum sed duo diversae naturae fluida admittenda esse (vitreum nempe et resinosum, vel, ut saepius dicitur, positivum et negativum) ad phaenomena electrica explicanda, idque opinetur, accuratis experimentis vel calculis a se peractis innixus: hujusmodi probabilitas erit intrinseca. Quod si in hanc ipsam veniat sententiam, celebriorum physicorum auctoritate unice fretus, extrinseca tunc illi erit probabilitas.

(2) Non est cur moneamus, quum rem aliquam probabilem dicimus, id respectu ad nos, - ad cognitionem scilicet quam de illa re nos habemus -, intelligendum esse. Res enim quaelibet seu eventus, ubi in se ipso consideretur, vel est, vel non est: medio esse jam non licet. Sic aegrotus e morbo suo *certissime* convalescet, vel non. At medico, - ut ut sedula morbi diagnosi ab eo confecta -, nonnisi plus minusve probabile de illius exitu judicium proferre licet.

(3) Sic Seneca, ad Lucilium suum scribens: *Incredibilem,* ait, *tibi narro rem, sed veram* (Epist. L). Item, C. Plinius: *Incidi in materiam veram, sed simillimam fictae* (Epist. XXXIII ad Caminium). Unde pervulgatum illud poëtae Boileau: « Le vrai peut quelquefois n'être pas vraisemblable ». Hinc acutissime Rosminius: « Il merito della fede sta appunto in questo, nel credere *vero* sulla parola di Dio, ciò che è *inverosimile* » (Teodicea).

habet, quotiescumque rem inusitatam credimus, auctoritate freti, quae prudentem omnem removeat errandi formidinem.

Quapropter de verisimilitudine pronunciamus, *internis* tantum argumentis innixi; de probabilitate vero, etiam *externis*. Non quaelibet igitur probabilitas verisimilitudinem gignit, sed unum idemque cum ea tum proprie fit, quum ab internis argumentis oritur. En cur, in communi sermone, saepenumero altera pro altera hae accipiantur, tametsi utriusque notiones diversae admodum sunt.

242. Probabilitatis calculo innititur conjectura: qua nimirum, ex quibusdam factis vel indiciis apparentibus, de re aliqua occulta judicium ferimus; aut concludimus quid olim acciderit, vel quid postmodum eventurum sit. Ex quo patet, perperam a nonnullis, pravo sane consilio, conjecturam cum *prophetia* confundi (1).

Conjectandi arte plurimum utuntur geologi, politici, medici. Hanc autem unam ferme sequuntur qui mercaturam faciunt et industrias quasdam exercent artes, et qui rei lusoriae et aleatoriae operam impendunt.

243. In probabilitate nituntur etiam hypotheses. Ad quas confugimus, quum vera effectus alicujus causa nec ratiocinatione nobis constat,

(1) Re enim vera, *prophetare* est eventum aliquem futurum, nullo nexu aut relatione cum praesenti rerum statu devinctum, sed divino afflatu patefactum, certo praedicere: cujusmodi sunt multa prophetarum, et Danielis praesertim de Christo Jesu, vaticinia, tot ante saeculis emissa, et adamussim eventu comprobata. *Conjectare*, contra, quod ad futurum spectat, est factum aliquod praevidere; quod ex datis quibusdam, - veluti effectus ex causa hic et nunc existente -, plus minusve probabiliter colligitur.

neque observatione aut experientia certo se prodit: tunc nempe hanc supponimus; interim vero rem ipsam ulterius et amplius explorare nequaquam omittimus. *Hypothesis* igitur est « rationalis suppositio causae facti alicujus »: *rationalis*, inquam; non enim suppositio quaelibet, hypothesis (scientifica) dicenda est; sed ea tantum, quae prudenter et accurate fit: ad eas nempe regulas exigitur, quas Logica docet et suo loco nos exponemus.

244. Hypothesium usus latissime patet; multa enimvero sunt, - sive in Physica, sive in Chemia, sive in aliis disciplinis praesertim experimentalibus -, inventa, multaeque scientiarum progressiones, hypothesibus unice tribuendae. Exemplo sint theoria Neutoniana de gravitatione universali; systema Copernicanum; aliaque complura, quae rerum naturalium studiosos minime latent. Hinc, licet hypotheses, usquedum revera comprobentur, nulla proprie vi in scientiis polleant; quum nihilominus ad experimenta et observationes ineundas animum impellant atque alliciant, et, in uno veluti puncto, mentis attentionem sistant, optimam atque usitatissimam veritatis inquirendae rationem suppeditant (1).

At si mirum in modum ad veritatem detegendam prosunt hypotheses, ubi rite adhibeantur, quamplurimis e contrario nos objiciunt erroribus, si arbitratu nostro sint omnino confictae, neque rationi ulli innixae (2).

(1) « L'ipotesi per sè stessa, inquit Giobertius, non è altro che uno strumento intellettivo del sapere; al quale non appartiene, se non quando è rigorosamente verificata, e per conseguenza lascia d'essere ipotesi » (*Del primato* ecc.).

(2) In harum numerum referri possunt tot hypotheses de *mundi*

245. Hypothesis, ut diximus, est merum scientiae instrumentum, ac proinde quid plane temporarium; eoque solum constituitur, ut serius ocius evertatur nomenque suum immutet.

Quod dupliciter fieri potest; quum videlicet evidenter *falsa*, vel evidenter *vera* dignoscitur. Primum illud accidit: ubi aliquod de novo factum se prodat, vel novum fiat experimentum, quod aperte cum hypothesi pugnet; vel certa aliqua, neque hypothetica, reperiatur explicatio factorum, ad quae explicanda excogitata illa fuerat. Hoc vero postremum contingit, quum hypothesis, uti celeber Liebigus animadvertit, « *naturae* legem aut phaenomenorum seriem explicat, interim vero semper sibi constat, neque alicui facto contradicit »; vel quum illud quod supponitur, non solum factis, de quibus agitur, gignendis est *aptum*, sed haec *revera* gignit. Primo in casu hypothesis, utpote inutilis et quid mere commentitium, a scientiis omnino expungenda est; in altero vero, certitudinem attingit, unde hypothesis esse desinit atque inter *theorias* enumerari debet (1).

Art. 3. — *De ignorantia* et *dubio.*

246. *Ignorantia*, generatim est « cognitionis defectus »; vel « mentis status, alicujus rei cognitione carentis ». Sic, v. gr., ex me percontanti,

formatione, Cartesii hypothesis de *vorticibus*; alchimistarum de *lapide philosophico* (quae, una cum *motu perpetuo* et *circuli quadratione*, uti acute ait Leibnitius, *tria magna inania efficit*); de *panacea*, aliaeque complures.

(1) Prioris casus exemplum habemus in hypothesi Stahliana de *phlogisto*. Alterius vero, in periodico maris ad littora *fluxu et refluxu*; nec non in telluris circa suum axem, unaque circa solem *motu*.

par an impar sit stellarum numerus, me id penitus nescire seu ignorare respondeo: nulla quippe momenti alicujus, praesto sunt argumenta, quibus ad aliquam hac de re sententiam proferendam adducar.

247. Plures recenseri solent ignorantiae causae. Quarum praecipua et omnibus communis, est naturalis humanae intelligentiae limitatio et imperfectio. Quae autem plus minusve ab unoquoque hominum pendent, sunt: Animi desidia, memoriae imbecillitas, studiorum confusio, animus parum sciendi cupidus, vel in nugis tantum occupatus, - unde verissimum illud Senecae: *Necessaria ignoramus, quia superflua discimus.* Prae caeteris tandem, acris et strenuae voluntatis defectus.

248. *Dubium*, status ille dicitur, in quo mens nostra versatur, quum pro rei veritate et falsitate, aequales omnino rationes et argumenta pugnant sibique mutuo opponuntur. Sic, in nuper allato exemplo (n. 237), qui ex decem numeris *quinque* sibi adjunxerit, utrum praemium relaturus sit, nec ne, dubius haerebit (1). Hoc quidem in statu (apud Terentium in *Phormione*) erat Demipho; qui, cum tres consuluisset super conjugio filii peritos juris, excipiens contrarias eorum sententias, inquit: *Fecistis probe; incertior sum multo quam dudum.*

249. Ex dictis patet, dubium et ignorantiam,

(1) De dubio loquimur, speculative considerato. At *reapse* contingit saepenumero, ut non dubia solum, sed vel improbabilissima, quod placeant, facillime nobis persuadeamus, juxta illud Senecae: *Quod nimis miseri volunt, hoc facile credunt*; vel, uti, post Terentium in Phormione (*Verum putes haud aegre quod valde expetas*), ait S. Thomas: *Unusquisque facile credit quod appetit.* Huic profecto potissimum causae tribuendae sunt tot hominum quorumdam allucinationes, qui, lucri spe illecti, fallacissimae aleae (*lotto*) opes suas committunt.

- licet aliqua ratione inter se conveniant -, in hoc tamen differre, quod, qui rem ignorat, ab judicando se abstinet (vel saltem abstinere debet), quia veritatis indiciis omnino deficitur; qui vero dubitat, se temperat a judicio, quod aequales hinc et inde rationes se invicem destruunt: ferme atque in corpore contingit, quod dicimus *quiescere*, quum nulla omnino urgetur vi; in *aequilibrio* autem esse, cum aequales atque oppositae vires in illud agunt, quae sese mutuo conficiunt.

Morale tamen aequilibrium cum aequilibrio mechanico seu physico confundendum non est. Hinc male fatalistae humanam intelligentiam veluti lancem sibi fingunt, quae eo necessario inclinat, ubi majora sunt pondera. In nostra quippe voluntate semper positum est, si rationes revera desint, has animo effingere, atque illi parti adjicere, qua lancem inclinari cupimus; uti in Ethica opportunius dicemus.

Art. 4. — *De errore generatim, deque errorum speciebus, et causis.*

250. Quamvis in errore quolibet insit ignorantia, errorum omnium radix et parens; hoc tamen inter utrumque interest, quod, qui simpliciter rem *ignorat*, nil omnino de re illa affirmat vel negat; qui vero *errat*, affirmat se scire quod nescit: positivum scilicet mentis actum ignorantiae adjungit; unde fit, ut ignorantia ipsa deterior sit error. Quo autem unum ab altera veteres distinguerent, ignorantiam, veritatis vel cognitionis *negationem;* errorem vero, *privationem* appellabant (1).

(1) Ignorantia et error differunt inter se, ferme ut penes mathema-

Error itaque definiri potest « falsum judicium »: quod fit, vel quum humanus spiritus praedicatum minime conveniens subjecto tribuit, aut praedicatum sejungit a subjecto ad quod revera spectat; vel brevius, ex S. Thoma, quum affirmat, *aliquid esse quod non est, vel non esse quod est.*

251. Ex his liquet, errorem in puris mentis nostrae conceptibus sive ideis inveniri haud posse, - quae imo, ut vidimus (n. 209), sunt exemplares rerum veritates -, sed in judiciis tantummodo, in quibus, vel ideas male simul connectimus, vel easdem rebus subsistentibus haud recte applicamus (1). Quare in ordine *ideali*, aeque ac *reali*, error inesse potest (2).

Non omnia tamen indiscriminatim humana judicia erronea esse possunt; sed ea tantum, quae nostrae voluntati subjecta sunt, quaeque secundaria vel *reflexa* nuncupavimus (n. 91). In judicia namque primitiva seu directa (V. n. 90) nequit error irrepere, quippe instinctiva et necessaria; quaeque, proprie loquendo, ab humano nequaquam indivi-

ticos *zero* et quantitas *negativa:* constat enim, quantitatem negativam minorem esse quam zero; vel, ut signis mathematicis utamur, $-a < 0$. Unde verissime Filangerius: « Il più grande inimico della verità non è l'ignoranza, ma l'errore ».

(1) *Omnia vera sunt*, inquit S. Augustinus, *in quantum sunt; nec quidquam est falsitas, nisi cum putatur esse quod non est* (Confess.).

(2) Sic errat, ex. gr., qui putat, binos esse numeros quadratos, quorum alter altero duplus sit; et generatim, qui ideam aliquam in alia contineri judicat, in qua reapse non continetur. Quo in casu, haud in ideis ipsis, sed in judicio de illarum relatione, est error. — Item, si quis *ideam hominis* simiae applicando, hanc ad humanam speciem pertinere affirmaret, in errorem profecto laberetur; qui tamen error ad judicium, nequaquam vero ad ideam referri omnino deberet, quae semper vera est: ideae namque, dum nil affirmant vel negant, aeternas, immutabiles et necessarias rerum essentias simpliciter exprimunt. Ad rem S. Thomas: *Circa quod quid est intellectus non decipitur..... In componendo vero vel dividendo* (synthesi vel analysi) *potest decipi, dum attribuit rei, cujus quidditatem intelligit, aliquid quod eam non consequitur, vel quod ei opponitur.*

duo, sed ab ipsa intelligenti hominis natura efficiuntur, quae nunquam errat. Brevi : duplex humana cognitio, altera *necessaria*, altera vero *libera;* - hac porro sublata distinctione, quî error in homine existat, explicari nequit. Prior illa, nempe directa, semper vera est; haec autem, idest reflexa, potest esse falsa, - quod enimvero contingit, quum inter se illae dissentiunt: quum homo id *recognoscere* non vult, quod reapse *cognoscit*, idest sibi ipse mentitur; vel, ut S. Litterarum verbis utamur, *loquitur mendacium in corde suo*. Hinc profecto suarum actionum exprobrationes; hinc culpa, et qui inde consequuntur, conscientiae morsus: ad mendacium namque, uti fusius in Ethica declarabimus, malum omne morale tandem reducitur.

252. Error, de quo hactenus diximus, - quatenus a voluntate directe procedens -, *formalis* appellatur, atque ab errore mere *materiali* distinguendus est. Hic enim non est positivus humanae voluntatis actus, sed a quibusdam *datis* oritur, quae a nobis minime proveniunt, sed ab auctoritate (cui prudentia fidem tribuere suadet), vel ab caeca aliqua potentia, v. gr., instinctu, nobis exhibentur (1). Unde patet, ad errores materiales gignendos nonnisi per accidens et indirecte humanam voluntatem concurrere ; ab his itaque nos penitus eximere, pro humani spiritus infirmitate, nobis non licet. Nihilominus, etiam quod ad errores hujuscemodi, in nostra semper facul-

(1) Hoc erroris genus recte Itali vocant *svista*, *sbaglio*: quemadmodum illi contingeret, qui, in calculo utut attente subducendo, unam pro alia ciphram inconsulto scribat, quo fit, ut calculus totus pessum eat; vel illi, qui, ad experimenta quaedam pertentanda, instrumento utatur, - ab egregio ceteroquin artifice confecto -, quod tamen a perfectione fortasse absit.

tate positum est, mala, quae inde manare possunt, devitare; atque illud efficere, ne error materialis in formalem abeat.

Errores mitto, quorum causae sunt physicae, neque ullo pacto a voluntate nostra pendentes. Tales sunt morbidi quidam ac praevalidi instinctus: quaedam scilicet instinctivae atque insuperabiles persuasiones; uti in dementibus vel deliris accidere videmus. Errores hujusmodi, mentis *alienationes* rectius dixeris.

253. Haec est, ut vidimus, erroris formalis natura, ut sit voluntarius. Nec tamen inde consequitur, criminosum semper hunc esse: non enim semper in facultatem persuasionis seu vim arbitrii influit inordinata voluntas. Siquidem alia non desunt, praeter iniquam voluntatem, errorum incitamenta : quae nimirum ad falsa judicia nos alliciunt atque impellunt. Quamquam haec, proprie loquendo, nil aliud sunt, quam *causae* erroris *occasionales*, sive *occasiones ;* vera quippe ejus causa, ipsa omnino est humana voluntas.

254. Quum error sit actus intelligentiae nostrae voluntarius, causae illius occasionales cum ad intelligentiam, tum ad voluntatem referri debent. Erroris occasio, quod ad intelligentiam spectat, generatim est *similitudo* falsi cum vero; quod autem ad voluntatem, est hujus *propensio* ad assensum illi praebendum, quod cum vero similitudinem habet, utpote quod ipsi propensioni consentaneum.

Ad quatuor tamen classes errorum occasiones a dialecticis revocari consueverunt ; hae autem sunt: sensus externi, imaginatio, affectus et praejudicia (1).

(1) Quae cum ita sint, perperam vulgo asseritur, a sensibus crebro

255. Non est cur singillatim ludibria commemoremus, cum *sensuum externorum*, - vel ubi vitio aliquo laborent, vel his uti par est, non utamur; tum *imaginationis*, - si plus aequo commota sit et excitata, quamque argute ac verissime *domi insanientem* (« la folle du logis ») Malebranchius appellat; tum demum *affectuum*, - si paullo vividiores et concitatiores sint, quos recte Plato *nubila* vocat, quibus serena mentis regio obscuratur; Plutarchus autem *vitra colorata*, quae genuinos rerum colores immutant.

Operae nihilo tamen secius pretium erit, circa *praejudicia* aliquantulum nos immorari; nil enim magis impedit, quominus clara et perspicua menti

nos decipi. Hi namque erroris quidem *occasio*, minime vero *causa* illius efficiens dici possunt: homo nimirum errat, quoties de iis quae ope sensuum percipit, haud rectum profert judicium. *Si omnes corporis sensus*, apposite S. Augustinus, *ita nuntiant ut afficiuntur, quid ab eis amplius exigere debeamus, ignoro* (De vera relig.). Item, Bossuetus: « Il n'y a que l'entendement qui puisse errer. A proprement parler, il n'y a pas d'erreur dans le sens, qui fait toujours ce qu'il doit, puisqu'il est fait pour opérer selon les dispositions non-seulement des objets, mais des organes. C'est à l'entendement, qui doit juger des organes mêmes, à tirer des sensations les conséquences nécessaires; et s'il se laisse surprendre, c'est lui qui se trompe » (*De la connaissance de Dieu* etc.). Eleganter autem Boucheronus noster: *Frustra vero*, inquit, *sceptici sensuum fallacias plurima oratione persequuntur. Quid enim si non tam ipsi in culpa versantur quam mens, quae rectissima eorum judicia secus interpretando, falsa infert ex veris? Suus quippe sensibus propemodum sermo est; tunc autem decipimur, quum voces a vocibus parum scienter et accurate distinguimus* (De Th. Valperga Calusio). Quare sensus, neque *fontes errorum*, uti vult Cartesius, neque *cognitionis fontes* sunt, quemadmodum placet sensistis. Quum enim error sit judicium, quodlibet autem judicium nil aliud sit quam cogitatio quaedam, jam sequitur, aeque illum cogitare qui errat, ac qui veritatem affirmat. Atqui sensus per se ipsi cogitationi gignendae impares sunt, nullusque ad illos cogitationis modus pertinere potest. Sensus igitur nonnisi cogitationis materiam humano spiritui suppeditant (V. n. 191); qui postmodum, ope hujus materiei, vel melius, de hac ipsa materia profert judicium; quod rectum est vel iniquum, prout cum veritate consentit, vel non.

Neque aliter et de imaginatione, affectibus ac praejudiciis dicendum est.

veritas elucescat, quam praejudicia; quae proinde vere atque ingeniose *idola*, - perinde ac si diceres inania veritatis simulacra -, Baconus a Verulamio appellat.

256. *Praejudiciorum* nomine veniunt « sententiae absque probationibus receptae ». Horum autem tria potissimum distinguuntur genera: *domestica* nimirum, *popularia* et quae ab *magistris* hauriuntur (1).

Quod autem ad magistros praesertim attinet, monemus, tunc eos maxime nocere, quum adolescentium ingenium et judicium, uti decet, nequaquam excutiunt, neque eorum reflexivam facultatem satis exercent, adeo ut per se ipsi cogitare, et res utpote sunt, propriis oculis intueri assuescant; sed eos potius suo quodammodo subjicere imperio, suaque auctoritate sic student obruere, ut in eorum verba inconsiderate jurent. Quo fit, ut magistrorum suorum errores pertinaciter saepe defendant discipuli; vel, - eorum doctri-

(1) Quae omnia breviter, in *Tuscul. disput.* complectitur Cicero; cujus aureum locum placet integrum afferre: « Nunc, *inquit*, parvulos « nobis (natura) dedit igniculos, quos celeriter malis moribus opi« nionibusque depravatis sic restringuimus, ut nusquam naturae lù« men appareat. Sunt enim ingeniis nostris semina innata virtutum; « quae si adolescere liceret, ipsa nos ad beatam vitam natura perdu« ceret. Nunc autem, simul atque editi in lucem et suscepti sumus, « in omni continuo pravitate et in summa opinionum perversitate « versamur: ut paene cum lacte nutricis errorem suxisse videa« mur. Cum vero parentibus redditi, demum magistris traditi su« mus, tum ita variis imbuimur erroribus, ut vanitati veritas, et « opinioni confirmatae natura ipsa cedat. Accedunt etiam poëtae: « qui cum magnam speciem doctrinae sapientiaeque prae se tulerunt, « audiuntur, leguntur, ediscuntur, et inhaerescunt penitus in menti« bus. Cum vero accedit eodem quasi maximus quidam magister, « populus, atque omnis undique ad vitia consentiens multitudo, « tum plane inficimur opinionum pravitate, a naturaque descisci« mus: ut nobis optimam naturam invidisse videantur, qui nihil me« lius homini, nihil magis expetendum, nihil praestantius honoribus, « imperiis, populari gloria judicaverunt ».

nis nil superaddi posse, omnesque veritates ab iis jamdiu adinventas rati -, investigationem omnem missam faciant; sibique persuadere nequeant, uti Rosminius animadvertit, aliquid veri esse iis adversum, quae ipsi constanter, triginta fortasse vel quadraginta annorum spatio, tamquam verissima habuerunt (1). Hujusce rei luculentissimum nobis praebuerunt exemplum Pythagorei, Peripatetici et Scholastici; postmodum vero Lockii et Condillaci discipuli (2).

257. Sed quod de magistris diximus, de *libris* quoque intelligendum est; quos merito totidem veluti occultos ac tacitos magistros nominare licet. Quantam porro libri in hominum mores et opiniones vim habeant, neminem profecto latet (3).

---

(1) *Quin etiam*, ait Tullius, *obest plerumque iis qui discere volunt auctoritas eorum qui se docere profitentur. Desinunt enim suum judicium adhibere; id habent ratum quod, ab eo quem probant, judicatum vident* (De nat. deor.).

(2) Quod ad Pythagoricos, citato loco *De nat. deor.*, animadvertit Cicero, *si quid affirmarent in disputando, cum ex eis quaereretur, quare ita, esset respondere solitos*, IPSE DIXIT: ipse *autem erat Pythagoras. Tantum opinio praejudicata poterat, ut etiam sine ratione valeret auctoritas.* — De Aristotele emphatica haec habet magnus ejus interpres Averrhoes: *Aristotelis doctrina est summa veritas, quoniam ejus intellectus fuit finis humani intellectus. Quare bene dicitur, quod fuit creatus et datus nobis divina providentia, ut sciremus quidquid potest sciri.* — De Lockio autem sic loqui non dubitat Volterius: « Il a parlé, et cela suffit ». — Quantum demum Condillacus in discipulos suos auctoritatis et venerationis obtinuerit, videre praesertim est apud Theodorum Jouffroy in *Praefatione* ad Reidii opera; ubi animadvertit, Condillaci philosophiam « avait acquis l'autorité d'un dogme. On la commentait, on la développait, on s'appliquait à la présenter sous les formes les plus claires; mais personne ne songeait à mettre ses principes en question ». — Neque secus hac nostra aetate loquuntur Hegelianae doctrinae sectatores; quos Hegelium, *cogitationis Christum* (« le Christ de la pensée ») vocare non pudet. At enim, quum eo ventum est, quid jam de philosophia ejusque progressibus sperandum superest?

(3) Inter libros enumerari etiam debent ephemerides, omniaque generatim opuscula, quae periodice et statis temporibus in lucem prodeunt; quorum duo praesertim genera recensentur: sunt nempe vel *politici*, vel *literarii*.

Horum porro operum auctores non semper veritatis, quin potius non raro partium studio ita abreptos novimus, ut res et facta non ingenue ac sincere narrent; sed ea, prout suae opinioni et utilitati adversantur aut favent, exaggerent vel extenuent vel perverse interpretentur. Quum autem de scripto aliquo vel opere pronunciandum est, hosne videas in unam sententiam convenire? Nonne rem eamdem alter saepe tollit ad sidera, alter vero in luto pervolvit? Quod si hujusmodi scriptores, peculiaris cujusdam disciplinae studio unice tenentur, jam caeteras, quas vix nomine fortasse norunt, utpote nullius momenti atque inutiles despiciunt ac damnant. Hinc mathematicos, morosos et abnormes; medicos, circulatores; antiquitatis studiosos, in nihil agendo occupatissimos homines appellant. In philosophiam autem suas potissimum acuunt sagittas: dum gravissimas philosophorum disquisitiones, quaeque in primis hominis intersunt, tamquam nebulosas abstractiones vel disputationes abstrusas traducunt. Ex quo fit, ut id genus scriptiones, - non quidem scientiis aut literis amplificandis ac promovendis, sed in populum proferendis accommodatissimae-, eisdem saepenumero maximo sint impedimento, penes inexpertos adolescentes praesertim, qui liberrime dicta et sententias audacter emissas, - si vel maxime dicendi veneres, et sales atque argutiae non desint -, quasi totidem habent oracula; quin satis perpendant, aliud profecto esse quidquam irridere, aliud autem, utpote inutile aut contemnendum illud evincere. Quid est enim praestans adeo atque praeclarum, quod a mordaci homine et petulanti splene cachinno in jocum verti non possit? Nonne Socratem ipsum in scena lusit Aristophanes?

Art. 5. — *De humanae intelligentiae vi et efficacia.*

258. Si hactenus dicta attente recolantur, naturalis humanarum cognitionum certitudo, indeque humanae intelligentiae vis et efficacia luculentissime patet.

Humana intelligentia intellectu et ratione continetur (V. n. 50). Immediatum porro atque essentiale *intellectus* objectum est ens seu veritas prima et universalis. Quin etiam vidimus, in homine intellectum exsistere ex immanente et perenni veritatis intuitione (V. n. 214). Hic igitur infallibilis atque naturâ suâ verax est: quid enim verius ac certius intuitione veritatis esse potest (1)?

---

(1) *Proprium objectum intellectus*, ait S. Thomas, *est quod quid est; unde circa hoc non decipitur intellectus* (C. Gentes).

Sed in idea, seu veritate, prima et fundamentali, suprema comprehenduntur rationis principia, in quae ipsa quadantenus convertitur. Rationalium itaque principiorum intuitio essentialiter et ipsa verax est et errore quolibet immunis (1). Hinc certitudo *logica-intuitiva* (V. 232).

259. Quod ad *rationem* spectat, ejus functiones ad perceptionem intellectivam et reflexionem omnes reducuntur.

Perceptio intellectiva duplex est, interna et externa (V. n. 71). Perceptio *interna* in instinctivo illo et naturali judicio consistit, quo homo cum fundamentali existentiae suae sensu (vel cum accidentalibus ejusdem modificationibus) universalem ideam existentiae conjungens, cogitat seu judicat se existere. Jamvero hujusce judicii elementa (*idea* entis, et *sensus* fundamentalis) a natura ipsa nobis sunt tradita, proindeque, utpote mera facta, extra omnem dubitationem posita sunt; eorum autem conjunctio, uti paullo ante jam animadvertimus (n. 251), ab humano nequaquam individuo, proprie loquendo, sed ab ipsa intelligenti hominis natura necessario conficitur. Interna igitur perceptio, non secus ac entis seu veritatis intuitio, valida per se atque omnino efficax est (2).

Eadem autem, qua nostri perceptio, certitudine gaudet perceptio omnium modificationum nostrarum: in his quippe subjectum humanum (τὸ *ego*) nonnisi semetipsum percipit (1).

(1) *Intellectus*, ut idem S. Thomas animadvertit, *semper est rectus, secundum quod intellectus est principiorum, circa quae non decipitur, ex eadem causa qua non decipitur circa quod quid est* (Sum.). Rursum: *Intellectus in primis principiis non errat* (C. Gentes).

(2) *Nullus*, inquit S. Thomas, *erravit unquam in hoc quod non perciperet se vivere* (De verit.).

260. Neque vero minus quam interna, certa est *externa*, idest corporum ac mundi exterioris perceptio: quippe quae primis rationis principiis omnino innititur (non quidem reflexive cognitis, sed sponte adhibitis et applicatis, V. n. 56); quae eadem, ut vidimus, atque idea entis a qua dimanant, vi et auctoritate pollent. Hinc certitudo *physica-perceptiva* (V. n. 233).

261. Quae cum ita sint, manifesto liquet, absurdam penitus atque a sensu communi abhorrentem Idealistarum doctrinam esse: ita nempe, e scepticorum familia, Berkelejo duce, appellantur, qui, - dum veritates puras et rationalia principia, nec non spirituum existentiam admittunt -, corpora vere existere negant; neque aliud haec esse opinantur, quam humani spiritus ludibria atque figmenta, vel *aegri somnia vana;* tuncque solum existentiam quadantenus habere, cum ad ea cogitationem convertimus. Brevi: mundum, quem externum dicimus, non reapse extra nos, sed in animi nostri imaginibus sive *ideis* tantummodo existere. Ex quo *idealismi* nomen tractum est (2).

262. Re enim vera, conscientia unicuique invi-

(1) *Vivere se*, ait S. August., *et meminisse, et intelligere, et velle, et scire, et cogitare quis dubitet?*

(2) Idealismus e sensismo ortum duxit. Profecto, quum « sensationes, uti Dalembertus animadvertit, nil aliud sint, quam interiores animi nostri modificationes, in nobis tantum existunt. Qui igitur fieri potest, ut, ex nobis ipsis quodammodo egressi, res, quae extra nos sunt, percipiamus, ubi nullo alio ex fonte, praeterquam ex sensationibus, ideas haurire liceat »? Paucis: Sensatio quaelibet tota est in subjecto ipso sentiente; si nil igitur, praeter sensationes, in animo sit, nil quoque extra ipsum existit; vel saltem, utrum aliquid vere existat, demonstrari nequit.

ctissime testatur, multa in nobis continenter facta contingere. Quorum alia *activa* sunt : quippe illorum nosmetipsi et subjectum et causa sumus, v. gr. *volitio;* alia vero *passiva :* quae nimirum ad nos, veluti ad subjectum, quidem pertinent ; sed a nobis, tamquam causa , minime oriuntur, cujusmodi est *sensatio* (1).

Hisce positis, sic ratiocinari licet: Sensatio est factum mere passivum ; sed sensatio quaelibet est *effectus;* ergo (vi principii causalitatis et substantiae) aliquid a nobis distinctum, aliqua nimirum extra nos *substantia* esse debet , quae sensationum nostrarum immediata sit causa : *immediata,* inquam, ut a prima, - cum eorum omnium quae sunt aut fiunt, tum proinde sensationum nostrarum -, causa (nempe Deo) distinguatur. Ens enim, quodcumque sit, quod proxime et immediate sensationem gignit , est quid mutabile et limitibus circumscriptum ; Deus porro immutabilis est et infinitus. Deus igitur causa hujuscemodi nequit esse, quemadmodum Berkelejus contendit.

Ergo vere corpora existunt. *Corpus* namque dicimus « proximam et immediatam, atque a nobis distinctam , nostrarum sensationum causam; unaque subjectum extensione , impenetrabilitate, figura , inertia aliisque sensibilibus qualitatibus donatum » (2).

263. Cognitio , per immediatam mentis intui-

(1) Vere passivos saepenumero nos esse, praesertim eruitur: 1° ex *necessitate* quorumdam factorum (seu his voluptas, seu dolor comitetur), quae crebro nobis contra, vel saltem praeter voluntatem nostram adveniunt; 2° ex eo quod non raro connitimur, ut sensationem aliquam devitemus.

(2) Brevi itaque: Humana activitas, quae a vi finita et mutabili coactam vel impeditam se sentit, corporum seu mundi exterioris existentiam invictissime demonstrat.

tionem, vel per intellectivam perceptionem acquisita, *directa* nuncupatur ; quam omnino veracem et infallibilem demonstravimus.

Sed neque secus et de cognitione *reflexa*, ubi in se simpliciter consideretur, dicendum est. Reflexio enim (quaecumque sit ejus functio, et quocumque in suis operationibus principio ducatur) nil tandem est aliud , quam objecti cogniti cum principiis rationalibus seu veritate comparatio. Naturalis igitur ejus infallibilitas et certitudo, principiorum rationalium evidentiae tota innititur. Profecto , quum , v. gr., dico : « Cogito , ergo existo », ratiocinium hoc a principio generali pendet: « *Nihilum* cogitare non potest »; vel, si mavis, ab principio contradictionis : « Nequit idem simul esse et non esse ».

Ex quo patet, reflexionem verax per se ac validum rationis instrumentum esse: quippe quae, tamquam rerum omnium typo et mensura, veritate ipsa utitur , quae naturalis est humanae intelligentiae forma. Hinc certitudo *rationalis*, cum logica tum physica, necnon *historica* (V. n. 232-33-34).

264. Quod si error homini, enti scilicet rationali, interdum subrepit , id eo nequaquam contingit, quod rationale sit (naturalem namque erroris potentiam quid prorsus absurdum esse, quis non videt?); sed quod ratione ipsa seu reflexione abutitur : utpotequi facultate etiam pollet , sibi quidpiam ad libitum persuadendi , sive arbitratu suo judicandi ; quae , *vis arbitrii* , vel *facultas persuasionis* dicitur. Erroris enim , ut vidimus (n. 252), natura haec est, ut sit voluntarius.

265. Sic itaque humanae intelligentiae , inde-

que ratiocinii, efficacia atque naturalis infallibilitas constat. Quod igitur maxime refert, hoc est, ut intelligentia ipsa, in inquirenda veritate, prout decet, utamur: idest recte ratiocinemur. Sed de hoc in altera Logices parte.

PARS ALTERA

DE METHODO VERITATIS INQUIRENDAE.

266. *Methodus* generatim est « via et ratio, qua, ad finem aliquem consequendum, procedere opus est ». Quod autem ad nos praesertim spectat (V. n. 204), est « recte ratiocinandi, cum ad veritatem inquirendam, tum ad aliis exponendam, modus » (1).

Duplex porro distingui solet methodus: analytica seu *resolutionis,* et synthetica sive *compositionis.* Nulla quippe alia ratione, stricte loquendo, in ideis et cognitionibus nostris operari possumus, quam eas simul componendo, vel in sua elementa resolvendo (V. n. 84).

267. Methodus itaque analytica incipit a *toto,*

(1) Quanti in veritatis inquisitione methodus facienda sit, neminem latet. Si enim haec est via, qua ad veritatem pervenimus, jam sequitur, a veritate longe illum aberrare, qui pravae se methodo committit. Hoc autem de se aperte fatetur Cartesius; qui, si aliquantum, ut ipse ait, ab vulgari hominum genere excelluit, id non singulari naturae beneficio (plures namque et celeritate mentis, et memorandi atque imaginandi facultate multo se praestantiores habuit), sed methodo praesertim, qua in suis investigationibus usus est, tribuendum esse affirmat. Tota quinimo philosophia, Stewartii sententia, in methodo, qua tradi solet, omnino continetur: « Il faut bien se pénétrer de cette maxime, ait Scoticus philosophus, que la philosophie est toute entière dans la Méthode (*Abrégé* etc.) ». Sed haec fortasse nimia sunt.

quod perpendendum suscipit, atque hinc deinceps ad ejus partes progreditur; vel aliter, ex particularibus ad generalia ascendit, ex compositis ad simplicia. *Synthetica* contra, a *partibus,* - quibus totum aliquod componitur -, singillatim consideratis, ad totum ipsum procedit; seu a generalibus ad particularia, a simplicibus ad composita descendit (1).

Methodus analytica appellari etiam solet inventrix, seu *inventionis;* synthetica vero, methodus *expositionis,* vel doctrinae. Illâ enim vulgo dicitur utendum esse in inquisitione veritatis; hac autem, quum alios veritatem inventam edocere iisque demonstrare adgredimur.

268. Hac tamen de re in primis animadvertimus, methodo cuilibet, uti ex ejus definitione liquet, suum ac peculiarem propositum esse finem. Jamvero analysis et synthesis, ubi seorsum considerentur, ad nullum notatu dignum et spectabilem finem tendunt. Hinc methodi cujuslibet instrumenta nuncupari quidem possunt, at methodum per se ipsae nequaquam constituunt. Praeterquamquod, uti jam alias diximus (n. 84), hae binae humani spiritus operationes ab se invicem sejungi numquam possunt; hinc utraque, et in investiganda et in exponenda veritate, simul adhibetur. Unde sequitur, methodum, tum inventivam tum expositivam, proprie loquendo, unam tantum esse, quam recte *syntheticam-analytico-syntheticam* dixeris. Siquidem humana mens, a toto synthetice

(1) Methodi syntheticae exemplum habemus in *Geometria,* quemadmodum in scholis tradi consuevit; analyticae vero, in Algebra ad Geometriam ipsam applicata, vel, uti etiam dicitur, *Geometria analytica.*

at indistincte cognito, exorsa, ad singulas ejus partes, analysis ope, progreditur; ut ad totum ipsum, per clariorem synthesim, deinceps regrediatur.

Sed de methodo exponendae veritatis dicemus in Parte tertia; hic methodum consideramus, quatenus veritatis inquisitionem respicit.

269. Veritas ratiocinando inquiritur et invenitur. Sed duplex est ratiocinatio: inductiva et deductiva (V. n. 93). Duplex igitur et methodus inquisitiva distinguenda est: quarum altera, inductionis; altera vero, recte deducendi regulas proponit.

At complura sunt insuper, quae per se quisque, simpliciter ratiocinando, nequit detegere, quaeque nonnisi aliorum narratione comperta nobis esse possunt. Quum autem falsa nonnumquam (sive id malitia fiat, sive ignorantia) pro veris narrentur, ad inquisitivam quoque methodum spectat, rationem tradere, qua, hisce in adjunctis, verum a falso secernere nobis datum sit.

270. In hac igitur Parte agemus: 1° *De methodo inductiva*; 2° *De methodo deductiva*; 3° *De arte critica*: de methodo scilicet veras a falsis narrationibus distinguendi.

Sed primum omnium, *errorum remedia* proponenda sunt. Antequam enim cognitionum aedificium construere adgredimur, ea profecto, quae, quominus id fiat, impedimento esse possunt, removere opus est.

CAPUT I.

Errorum remedia.

271. Error est quidam humanae mentis *morbus*: hinc enimvero Logica, quae eo praesertim tendit, ut errores ab ipsa depellat, *medicina mentis* dicta est (V. n. 203). Errorum porro natura et causis detectis (V. n. 250 et seq.), jam facilis patet ratio, qua nobis ab his praecavere, vel iisdem efficaciter mederi possimus: namque, ut ait Quintilianus, *remedia melius adhibebit, cui nota quae nocent, fuerint*.

Sed ut remedia prosint et valeant, errorum ipsorum naturae, et causis a quibus oriuntur, consentanea esse debent.

272. Primo itaque, ad errores vitandos vel corrigendos, qui culpa non vacant, remediis *moralibus* uti oportet: emendanda scilicet atque ad sanitatem reducenda inordinata voluntas, quae facultatem persuasionis movet, eamque a recto tramite abducit.

A philosophia igitur morali, praesertim vero a Religione, auxilium hoc in casu petendum est.

273. Si physica sit erroris causa, *physica* quoque remedia esse decet; quae, - ob arctissimum, ut in Metaphysica videbimus, quo anima cum corpore obstringitur, nexum -, hoc in pristinum statum restituendo, id efficiunt, ut libere et uti par est, facultates intellectuales exerceri possint.

Quocirca, hisce in adjunctis, artis medicae periti adeundi sunt.

274. Quod si tandem alicui ex supra memoratis

causis (n. 254) adscribendus sit error, *rationalia* illi opponenda sunt remedia, quae suppeditare ad Logicam spectat.

Et 1° quidem, quod ad sensus externos attinet, considerare opus est, quaenam sint propria et *immediata* cujusque sensus objecta (V. n. 26-7); ne cum iis confundamus, quae nonnisi *mediate*, per consuetudinem nimirum, vel, ut rectius dicam, per furtiva quaedam et inobservata judicia, sensus alicujus objecta fiunt. Id prae oculis habere insuper decet, ab binis potissimum causis sensationes oriri, ab iisque varie modificari: ab natura scilicet corporum externorum eorumque agendi ratione, necnon ab organi sensorii conformatione et constitutione (V. n. 219); ad haec, sensationes ipsas, perfectas et adaequatas rerum externarum imagines ac similitudines non esse, sed quaedam potius *signa*, quae rite a nobis interpretanda sunt (1).

De cautionibus autem, in sensuum externorum usu, adhibendis, opportunius infra dicemus, ubi de methodo inductiva sermo erit.

275. 2° Intra aequos terminos imaginationem compescere (2); atque affectus coërcere oportet (3). Quod si illam nimis interdum fervere; vel

(1) *Suus quippe sensibus*, uti jam paullo ante cum Boucherono animadvertimus, *propemodum sermo est; tunc autem decipimur, quum voces a vocibus parum scienter et accurate distinguimus.*

(2) Ad imaginationem continendam, maxime profecto juvat rerum humanarum instabilitatem variamque fortunam considerare; prae ceteris autem, seria mortis, quae ultima est rerum linea, cogitatio. *O mors*, ait Ecclesiasticus, *bonum est judicium tuum*. Quod et ipsi graviores et sapientiores ethnici optime viderunt. Sic Cicero, in Tuscul. disputat.: *Tota*, inquit, *philosophorum vita commentatio mortis est*. Item, Seneca: *Tota vita discendum est mori* (De brev. vitae). Si autem Platoni credimus, eo sapientior quis fiet, quo in mortem vividius mentem suam defigit.

(3) Ubi affectus dominatum habent, ait Plato, rationem parere ne-

praepotenti aliqua affectione nos exagitari sentimus, tunc nostri saltem adeo compotes esse debemus, ut ab judicando vel agendo abstineamus, usque dum ratio, loco suo obiter excussa, suum in illas receperit imperium.

276. 3° Itaque temeritatem atque in judicando praecipitantiam sedulo devitemus, quae mehercule inter potissimas errorum causas enumerari debet (1). Quapropter ea, de quibus agitur, serio atque animo tranquillo perpendenda sunt, neque ullum unquam, de re praesertim maximi momenti, ferendum judicium, nisi probe, inter subjectum et praedicatum, relatione perspecta (2). Ad quod maxime prodest sapiens ac prudens dubitatio: ea nimirum quae a Cartesio dicta est, quaeque a scepticorum dubitatione omnino differt (3). Car-

cessum est. Caesar autem, apud Salustium: *Omnes homines*, inquit, *qui de rebus dubiis consultant, ab odio, amicitia, ira atque misericordia vacuos esse decet. Haud facile animus verum providet, ubi illa officiunt..... Si lubido possidet, ea dominatur, animus nihil valet* (Bell. Catilin.).

(1) *Quid est enim*, inquit Tullius, *temeritate fortius? aut quid tam temerarium, tamque indignum sapientis gravitate atque constantia, quam aut falsum sentire, aut quod non satis explorate perceptum sit et cognitum, sine ulla dubitatione defendere?* (De nat. deor.). — « D'où viennent nos erreurs »? quaerit Fenelonus; cui percontationi plane respondet: « De la précipitation de nos jugements. La suspension du doute nous est un supplice; nous ne voulons nous assujettir long-temps ni à la peine d'examiner ce qui est obscur, ni à l'inquiétude attachée au doute. Nous croyons nous rendre supérieurs aux difficultés, en les décidant bien ou mal, et en nous flattant de croire que nous en avons tranché le nœud. Au défaut de la vérité, son ombre nous flatte et nous amuse » (*De l'existence de Dieu*).

(2) *Ego maximam actionem puto*, ait Cicero, *repugnare visis, obsistere opinionibus et assensus lubricos sustinere* (Academ.). Clarius autem Rosminius: « Si sospenda il giudizio fino che le idee del predicato, del subietto e del loro nesso non sono ben distinte e chiare nella mente; ma s'adoperi ogni diligenza a renderle distinte e chiare; e quando sono rese tali, allora solamente si concluda il giudizio » (*N. Saggio* ecc).

(3) Cartesium ipsum audiamus, qui scepticorum dubium a dubio suo methodico aperte hisce verbis distinguit: « Cumque praecipue « circa res singulas observarem quidnam posset in dubium revocari, « et quidnam nobis occasionem male judicandi praeberet, omnes

tesiana porro, seu, ut ajunt, *methodica*, dubitatio a ridicula credulitate, et ab incredulitate, - aeque sane ridicula et insipienti -, nos abducit atque tuetur (1).

277. 4° Ab pravis idearum associationibus cavere opus est, in quibus maxima in hominum opiniones vis inest; quaeque judicia nostra de rebus etiam gravissimis saepenumero corrumpunt. Qua de re nimium cauti nunquam erunt, quibus puerorum institutio fuit concredita: quandoquidem tristissimi associationum, quae a prima aetate inconsulto fiunt, effectus, in totum vitae spatium haud raro perdurant (2). Huc enimvero referenda praesertim sunt tot illa praejudicia terroresque inanes, quibus vulgus misere torquetur; huc ridiculae antipathiae vel sympathiae; huc, brevi, tota ferme illa nugarum et insulsitatum cohors, generis humani dedecus et infamia. Certissimum tandem est, complures, - tum in Religione, tum in re morali et politica -, errores ab iniquis et inordinatis associationibus oriri; quae, ni eas citius abrumpere studemus, altissimis heu nimium! in mente nostra radicibus defiguntur. Quod argumentum docte ac fuse Lockius, et Stewartius praesertim, pertractant.

278. 5° Aliorum hominum auctoritas non pluris, quam decet, facienda est; ejus vis ratione expendenda (1). Hinc nunquam sapientissimum illud nobis excidat: *Ne quid nimis*. « Si nefas est, uti celeber Gladstonus animadvertit, aliorum auctoritati caeco se animi impetu subjicere, haud minus errat qui nullam in ea vim inesse contendit » (2).

279. 6° At bini alii excessus hic nobis devitandi occurrunt: nimius videlicet novitatis amor, et caeca antiquitatis veneratio. Profecto quis neget, complures, inter veteres, ingenio, mentis acumine et doctrina praestantes exstitisse? de quibus proinde, uti multorum est mos, perfunctorie ac leviter sententiam ferre, nae stultum est atque ridiculum. Verum enimvero, homines et illos, propterea que erroribus obnoxios fuisse constat; neque omnia mehercule scire poterant. Quid enim? nonne hominem, indefinite perfectibilem novimus? nonne mundum disputationi hominum reliquit Deus (3)?

« paullatim opiniones erroneas, quibus mens mea obsessa erat, a-
« vellebam. Nec tamen in eo scepticos imitabar, qui dubitant tantum
« ut dubitent, et praeter incertitudinem ipsam nihil quaerunt. Nam
« contra totus in eo eram, ut aliquid certi reperirem. Et quemad-
« modum fieri solet cum in arenoso loco aedificatur, tam alte fodere
« cupiebam, ut tandem ad saxum vel argillam pervenirem ». Celeber autem Ritterus subdit: « Autrefois, comme maintenant, comme toujours, le doute a été, est et sera le père de toute connaissance véritablement scientifique: non pas ce doute qui n'a pour objet que de se désister de toute recherche de la vérité, mais celui qui se propose la recherche même, et par elle la certitude » (*Histoire de la philos.*, traduite par Tissot).

(1) « Il y a autant de légèreté et de faiblesse d'esprit à être incrédule et opiniâtre, qu'à être crédule et superstitieux », uti ingeniose scribit Fenelonus (*Lettre sur la Religion*). Quare optime Phaedrus: *Periculosum est credere et non credere..... Ergo exploranda est veritas semper prius, — Quam stulta prave judicet sententia.*

(2) Unde sapiens haec Quintiliani ad puerorum institutores admonitio: *Id in primis cavere oportebit, ne studia, qui amare nondum poterit, oderit, et amaritudinem semel perceptam etiam ultra rudes annos reformidet.*

---

(1) *Non enim*, ait Cic., *tam auctoritatis in disputando, quam rationis momenta quaerenda sunt* (De nat. deor.). Et Lactantius: *Quare cum sapere, hoc est sapientiam quaerere, hominibus sit innatum, sapientiam sibi adimunt qui aliorum inventa probant, et ab iis pecudum more ducuntur.*

(2) In rem apte Rosminius: « A me pare non inutile l'autenticare i raziocinii..... colle altrui autorità.....; non già per surrogare nella filosofia l'autorità al ragionamento, ma perchè è una guarentigia della mente, un gran conforto dell'animo, di cui la stessa filosofia nell'arduo suo viaggio tanto abbisogna, l'udire quel quasi concerto delle umane intelligenze » (*Introduzione* ecc.).

(3) Sapienter itaque Plinius junior: *Sum ex his, qui mirer antiquos, non tamen, ut quidam, temporum nostrorum ingenia despicio: neque enim quasi lassa et effoeta natura nihil jam laudabile parit.* Item Seneca: *Qui praecesserunt*, inquit, *non praeripuisse mihi videntur quae dici poterant, sed aperuisse. Inventuris inventa non obstant* (Epist. LXXIX).

280. 7° Nullo itaque partium studio nos abripi sinamus, nec personarum acceptio nobis illudat. Quare veritas, a quoçumque tradita nobis sit, amplectenda: *Fas est*, ait Virgilius, *et àb hoste doceri;* error similiter, quicumque illius sit auctor, rejiciendus est: *Tros, Rutulusve fuat, nullo discrimine habebo*, ut idem monet Virgilius. Veritas enim in nullius est dominatu (1); nec quisquam est, ut ut potens opibus, atque auctoritate ac viribus praevalens, qui efficere illud possit, ut, quod est, non sit (2).

281. 8° Demum animi nostri penetralia ingenue ac sollerter identidem investigare et perpendere decet, atque opiniones nostras, de rebus praesertim magni momenti, aequa et severa trutina pensare, ut si fortasse constet, ineptis doctrinis vel praejudiciis nos detineri, haec *statim* eradicemus (3); et, ubi opus fuerit, nostrae denuo educationi serio studeamus: quid enim aliud est hominis vita, inquit Degerandus, quam continua suimet educatio?

---

(1) *Veritas tua* (Domine) *nec mea est, nec illius aut illius, sed omnium nostrum, quos ad ejus communionem publice vocas* (S. Augustinus, *Confess.*).

(2) At contra, *Veritas magna*, uti legimus in 3° lib. Esdrae, *et fortior prae omnibus..... Veritas manet et invalescit in aeternum, et vivit et obtinet in secula seculorum. Nec est apud eam accipere personas neque differentias.* Hinc recte Silvius Pellicus: « La somma delle viltà è d'essere schiavi de' giudizii altrui, quando hassi la persuasione che sono falsi » (*Le mie Prigioni*). Nec minus abjectos ac viles eos censemus, de quibus ait Ecclesiasticus: *Dives locutus est, et omnes tacuerunt, et verbum illius usque ad nubem perducent; pauper locutus est, et dicunt: quis est hic?*

(3) « Les préjugés, ait celeber Arago, sont comme les plantes nuisibles: le plus petit effort suffit pour les extirper si on les saisit à leur naissance; ils résistent au contraire quand on leur a laissé le temps de croître, de s'étendre, et de saisir dans leurs nombreux replis tout ce qui se trouvait à leur portée » (*Éloge de I. Watt*, dans *l'Annuaire* etc. 1839). Hinc apposite Horatius:

. . . . cur
Quae laedunt oculum festinas demere, si quid
Est animum, differs curandi tempus in annum?

Quod facilius obtinebimus, si probos ac doctos viros, quique publica existimatione commendantur, in exemplum nobis et adjumentum, si liceat, advocemus; quorum usus et conversatio prodesse admodum potest: tacita enim eruditio sumitur ex conversatione doctorum. Si praeterea optimis libris evolvendis operam dabimus. Ad quorum tamen delectum quod attinet, sapientum consilio, adolescentes potissimum uti omnino oportet, ne, in minus probatum librum forte incidentes, quod ad malum inquirunt remedium, malo ipso pejus sit (1).

282. Sed optimos libros prae manibus habere satis non est, si illos utiliter legendi artem ignoremus.

Hoc igitur in primis persuasum nobis esse debet, non multos libros, sed multum et bene legendos illos esse (2): per singulas videlicet partes ordinatim et attente pervolvendos; atque idea-

---

(1) Hac de re nostrum est, etiam atque etiam adolescentes monere, nullis aliis fortasse libris, eorum animum et mentem magis vitiari posse, quam scenicis quibusdam operibus, et fabulosis narrationibus (vulgo *romanzi*), quorum numero, - Gallia praesertim et Anglia ministrantibus -, jam pene obruimur. In his enim conficti quidam eventus atque animi affectus vivis adeo depinguntur coloribus, tantaque interdum stili elegantia et venustate, ut improvidus lector facile in *enthusiasmum*, ut dicunt, rapiatur. Neque rarum est, ut in hujusmodi libris, - vitii ac virtutis notione inversa -, fraudi, vindictae, protervis in mores ausibus, duello etiam et suicidio, tamquam generosis facinoribus, praeconia tribuantur. Quae quantum, inexpertis praesertim adolescentulis, detrimentum illatura sint, nemo non videt. — Aequo liberiores poëtas sileo; de quibus vel ipse ait Ovidius *Eloquor invitus, teneros ne tange poëtas.*

(2) « Illud autem vide, ita ad Lucilium suum *Seneca*, ne ista lectio « multorum auctorum et omnis generis voluminum, habeat aliquid « vagum et instabile. Certis ingeniis immorari et innutriri oportet, « si velis aliquid trahere, quod in animo fideliter sedeat. Nusquam « est qui ubique est..... Non prodest cibus, nec corpori accedit, qui « statim sumptus emittitur. Nihil aeque sanitatem impedit, quam « remediorum crebra mutatio..... Distrahit animum librorum multi- « tudo..... Fastidientis stomachi est, multa degustare: quae ubi varia « sunt et diversa, inquinant, non alunt (*Epist.* II) ».

rum relationes et nexus praecipue considerandos. Incomposita namque idearum multitudo et farrago sciolos quidem, nequaquam vero doctos et eruditos facit. In lectione autem non ultra progrediendum, nisi quae praecesserint, probe perspecta habeamus; ad quod plurimum prodest, eorum quae jam legimus, identidem nobis rationem reddere, vel ea cum aliis conferre. Optimum tandem erit, quae magis memoria digna sunt, scripto adnotare; vel tractationem integram in tabulas synopticas aut compendium redigere; quorum ope, longa etiam rerum series, unico veluti intuitu, tota perlustrari et altius in mente defigi potest.

283. Superius animadvertimus (n. 250), errorem quemlibet ab *ignorantia* proprie gigni; quam proinde veluti errorum omnium radicem appellare licet. Opportuna igitur remedia et ignorantiae quaerenda sunt: cujus causae, ut vidimus (n. 247), - praeter naturalem humanae intelligentiae limitationem, quae vinci penitus nequit -, potissimum sunt memoriae debilitas, et strenuae voluntatis defectus.

284. Et primum, *memoriae debilitas:* omnis quippe disciplina memoria maxime constat; frustraque docemur, si quidquid audimus aut legimus, praeterfluit. Hac igitur tanti ponderis ac momenti facultate recte nos uti, eam tueri ac magis magisque perficere oportet. Huc spectant *mnemonica*, praecepta nimirum quae memoriam adjuvant; quorum praecipua haec sunt:

1° Ea sedulo atque intento animo consideremus, quae memoria tenere, eique firmiter commendare cupimus (1).

(1) « Nec dubium est, apte in rem *Quintilianus*, quin plurimum in

2° Eorum insuper claras et distinctas ideas nobis comparare studeamus. Praeterquamquod enim confusa rerum cognitio parvi omnino est pretii, - ni fortasse ignorantia ipsa deterior -, experientia constat, quae obscure et indistincte percipimus, aegre memoria nos ea complecti.

3° Quae nostra maxime interest meminisse, apte et ordine quodam in mente disponantur: nil quippe magis quam ordo, memoriae est adjumento, atque ad latentes ideas facilius excitandas et revocandas confert (1).

4° Ad ideas tenaciter in mente figendas, plurimum etiam juvant signa, inter quae scriptio praesertim (2).

5° Cupiditates comprimendae et restinguendae sunt, atque intemperantia vitanda; quae, uti Cicero animadvertit, *menti inimica*, *omnem animi statum inflammat*, *conturbat*, *incitat*, et qua nil fortasse magis officit memoriae.

6° Demum, apte ac prudenter memoria exerceatur. Haec quippe, non secus, - quin fortasse etiam magis -, quam ceterae hominis facultates -,

« hac parte valeat mentis intentio, et velut acies luminum a prospe- « ctu rerum quas intuetur non aversa ». *Verulamius* autem: « Quae « attentionem excitant melius haerent, quam quae praetervolant. « Itaque si scriptum aliquod vicies perlegeris, non tam facile illud « memoriter disces, quam si illud leges decies, tentando interim il- « lud recitare et, ubi deficit memoria, inspiciendo librum ».

(1) Id plane confirmat Cicero, in lib. 2° *De Oratore*. Ubi Simonidem et sordidum illum Scopam commemorans, et insolito, de Castore et Polluce, facto exposito: *Hac tum re*, inquit, *admonitus* (Simonides) *invenisse fertur*, *ordinem esse maxime*, *qui memoriae lumen afferret; itaque iis, qui hanc partem ingenii exercerent, locos esse capiendos, et ea, quae memoria tenere vellent, effingenda, atque in his locis collocanda: sic fore, ut ordinem rerum locorum ordo conservaret, res autem ipsas rerum effigies notaret, atque, ut locis pro cera, simulacris pro literis uteremur.*

(2) *Adminiculum memoriae*, ait Baconus a Verulamio, *plane scriptio est; atque, omnino monendum, quod memoria, sine hoc adminiculo, rebus prolixioribus et accuratioribus impar sit.*

exercitio invalescit atque perficitur; elanguet contra ac deterior fit, ubi inertia ac socordia torpescere illam sinamus (1).

285. Restat, ut de altera ignorantiae causa, idest *firmae voluntatis defectu*, dicamus. De hoc tamen opportunius in Ethica; ubi De officiis hominis erga seipsum sermo erit.

CAPUT II.

De methodo inductiva.

286. Methodus *inductiva* (vel, uti etiam nominari consuevit, *experimentalis;* quatenus autem ad conscientiae facta refertur, *psychologica*) « inductionis regulas complectitur » : regulas nimirum, quae observationem, experientiam, comparationem et generalizzationem, seu inductionem proprie dictam, dirigunt (V. n. 103).

287. Observatio. Ex observationis definitione liquet, complexam quamdam operationem hanc esse: *ex attentione* scilicet, *analysi* et *synthesi* constare; observare namque proprie est, alteram ab altera res plane distinguere; in sua singulas elementa resolvere; easque in integrum deinceps restituere.

Ut porro observatio propositum suum assequatur, 1° Attentio *efficax* esse debet, *constans* et *sincera*: objectis nimirum quae observantur, usque adhaereat necesse est, dum aliquid obscuri vel incerti supersit; nil insuper iisdem detrahat;

(1) *Si quis unam*, iterum Quintilianus, *maximamque a me artem memoriae quaerat, exercitatio est et labor: multa ediscere, multa cogitare et, si fieri potest, quotidie, potentissimum est.*

nil ipsis adjungat. 2° Analysis *completa* et *ordinata* sit: in tot videlicet, quot fieri potest, simplicia elementa, eaque in ordinem disposita, datum objectum resolvat. 3° Tandem synthesim, *completam* quoque et *ordinatam* esse oportet: haec nempe omnes, in quas objectum per analysim distractum est, partes simul colligere; et omnes easque solum relationes, quae inter illas intersunt, amplecti debet, quo in pristinum et genuinum ordinem redigi possint.

288. Hinc contra hasce regulas peccant sensistae, qui, animae humanae analysim instituentes, nonnisi sentiendi facultatem in ea deprehendunt (1). Eas itidem violat qui, sensibilitate, intelligentia et voluntate, - utpote primigeniis ejus potentiis -, per analysim in homine detectis, earum postea synthesim conficiendo, in uno eodemque subjecto simul conjunctas haudamplius illas consideret, sed, medium quasi hominem scindens, hunc cum Platone et Bonaldo definiat « intelligentiam, cui organa famulantur » (V. n. 7).

289. Experientia. Quum ad plenam factorum vel entium cognitionem ducere nequit simplex observatio, ad *experientiam* tunc confugimus.

Experimenta porro, non secus ac observationes, ut iis fidere omnino possimus, non semel et quomodocumque, sed attente, sedulo, pluries, variis

(1) Ex hoc patet sensistas, ore tenus, methodum *observationis* seu psychologicam sequi, re ipsa tamen ab ea quam longissime abesse. Haec namque methodus in eo nequaquam consistit, ut peculiare aliquod factum, - uti sensistarum mos est -, veluti fundamentum philosophicae doctrinae assumamus, ad quod cetera exinde per vim quodammodo reducere conemur (nullum quippe est systema, ut ut imaginarium et hypotheticum, quod alicui facto non innitatur), sed ut omnia, nullo excepto, lubenti animo amplectamur, quae longa atque attenta observatio nobis patefacit.

praesertim in adjunctis et circumstantiis pertentanda et repetenda sunt. Quod si illa diversos habeant exitus, juvabit, quo propius ad verum accedamus, effectuum et phaenomenorum quae sese nobis obtulerunt, *mediam*, ut dicunt, assumere.

290. Quod autem ad cautiones attinet, quas, - sive observando sive experiendo -, adhibere opus est, quum sensibus externis utimur (V. n. 274), hae ferme sunt: 1° Sani et integri sint sensus; atque ad objecta observanda apte dispositi. 2° Instrumentis ac machinis, si opus sit, iisque optimis et affabre factis, adjuventur. 3° Plures, si fieri potest, in eodem objecto observando, adhibeantur sensus: ita enim fiet, ut testimonium unius, aliorum testimonio comprobetur vel corrigatur (1). Quod si in idem omnes conspirent, tunc eorum testimonium uti certissimum haberi debet. Sic pone, me amicum oculis intueri, illum amplecti et loquentem audire, jam de illius praesentia dubitatio nulla apud me reliqua esse potest (2). 4° Denique antequam de sensibili aliqua specie judicium proferatur, ratio consulenda est; quae una proprie in homine dominatum tenet (3).

291. De arte observandi et experiendi fuse ac sapienter Baco a Verulamio, J. Herschelius aliique. Nos hic solum generatim animadvertimus,

(1) « Ce n'est pas pourtant, inquit J. Herschelius, le témoignage de nos sens qu'il s'agit précisément de repousser, mais les jugemens erronés que nous en déduisons et qu' infirme un témoignage opposé » (V. n. 274).

(2) Ita nimirum Christus se vere a mortuis excitatum Apostolis suis probat; uti legimus in evangelio secundum Lucam, cap. 24.

(3) Quam belle ad rem, festive atque argute La Fontaine:

Quand l'eau courbe un bâton, ma raison le redresse;
Ma raison décide en maîtresse.....
Mes sens, moyennant ce secours,
Ne me trompent jamais, en me mentant toujours.

illum in hac arte proficere tantum posse, qui ad haec studia naturalis ingenii dexteritate, necnon quadam, quasi dixerim, mentis flexibilitate et sagacitate polleat, ne ab inopinatis eventibus fortasse perturbetur, sed omnia vel exigua ad suos usus convertere, atque ab minimis quibuscumque indiciis naturam interpretari sciat; qui insuper animo sit tranquillo, praejudiciis (1) et cupiditatibus vacuo, atque veritatis unice studioso; maxime vero ita comparato, ut opinionibus suis statim ac lubenter valedicat, vix dum falsas deprehenderit (V. n. 281): qua animi virtute si careat, ad scientias hic natus non est, neque eo unquam perveniet, ut illas excolere utiliter possit (2).

292. Comparatio. Observationem et experientiam pone sequitur *comparatio*. Quae et ipsa quaedam observatio est; cujus tamen objectum non sunt individua singulariter considerata, sed eorumdem nexus et relationes, quas clare ac distincte percipere conatur.

Hinc regulae comparationis perinde sunt ac illae, quas pro observatione proprie dicta tradidimus; atque ad binas reduci possunt: 1° Si de individuis agitur, omnes omnino, - neque aliquos tantum eosque accidentales -, eorum *characteres;* si vero de factis, omnia, quae illos circumstant, *adjuncta* distinguere atque animadvertere opus est. 2° Ordo et relationes, quae inter hosce characte-

(1) Si de factis externis agitur, duo praesertim praejudiciorum genera recensentur: praejudicia nimirum *opinionis*, et praejudicia *sensuum*.

(2) Profecto, uti jam Cic. animadvertit, *cujusvis est errare; nullius, nisi insipientis, in errore perseverare* (Philip. 11). Item, S. Augustinus: *Humanum est peccare, diabolicum perseverare* (Serm. 169).

res vel haec adjuncta intersunt, probe considerandae sunt.

293. Accuratae comparationis defectu factum est, ut cete (balaenae, orcae et similia) tamquam pisces a veteribus haberentur; quod falsum omnino nuperi naturalis historiae periti demonstrarunt. Qui ea inter mammifera jure enumerant, eo quod pulmonari gaudeant respiratione, calidus illis sit sanguis, etc.

Item, sedula et constans circumstantiarum, quae pluviae, cum iis, quae roris formationi comitantur, comparatio, ad veram *De rore* (quae in conjectura dudum omnino nitebatur) theoriam, hoc ineunte seculo, doctorem clarissimum Wells recta deduxit.

294. Inductio. Jam in quolibet objecto, - elementis quae illi propria sunt, iis vero quae cum aliis habet communia, per comparationem distincte perceptis -, haec postrema seorsum ac veluti per se existentia considerare opus est. Ita enim typus quidam seu exemplar conficitur, in quo quidquid in rebus simile seu commune est, continetur. Quare, - singulis observatis simulque comparatis objectis veluti dimissis -, sat erit typum meminisse atque inspicere, qui ea omnia, qua inter se conveniunt, repraesentat. Quo fit, ut mens nostra, - multiplici objectorum perceptione, qua facile obrueretur, exonerata -, unam tantum retineat, quae caeteras quadantenus comprehendit. Operatio, qua id efficitur, *inductio*, uti suo loco dictum est, seu generalizzatio appellatur.

Hac porro ratione, si de entibus individualibus agitur, formantur genera seu *classes;* si vero de factis particularibus, constituuntur *leges:* lex autem, prout hic accipitur, est constans et stabilis phaenomenorum nexus ac relatio (1).

295. En modo praecipuas, quae in inductione conficienda prae oculis habendae sunt, regulas: Quum nempe generale principium concludimus (sive individua in *classes*, sive facta in *leges* reducendo), cavendum est, 1° ne praeter limites, ab observatione et experientia definitos, progrediamur; 2° ne, nimiae timiditatis ergo, intra angustiores, quam par sit, terminos contineamur, - id quippe scientiis moram et impedimentum inferret; 3° ne tamquam similia habeamus, quae revera non sunt; vel vicissim. Quae omnes regulae ad hanc unam reduci commode possunt: « *Omnia*, et *sola* facta similia complectatur generalizzatio »; idest, neque defectu neque excessu peccet (2).

296. A prima igitur hujusce regulae parte illi recedunt, qui, ex eo quod Aethiopes et Europaei, colore et corporis forma, aliquatenus inter se distant, concludunt, diversae speciei homines hos esse (3). Partem autem regulae alteram minime observant, qui, ob aliquam, quod ad corpus spectat, inter homines et bruta, similitudinem, ad eamdem speciem haec atque illos pertinere affirmant.

---

(1) Utraque tamen in operatione idem semper est processus. Aliquod namque genus conficere, vel legem aliquam statuere, nihil est aliud, quam, - post observationem, experientiam et comparationem rite peractam -, ad quoddam cognitionis objectum pervenire, quod sit veluti abstractum exemplar, indefinitum objectorum similium numerum repraesentans.

(2) Caeterum, non tam ex generalibus praeceptis et regulis vera ac legitima, per inductionem ratiocinandi idest *generalizzandi* methodus erui potest, quam ex sedula meditatione operum, quorum auctores hac in re praesertim excellunt. Optima nobis exempla suppeditant Galileus, Neutonus, Volta, et prae caeteris fortasse Wells, in sua *De rore* theoria (V. n. 293).

(3) Ita nimirum de foeda Afrorum mercatura purgare se student homines sordidissimi.

Utraque sane vitia haec devitanda. Quamquam generalizzatio, quae modum excedit, exitiosior utplurimum est, gravioribusque, prae alia, periculis obnoxia. Hoc itaque, in inductione perficienda, maxime cavendum est, ne ad leges admodum generales nimium festinemus: sensim videlicet sine sensu a factis particularibus ad leges inferioris ordinis adsurgere oportet; ex his autem ad superiores, et sic deinceps; donec ad omnium generalissimas pervenire datum sit (1).

297. HYPOTHESIS. Reliquum est, ut regulas pro *hypothesi* recte constituenda tradamus; quae plurimum, ut vidimus, tametsi indirecte, ad veritatem investigandam, saepenumero confert. Hujusmodi autem potissimum sunt: 1° Hypothesis sit possibilis; quare absurda et manifesto falsa haud complectatur, neque cum veritate certo jam cognita pugnet; 2° id quod tamquam factorum causa assumitur, revera existat, nequaquam vero et ipsum hypotheticum sit; 3° iis factis gignendis sit aptum, ad quae explicanda adhibetur; 4° proposita hypothesis, omnibus probabilior sit, quae ad rem possunt effingi; 5° omnium simplicissima (2); 6° demum, nec plura nec pauciora admittat, quam quae ad phaenomena explicanda sunt necessaria. Natura enim, uti est in proverbio, neque in necessariis deficit, neque delectatur causis superfluis (1).

(1) Optime in rem Baco a Verulamio: « De scientiis, *inquit*, tum « demum bene sperandum est, quando per scalam veram, et per « gradus continuos et non intermissos aut hiulcos, a particularibus « ascendetur ad axiomata minora, et deinde ad media, alia aliis su- « periora, et postremo demum ad generalissima..... Itaque homi- « num intellectui non plumae addendae, sed plumbum potius et « pondera, ut cohibeant omnem saltum et volatum » (*Novum Organum*).

(2) « La nature, inquit Bonnetus, est si simple dans ses voies, qu'une hypothèse perd de sa probabilité, à mesure qu'elle devient compliquée ».

Hae porro ipsae ad *conjecturam* accommodari regulae possunt.

CAPUT III.

De methodo deductiva.

298. Methodus *deductiva* « regulas deductionis sive ratiocinii complectitur »: docet nimirum, quomodo particulare aliquod ex generali deduci atque elici debeat (2).

Sed duplici ratione aliud ex alio deduci potest: immediate, vel mediate. *Immediata* seu simplex est deductio, quum judicium quodpiam in alio, veluti proxima ejus consequentia, evidenter continetur, a quo proinde simplici atque immediato mentis actu eruitur. Ex gr.: « Nullus homo, alterius mancipium esse potest, et tamquam res vel merces venundari; ergo ne Afri quidem ». Quod si judicium in alio, utpote proxima et evidens illius consequentia, minime comprehenditur, ad tertium tunc judicium confugiendum est, quod illud, in eo reapse comprehendi palam ostendat.

(1) « L'ipotesi, uti Rosminius animadvertit, dee riuscire conforme al principio della ragion sufficiente, che si divide ne' due canoni seguenti: 1° Non assumere di più di quel che valga a spiegare i fenomeni; 2° assumere tanto che valga a spiegare i fenomeni » (*Logica*).

(2) Qui universalia rationis principia, quae illi quodammodo a natura sunt tradita, vel principia generalia, quae inductionis ope consequutus est, pro opportunitate non applicat, ut inde novas veritates per ratiocinium educat, perinde est ac qui magnam argenti vim, per multos labores congestam, arcae concredat, ibique inutilem servet, nec cuiquam det fenori; vel qui uberem agrum sine cultura deserat. Huc spectat Christi parabola de talentis, quae tradidit dominus servis suis negotianda.

Quapropter judicium, quod veluti adjutor assumitur, *medium;* et quae inde fit deductio, *mediata* vocatur, - quae proprie ratiocinium vel argumentationem constituit (V. n. 94). Simplicem contra deductionem nonnisi inchoatum quoddam ratiocinium appellare licet (1).

299. Fundamentale hoc est deductivae methodi principium: « Evidentiam in ratiociniis nostris assidue servare opus est ».

Ex hoc porro principio, recte deducendi regulae fluunt. Quarum aliae investigationum nostrarum *subjectum;* aliae vero *modum* spectant, quem in quaestionibus solvendis sequi debemus.

300. Inter priores haec se statim nobis offert: « De rebus tantummodo ratiocinandum est, quarum claras et distinctas ideas habemus ». A qua haec altera directe proficiscitur: « A simplicioribus et facilioribus exordiri oportet; et, nonnisi his optime perspectis, ad difficiliora et plus minusve complexa progrediendum ».

301. Quod vero ad modum attinet, quo solvenda est quaestio, hanc in primis regulam exhibemus: « Necesse est statum quaestionis plane ac recte constituere »: apertis nempe ac definitis verbis expromere; quaestio namque rite posita et constituta jam pene expedita est (2).

(1) Ratiocinium generatim sumptum hic tantum consideramus; mox in Dialectica de variis ejus speciebus seu formis dicturi, deque legibus, ad quas sub singulis hisce formis exigi debet, ut rectum et legitimum sit.

(2) « Il primo, sic P. Jordanius in *Epistola* ad Vincentium Montium, e necessario fondamento di ben ragionare, è porre ben circoscritto il fatto ». Similiter Sudre: « Il en est du raisonnement comme de l'algèbre, tout consiste dans la position de la question » (*Histoire du communisme*). Expressius autem Rosminius: « Forse ogni errore dei filosofi trae l'origine dallo stato della questione mal posto » (*N. Saggio*). Profecto, si, ex. causa, rationem quaeras, cur permulti, in idearum origine investiganda, tantopere a veritate aberraverint, hanc potissimum invenies, quod, ubi revera sit difficultatis nodus, nequaquam perspexerint, nec proinde quaestionem recte posuerint. Quae in hoc, uti vidimus, tota est, ut explicetur, - quandoquidem constat, ideas judiciorum ope omnes acquiri -, quomodo prima illa judicia conficere homo possit, quibus primas rerum ideas sibi comparat. Ad hanc porro formulam redacta, parum mehercule difficultatis jam quaestio facessit.

302. Post haec, idea quaedam seu terminus medius sit nobis in promtu, quo, tamquam mensura communi, ad detegendam inter subjectum et praedicatum, idest binos quaestionis terminos relationem, uti possimus. At « haec idea media, perspicua et distincta sit oportet; certam insuper jamque cognitam cum quaestionis ideis relationem habeat »; secus enim nullomodo ad quaestionem solvendam prodesset (V. n. 97). « Comparatio autem duarum idearum quaestionis cum media, eodem omnino sensu et sub eodem respectu fieri debet; neque alia inter utramque admittenda relatio, quam quae inter illas et ideam mediam, seu terminum comparationis, intercedit ».

Ad hujusmodi porro mediam ideam, sive argumentum, in peculiari quolibet casu, inveniendum, hanc tantum regulam proponimus, quae, admodum licet generalis, ubi recte adhibeatur, magnos usus afferre potest: « Ne extra idearum quaestionis limites vagetur mens (nam idea media, - vi legis *identitatis,* V. n. 96-7 -, intra propositi judicii terminos inesse debet); sed, - accurata *subjecti* analysi confecta, aliquibus deinceps *attributi* proprietatibus attento animo consideratis -, utrumque menti simul adsit et alterum alteri sedulo conferatur ». Hinc profecto eveniet, ut idea, ad

rem nostram peropportuna emergat: perinde ac, si hujusmodi comparatione uti fas est, lapidum conflictu atque tritu ignem elici videmus (1).

303. Quod si proposita quaestio valde implicata et difficilis sit, aliae tum praesto sunt regulae. Quas tamen, brevitatis gratia, omittimus; quasque fusius a Malebranchio expositas videre est, si libeat, in opere, quod « De inquisitione veritatis » inscribitur.

Id tamen silentio praeterire non licet, maxime curandum esse, ut singulis in operationibus, quas in quaestione solvenda exsequimur, terminus nobis constitutus jugiter menti praesens sit. Haec quippe facile ab semita sua deflectit, si vel paullulum illi excidat, quo ipsa tendit ac pergit, et quid demum inquirit.

304. Sed recte ratiocinandi usui ac facultati consequendae, regulae per se nequaquam sufficiunt: hanc proprio sibi labore et industria quisque comparare debet (2). Ad quod plurimum confert,

(1) Caeterum, utiliter hac de re consuli possunt Aristoteles, Cicero, Boëtius, aliique, qui locos seu sedes argumentorum, fontes nimirum, ex quibus probationes erui possunt, fuse pertractant. Scio equidem hanc Logicae partem utpote inutilem a Stoicis et nonnullis inter recentiores haberi. Nos tamen, Ciceronis praesertim et Quintiliani auctoritati innixi, artem hanc nequaquam contemnendam putamus; illis quinimo maxime commendandam, qui jurisprudentiae et controversiis generatim operam navant.

Loci argumentorum in intrinsecos et extrinsecos dividi solent. *Ex his locis*, inquit Cicero, *in quibus argumenta inclusa sunt, alii in eo ipso, de quo agitur, haerent; alii assumuntur extrinsecus* (Topica).

Praecipua argumenta intrinseca sunt: *a definitione; ab etymologia; a simili; a contrariis; ab adjunctis; a causis* vel *effectibus; a fortiori; a majore ad minus; ab absurdo*. Extrinseca vero: *ab exemplis; a consuetudine; a legibus;* et *ab auctoritate* generatim. *Quae extrinsecus assumuntur*, subdit Cicero, *ea maxime ex auctoritate ducuntur*. Sed haec nobis innuisse sat est.

(2) « Le meilleur moyen de perfectionner la raison, uti optime animadvertit Reidius, c'est de l'exercer énergiquement dans toutes les directions et sur tous les sujets qui peuvent nous donner l'habitude

libros saepe atque attente versare, in quibus ordo, apta rerum dispositio atque perspicuitas elucet, magnaque se prodit vis logica. Optima, qualibet in disciplina, ad hanc rem exemplaria invenire est. Id tamen in primis jure quodam suo sibi vindicat mathesis; praesertim vero geometria. Quae, etiamsi ad communem vitam nihil prodesset (quammaxime autem prodest), magno tamen in pretio nobis esset habenda; quippe quae, variis et repetitis exemplis, distincte res mente concipere, ideas nostras in ordinem digerere, verum a falso distinguere, aliud ex alio legitime deducere: brevi, solide ac recte nos ratiocinari consuefacit (1).

Plus aequo nihilominus matheseos vim et auctoritatem producendam non esse monemus. Hic etiam, uti semper, aureum illud meminisse opus est, *Ne quid nimis;* et quod, in *Arte poëtica*, habet Horatius: *In vitium ducit culpae fuga, si caret arte.*

CAPUT IV.

De arte critica.

305. Homo cognoscendi facultate gaudet; quae multiplici, ut vidimus, ratione exercetur. Primum namque intellective res *percipit*, - cum interne

de nous en servir régulièrement. Sans cet exercice et une dose convenable de bon sens, un homme peut passer sa vie à étudier la logique et n'être après tout qu'un ardent disputeur, aussi dépourvu de jugement que de véritable habileté à raisonner ».

(1) Idem plane sentit Reidius: « Selon Locke, inquit, il n'y a point d'étude plus propre à exercer et fortifier la raison que les mathématiques, et je suis de son avis par deux raisons: la première c'est qu'il n'y a point de science qui permette de faire des séries de raisonnements aussi longues et aussi rigoureuses, et la deuxième c'est que les mathématiques ne donnent accès ni à l'autorité, ni à aucun préjugé qui puisse fausser le jugement ».

tum externe -; ab perceptionibus autem, per abstractionem immediatam, *ideas* eruit: unde cognitio, quae *directa* vocatur. In ideas postmodum *reflectendo*, earum *analysim* et *synthesim* conficit; *abstractioni* eas subjicit; simul *comparat*, deque ipsarum convenientia vel discrepantia *judicat;* in classes redigit, atque ad generalia principia per *inductionem* assurgit; a quibus exinde, *ratiocinii* ope, plurima deducit. Hinc totidem cognitiones *reflexae*, quibus humana scientia pedetentim augetur atque perficitur.

306. At innumerabilia sunt, quae, neque sensuum externorum ope, neque conscientia, neque ratiocinatione ulla assequi liceret, quaeque nonnisi per alios nobis innotescunt: omnia videlicet facta, quae vel praeteritis temporibus vel procul a nobis contigerunt, quibusque adesse nequaquam potuimus. Hujusmodi sunt, ex. gr., bella, paces, foedera, populorum instituta, mores, religio, hominum inventa, doctrinae, artes, aliaque similia: quae magnam enimvero, eamque utilissimam, humanae scientiae partem constituunt; et, qua demta, proh quam misera hominis esset intellectualis conditio (1)!

Qui igitur supremum veritatis criterium in hominum auctoritate ponendum non esse docuimus (n. 226), non ii profecto sumus, qui, - ad vitium contrarium vergentes atque in *pyrrhonismum*, uti vocant, *historicum* dilapsi -, omnem hominibus

(1) Jam *Historia* omnino deficeret, quae merito a Cicerone vocatur *testis temporum, lux veritatis, via memoriae, magistra vitae, nuncia vetustatis* (De Oratore). Profecto, ut idem Tullius animadvertit, *nescire quid antequam natus sis acciderit, id est semper esse puerum* (Orator.).

fidem denegandam affirmemus (1). Hanc quinimo veluti potissimam hominis institutionis et disciplinae, atque humanae scientiae conditionem habemus; unde illud: *Oportet discentem credere.*

307. Verumtamen, quum hominibus temere atque inconsulto credendum non sit, - in multos quippe errores, horum saepe ignorantiâ, saepius malitiâ nos ducimur -, videndum, quandonam aliorum narrationibus et testimonio fidem tribuere, quando vero denegare oporteat. Id porro nobis praestat *ars critica:* « ars nimirum, quae humanam rationem in iis quae ab aliis narrantur expendendis dirigit, ac regulas tradit, vera a falsis dijudicandi » (2).

At in mentem revocare opus est, quae per aliorum narrationem perspecta habemus, vel doctrinas rationales esse, vel facta historica (V. n. 234).

308. Jamvero, ut *doctrinas rationales* amplecti fidenter possimus, hominum multae auctoritatis suffragio ita comprobari eas decet, ut nulla omnino de illarum veritate dubitatio supersit.

Hac nempe ratione, complura scientiarum arcana maximique ponderis illationes, - quamvis ad popularem sensum aptari nequeant (siquidem *scientiam popularem* dicere plane absurdum est) -, omnium juris fiunt, atque in communem usum et utilitatem traducuntur.

(1) Infixum contra nobis haeret animo sapiens S. Augustini monitum: *Auctoritate quidem decipi, miserum est; sed certe miserius non moveri* (De utilitate credendi).

(2) Animadvertendum est, ad hominum narrationes nos hic tantum spectare; proindeque de critica nos agere, quam *profanam* dicunt. Theologorum est, aliis additis considerationibus, *sacris* hanc scriptoribus accommodare.

309. Quod autem ad *facta* spectat, imprimis animadvertimus, haec vel naturalia esse, vel prodigiosa. *Naturalia* vocantur, quae cum communibus naturae legibus congruunt; *prodigiosa*, quae praeter naturae ordinem contingunt, quaeque proinde nonnisi vi supernaturali adscribi et attribui possunt. Sic, naturalis est solaris eclipsis in novilunio, interea dum luna in nodis, vel hinc non procul, versatur; prodigiosa contra, in plenilunio, eo vel maxime, si totalis et ad tres horas producta, uti in Christi obitu evenisse constat. Facta insuper vel *coaeva* sunt, vel *praeterita; privata*, vel *publica; magni momenti*, vel *parvifacienda*.

Sed praeter facta, considerandi sunt *testes*, qui ea narrant. Hi porro, *oculati* dicuntur, vel *auriti*: prout ipsi factum viderunt, seu generatim propriis sensibus immediate usurparunt; vel ab aliis acceperunt.

310. Hisce positis, quo aliorum testimonio plenam fidem adjungere possimus, duae omnino conditiones necessariae sunt: quarum altera ad facta quae narrantur, altera ad testes refertur.

Et primo, quod ad facta, *possibilia* haec esse oportet. Ubi igitur, quod veluti factum quis perhibet, intrinsece atque absolute impossibile, idest absurdum et plane repugnans esse constet, jam non ultra requiritur, sed, quicumque illius sit auctor, rejiciendum est prorsus.

Hac tamen in re caute admodum incedere opus est, ne inverisimile quodque prima fronte fidem excedit, tamquam absurdum habeamus (V. n. 241). Quin etiam, ubi factum aliquod probe confirmatum sit, - ut ut mirum fortasse nobisque incomprehensum -, id satis esse debet; neque amplius

contra ejus possibilitatem argumentari licet (1). Re enim vera, si *factum* est, jam hoc ipso est *possibile;* nam *ab esse ad posse*, uti ajunt scholae, *valet illatio* (2).

311. Altera, quae ad factis conciliandam fidem requiritur, conditio est, ut testes sint fide digni: in his videlicet insit *scientia*, - idest eorum quae narrant plena cognitio -, atque *veracitas;* ut nempe, - quum de testibus oculatis et immediatis agitur -, neque in facto observando decepti sint, neque nos, in facti ipsius narratione, decipiant.

Testem porro, in facti observatione deceptum non fuisse, constabit: Si ad id necessaria mentis intelligentia atque doctrina polleat; si factum attente consideraverit; si nullo partium studio abreptum se praebeat; si tranquillo sit animo, immoderatis affectibus ac praejudiciis vacuo.

Deceptorem autem non esse testem, clare patebit: Si rem serio et graviter affirmet, illius interea probati sint mores et spectata religio, neque in mendacio unquam captus fuerit; si in sui narratione sibi ubique cohaereat; si ejus naturae sit, ut neque imperio, neque timore cogi, neque obsequii gratia allici possit ad testimonium de re

(1) « Il ragionare contro al fatto, non è indizio di sana mente », inquit elegans nostrae aetatis scriptor, Brescianius (*Saggio* ecc.).

(2) Sic Pharisaei, uti S. Jo. in evangelio suo narrat, fieri non posse contendunt, ut Christus visum adolescenti dederit, qui a nativitate oculis erat captus; qua vero de causa? quia Christus, ut ipsi quidem affirmant, peccator est. *Vocaverunt ergo rursum hominem qui fuerat caecus et dixerunt ei: da gloriam Deo. Nos scimus quia hic homo peccator est.* Quid porro illis respondet adolescens? *Si peccator est, nescio; unum scio, quia caecus cum essem, modo video.* Apta sane, quaeque adversarium tergiversari non sinit, responsio: qui enimvero aliter illis respondere licet, qui per cavillationes et sophismata, certissimas veritates obscurare, vel facta ipsa in dubitationem adducere nituntur?

quapiam perhibendum; eo autem magis, si contra propriam utilitatem testetur (1).

312. Quum nihilominus raro, vel nunquam fere, quos memoravimus, characteres (scientia nimirum et veracitas) in singulis testibus nitide adpareant (quis enim, nisi Deus, hominum mentem et corda penitus introspicere potest?), hinc proprie fieri nequit, ut unius testis narratio plenam facti certitudinem gignat.

At ubi magna hominum vis et multitudo, - quorum diversa sint natio, institutio, aetas, propensiones, mores, religio -, factum aliquod publicum, naturâ suâ grave maximique momenti atque observatu facile, se propriis sensibus percepisse affirmant, - puta, incendium, exundationem, terraemotum, insignem victoriam et similia (2); tunc profecto nulla de facti illius veritate dubitatio suboriri potest. Siquidem naturali hominis constitutioni omnino repugnat, in rebus hujuscemodi tot homines, tamque inter se diversos, decipi, aut de aliis decipiendis simul omnes conjurare (3). Idem namque mendacium aeque omnibus prodesse nequit; quod uni placet, alteri displicet; juxta vulgatissimum illud Hegionis apud Terentium (in

(1) Hinc enimvero apologetici christianae Sapientiae scriptores validissimum argumentum ducunt ingenuitatis ac veracitatis Apostolorum; qui prodigiosa Christi facta coram synagoga et praesidibus, exquisita illis tormenta necemque minitantibus, aperte ac strenue prodiderunt.

(2) Hic monendum putamus, de facto in se simpliciter considerato, nequaquam vero de illius adjunctis et circumstantiis nos loqui; in quarum expositione error quidem aliquis posset subrepere (ad quem plerumque animus non advertitur) quin substantialis facti ipsius narratio detrimentum capiat.

(3) *Melius omnibus*, inquit Plinius, *quam singulis creditur. Singuli enim decipere et decipi possunt: nemo omnes, neminem omnes fefellerunt* (Panegyricus Trajano dictus).

Phormione): *Quot homines, tot sententiae; suus cuique mos.*

Concors igitur et unanimis, - in tanto morum, cupiditatum et opinionum conflictu, multorum hominum de eadem re, nemine reclamante, consensio -, firmissimum est veritatis argumentum, quodque *historicam* de realitate factorum certitudinem parit (V. n. 234).

313. Sed hic operae pretium est animadvertere, quod de hominum testimonio diximus, non ad naturalia tantum, verum ad prodigiosa et mira quoque facta referri: haec enim duo factorum genera, tametsi quod ad eorum causam maxime inter se differunt, aeque tamen ab homine percipi et observari possunt. Ubi igitur testes iis conditionibus, quas dudum memoravimus, omnino satisfaciant, eamdem profecto de supernaturalibus et prodigiosis, - Revelatione etiam seposita -, quam de naturalibus factis, certam notitiam nobis inducunt (1).

(1) Dixi: *Revelatione seposita*. Nam, ut Rosminii verbis utamur « nelle testimonianze divine la certezza è apodittica, perchè non deriva solo dalla natura della testimonianza in generale, ma da un principio necessario, che è il seguente: Iddio ha il mezzo di comunicare ciò che vuole agli uomini, per modo che n'abbiano una certezza assoluta e ci possano dare un assoluto assenso; e questo mezzo dee adoperarlo, perchè le verità che comunica sono di quelle in cui si dee quietare l'intelligenza umana, le quali hanno bisogno d'assoluta certezza. Al qual principio necessario, perchè derivato dai divini attributi, è consentaneo il sistema del Cristianesimo, il quale insegna che la divina rivelazione non solo è certa assolutamente rispetto a Dio rivelante, ma anche rispetto a quegli uomini che la ricevono..... (perocchè) la ricevono anch'essi per un mezzo che Iddio rende infallibile..... (cioè) un lume interiore ed evidente che viene da Dio, e quindi un'interna percezione, - e la percezione non ammette errore, che dà loro la facoltà di giudicare quelle cose assolutamente vere e di prestare ad esse una fede incondizionata ed assoluta. Tale è la teoria coerentissima della fede cristiana..... La verità di questa religione non si fonda soltanto sulla *dimostrazione*, ma di più sull'*evidenza* del lume interno, che Iddio per grazia comunica, dando a chi

314. Ad testes gradum nunc facimus *auritos* sive mediatos, unde ortum ducit traditio.

Quae, late sumpta, triplex distinguitur: oralis, monumentalis et historica. Proprie tamen nonnisi oralis, *traditionis* nomine donari solet; reliquae duae *monumenta* et *historia* dicuntur: quae tria sunt organa vel instrumenta, quibus rerum memoria conservatur atque ad posteros transfertur.

315. Traditio. *Traditio* igitur est « facti alicujus, ab homine ad hominem, sermonis ope, transmissio ». Haec autem fit per quamdam testium, quasi totidem anulorum, catenam: quorum primi, - qui nempe factum immediate perceperunt, idest oculati -, secundis tradunt; hi tertiis, et ita deinceps, sine intermissione, per plus minusve longum temporis spatium.

316. Jamvero, si traditio sit de facto publico et magni momenti, late diffusa, clara minimeque interrupta, certitudinem historicam gignit. Profecto, quum publica sit, lata et de re gravi, nequit tum error subrepere, cum adhuc vivunt testes qui facto adfuerunt: ille quippe obstat opinionum conflictus, de quo nuper dictum est (n. 311).

Sed ne in subsequentes quidem aetates sese mendacium insinuare potest. Nam hominum generationes, ex quibus aetates componuntur, non uno momento et quasi per saltum, sed sensim et per partes sibi succedunt; adeo ut, qui adolescentes vel

---

crede una percezione di sè ed un criterio immediato della verità. Il che è conforme a' divini attributi, anche per questo che dipendendo dalla fede la salute di tutti gli uomini, s'ella si fondasse solamente sopra una *dimostrazione razionale*, sarebbe per pochi, perchè per pochi è la verità dimostrativa, e Iddio non avrebbe ottenuto il suo fine » (*Logica*). Idem autem, in suo *Systemate theol.*, docet Leibnitius.

adulti ad unam pertinerent aetatem, adulti aut senes alteram attingant. Unde fit, ut siquis de publico et gravi facto mentiri ausus fuerit, ab multis statim reclamaretur, qui ab suis majoribus id nunquam audivissent (1).

317. Monumenta. *Monumenta* (a *monendo* dicta) generatim vocantur « signa omnia permanentia, quae peculiaribus quibusdam factis ad posteros transmittendis conferunt ». Hujusmodi sunt *templa*, *arcus triumphales*, *sepulcra*, *lapides*, *simulacra*, *diplomata*, *numismata*, *papyri*, etc.

Monumenta distingui solent in loquentia et muta. *Loquentia* dicuntur, si expressa et clara referant indícia, puta inscriptiones, quibus tempus, modus, aliaque eorum originis adjuncta internoscantur. *Muta*, si talibus indiciis careant: v. gr., ara vel columna, nullo charactere signata. Inter haec autem quaedam sunt, quae recte fortasse dixeris *semi-loquentia*, quod speciali quodam nomine, per traditionem servato, distinguantur (2).

318. Ad monumenta quod spectat, haec duo maxime requiruntur: 1° ut authentica sint, idest certae fidei; 2° ut, si plane et aperte non loquantur, recta eorum fiat interpretatio. Sed de his archaeologi.

---

(1) Quod multo facilius antiquis temporibus contigisse indubium est, in quibus tam longaevi essent homines; si praesertim eorum vivendi ratio consideretur. Sic Abraham, ex. gr., plus centum cum Sem vixit annos; quumque pater ejus Thare, cujus consuetudine semper usus est, e vita excessit, septuaginta saltem annos erat natus. Isaac similiter quintum annum agebat et septuagesimum, quum mortuus est Abraham, a quo illum nunquam recessisse pro certo habetur. Neque secus fere et de ceteris patriarchis dicendum est.

(2) Hujuscemodi est lapidum tumulus, - cujus nomen, uti legimus in Genesi, appellatum est Galaad, idest Tumulus testis -, quem Jacob in testimonium foederis ab se cum Labano initi, erexit. Huc pertinent etiam sepulcrum Rachelis; necnon varii, ab Isaac effossi, putei, de quibus in hujusce patriarchae historia fit mentio.

Id solum generatim nos animadvertimus, tum monumenta historicam certitudinem parere, quum multa sunt, authentica et publica; — sibi invicem, necnon traditioni atque historiae consentanea; — non obscure loquentia; — ad momentosa facta evulganda excitata.

319. Historia. *Historia* est « quoddam monumentorum genus, per quod, plus minusve longa et in ordinem digesta, eventuum seu factorum series refertur » ; atque in *universalem* et *particularem* distingui solet, ratione quantitatis et extensionis factorum quae complectitur. Pro diversa autem horum indole ac natura, historia dicitur *sacra*, *civilis*, *scientifica*, *literaria*, *artium*, etc. (1).

Sed quod ad historicos spectat, distinguendum est: Alii nempe factorum quae narrant, aequales, - vel, ut vulgo dicunt, coaevi -, sunt; alii eisdem posteriores. Quod si coaevi : Aut facta ipsi viderunt, aut ab aliis acceperunt, - sunt nimirum testes oculati, vel auriti.

320. Ex quo patet, in historico, ut fide sit dignus, *scientiam* ac *veracitatem*, non secus ac in testibus generatim, requiri.

1° Igitur investigandum est, quanto historicus mentis acumine, quantaque doctrina sit praeditus; utrum facta quae narrat probe scire potuerit, quibus autem viis atque rationibus.

2° Videndum, utrum veracitas in illo sit: hujus quippe defectu, jam vis omnis historiae suae deficit. Veracitatem autem deesse constabit : Vel si

(1) Harum exempla praebent *Historia rei christianae, Summorum Pontificum, Variationum* (a Bossueto conscripta), *haereseos*..... Item, *Historia philosophiae, eloquentiae, poësis, medicinae, chymicae, musices, picturae* etc.

nobis aliunde historici vita innotescat; - vel si in ejus scriptionibus mendacia, imposturae, pugnantia deprehendantur ; - vel si propriae utilitatis studio, amore partium, aut vividiore alio affectu se ille commotum ostendat (1). Suspecta etiam est in historico nimia stili elegantia, et affectata quaedam scribendi venustas atque festivitas. Qui enim, inanem rumorem aucupantes, stili potius exercitio quam veritatis amore scribunt, dum res verisimiles narrant, nil reliqui curam utplurimum gerunt.

321. Sed hic maxime refert animadvertere, vel unius historici testimonium, multorum testimonium quodammodo complecti. Scriptor enim non clam et transeuntibus signis, sed signis permanentibus, et coram aetate omni ejusque, pene dixerim, nomine loquitur. Jam porro moraliter fieri nequit, ut historiam, erroribus et mendaciis de rebus gravissimis scatentem, late diffundi (nostris praesertim temporibus, artis librariae gratia) ac legi homines patiantur, quin aliquis in publicum prodeat, qui vehementer reclamet, fraudisque impostorem arguat.

322. Ut tamen plena historiae fides tribui possit, - praeterquamquod scientia et veracitas in historico esse debet -, oportet: 1° *authenticam* illam esse: ab eo nempe confectam, qui illius perhibetur auctor, vel, - ubi anonyma sit -, eo tempore, quo scripta esse fertur; 2° *genuinam*: nil videlicet in illa deinceps labente tempore, hominum malitia vel ignorantia, graviter immutatum.

(1) Id enimvero probe sensit Sallustius, qui, ad captandam fidem et auctoritatem *Historiae romanae*, quam exarare constituerat: *eo magis*, inquit, *quod mihi a spe, metu, partibus Reipublicae animus liber erat* (Bell. Catil.).

323. Jamvero 1° tamquam *suppositus* habendus est liber, qui in veteribus codicibus vel ab antiquioribus scriptoribus alii adjudicatur auctori, ac illi cujus nomen refert. *Corruptus* autem, si, cum veteribus codicibus comparato, mutilationes, additamenta, mutationes in eo reperiantur. 2° Valde *suspectus* est liber, cujus nulla fiat mentio, neque ab auctore ipso in aliis operibus ab eo postmodum conscriptis, neque a scriptoribus coaetaneis, vel proxime sequentium saeculorum; si praesertim opportune fieri id poterat. 3° *Spurius* vel *interpolatus* liber ille dicendus est, in quo sententiae et dogmata leguntur iis contraria, quae, qui illius auctor praedicatur, constanter defendit; — vel si in eo personae, opiniones, inventa, nomina, facta memorentur recentiora aetate, qua liber ille scriptus dicitur; — vel stilus sit ab eo conspicue diversus, quo in aliis operibus scriptor cui liber tribuitur, usus est; aut aliam aetatem, qua ille vixit, redoleat; aut quaedam contineat, illo prorsus indigna.

324. At historia, et libri generatim, ut vere prosint nosque reapse edoctiores efficiant, ad genuinum et simplicem eorum sensum penetrare opus est; valde contra nocere illos posse, si perperam intelligantur, nemo profecto non videt.

Hisce porro, ubi res postulet, prospicit *Hermeneutica*, « ars scilicet, scriptoris verba sententiasque rite interpretandi ». Cujus hae praecipuae sunt regulae: 1° Auctoris verba juxta proprium et naturalem sensum suum accipienda sunt, ni ratio peculiaris aliter suadeat. 2° Ex eo quod scriptor rem aliquam vel factum silentio praeterierit, inferri nequit, illud admisisse; nisi constet mentem suam hac super re explicare ipsum debuisse, neque in ejus silen-

tio aliud perspici possit, nisi tacita quaedam facti adprobatio (1). Quo in casu, negativum quidem de rei veritate argumentum hoc esset; quod nihilominus positivum ferme adaequat, juxta illud juridiciale effatum: *Qui tacet cum loqui debet, consentire videtur* (2). 3° Ut vocabuli vel propositionis alicujus quae sententia sit, internoscatur, integrum sermonis textum perpendere, necnon loca, ut vocant, parallela simul conferre opus est (3). 4° Loci obscuri vel dubii, per clariores, cum ejusdem auctoris tum aliorum, explicentur (4). 5° Si locum aliquem dubium vel obscurum jam alii sunt interpretati, eorum, caeteris paribus, interpretatio praeferenda est, qui auctoris discipuli, aut amici, aut coaevi fuerunt; vel qui auctoris linguam et stilum probe callere demonstrant; vel qui demum in materia, de qua agitur, optime versati sint. 6° Inter auctoris ideas pugna et contradictio non est admittenda, si modo, per obviam aliquam interpretationem, amoveri possit. 7° Tandem, aequitas ac

---

(1) Huc spectat dictum Parmenonis apud Terentium: *Tacent; satis laudant.* Unde etiam vulgatum illud: « Chi tace consente ».

(2) Hinc enimvero fit, ut Josephi, clarissimi Hebraeae gentis historici, de factis evangelicis silentium, utpote validissimum eorumdem veritatis argumentum jure a criticis habeatur.

(3) « Convien cogliere, ait Rosminius, lo spirito dello scrittore....., considerare ciò che risulta da tutto il contesto de' vocaboli, delle sentenze e dei ragionamenti; ma sopratutto porre l'attenzione nella coerenza che aver devono le conseguenze dubbiose cói principii certi e colle intenzioni chiaramente manifestate dal pensatore » (*Introduzione* ecc.). Nam, « egli è facile, - uti noster de libello, cui titulus *Eusebio cristiano*, ad D. Bertolotium scribebat -, appigliandosi a qualche frase staccata, a qualche periodo mal inteso, farne uscire un senso a rovescio; come è facile comporre un centone di passi, che dicono tutti insieme precisamente l'opposto di ciò che volle dire l'autore ».

(4) « Si dee, inquit Giobertius, giudicar degli accessorii dal principale, delle parti oscure dalle chiare, dei cenni fuggitivi dalle cose che si dicono e si spiegano di proposito » (*Considerazioni sopra le dottrine religiose di V. Cousin*).

prudentia suadent, ut semper in mitiorem sensum auctoris verba interpretemur; neque unquam perversa illi sensa et consilia tribuamus, ni fortasse sic pateant, ut de iis dubitare nullo pacto liceat. Ex quo manifestum est, hanc, uti appellant, *aequitatis regulam*, non ita intelligendam esse, perinde ac ea dissimulare aut tegere oporteat, quae aperte falsa vel turpia sunt, proindeque noxia et infesta. Id quippe non jam boni animi, sed vilis potius assentationis aut pusillanimitatis, nulliusque in veritatem et commoda publica amoris esset argumentum.

PARS TERTIA

Dialectica.

325. Non sciendi solum ac veritatem inveniendi, sed cognitam insuper et inventam ceteris patefaciendi desiderio homo flagrat (1). Methodum igitur callere illum opus est, qua apte atque efficaciter veritatem aliis exponere et commonstrare possit. Hanc porro methodum ea Logicae pars tradit, quae *Dialectica* nominatur (a graeca voce διαλέγομαι, *dissero)*; quaeque generatim definiri potest « ars, vocabulorum aut aliorum signorum ope, ratiocinandi »; vel etiam cum Rosminio, « Logica ipsa, quatenus vocabulis exprimitur » (*la logica stessa in quant'è vestita di vocaboli*) (2).

(1) *Non facile est*, inquit Tullius, *invenire qui quod sciat ipse non tradat alteri: ita non solum ad discendum propensi sumus, sed etiam ad docendum* (Tusc. disp.).

(2) Latissimo hoc sensu vel a Cicerone ipso accipitur dialectica (idest *disserendi ratio et scientia*); *quae*, ait, *per omnes partes sapientiae manat et funditur, quae rem definit, genera dispartit, sequentia adjungit, perfecta concludit, vera et falsa dijudicat* (Tusc. disp.).

In binas itaque sectiones tertia haec Logicae pars dividitur. In quarum prima, de humano sermone, deque praecipuis, quas ipse induit, formis agemus; in altera vero, de methodo veritatem aliis exponendi.

SECTIO PRIMA

DE HUMANO SERMONE.

325 [bis]. *Sermo* generatim, vel lingua, vocatur « ordo seu systema signorum ». *Signum* autem dicitur quidquid in alterius notitiam nos ducit; vel clarius, - quod ad praesens argumentum attinet -, « illud omne, quo ad aliis cogitationes suas explicandas homo utitur » (1).

Hinc, pro diversa signorum, quae adhibentur, qualitate, diverse quoque distinguitur sermo.

326. Et 1° sermo, naturalis est vel artificialis. *Naturalis*, quum signa ex quibus componitur a natura ipsa quodammodo expressa sunt, atque necessariam cum re quam significant connexionem habent: ut puta interjectiones, gemitus, etc. *Artificialis*, qui constat signis, ex conventu et arte adhibitis.

2° Sermo dicitur *mimicus*, si signa sint gestus: peculiares nimirum corporis: capitis, ex. gr., oculorum et manuum praesertim motus (quo sermone illi maxime utuntur, qui auditu, proindeque loquela, a nativitate sunt capti, seu, ut vulgo di-

(1) « Linguaggio, inquit Rosminius, non è un accozzamento casuale di suoni, ma un ordine di suoni che significano delle idee » (*N. Saggio* ecc.). Quapropter male et improprie psittaci, picae..... loqui dicuntur.

cuntur, surdo-muti) (1). *Articulatus*, si voces articulatae, idest verba, vocabula. Hic autem vere ac proprie sermo dicendus est.

3° Tandem sermo est *transiens*, vel *permanens:* prout signa sunt transeuntia, - nullum nempe sui vestigium sensibile relinquunt -, quemadmodum sunt gestus et voces; vel permanentia: cujusmodi est scriptura, typographia, lithographia, sculptura (2).

327. At sermonis (praesertim articulati) officium et finis duplex est: non solum enim ad aliis cogitationes suas patefaciendas, sed ad cogitandum etiam homini confert, ejusque intelligentiam quam maxime juvat et explicat. In cujus argumentum duci possunt ideae abstractae; ad quas, uti suo loco diximus (n. 160), nonnisi ope signorum, pervenire licet. Sed hic sermonem sub priore tantum respectu, idest veluti instrumentum ad interna sensa aliis manifestanda, consideramus.

Jamvero, quot sunt in homine cogitationis formae, tot distinguuntur modi illas, orationis ope, exprimendi. Atqui humana cogitatio, quod ad logicam spectat, sub hac triplici originaria forma se prodit: simplicis nimirum *ideae*, *judicii* et *ratiocinii;* tribus igitur, iisque inter se distinctis modis, - idest *terminis*, *propositionibus* et *argumentationibus* -, respective enuntiantur (3). Quae sunt

(1) Hinc *pantomimi* ortum habuerunt, genus videlicet histrionum, qui fabulas in scena, non voce et cantu, sed solo gestu et saltando (uti apud nos etiam solet) repraesentabant. Hi primum Romam inducti sunt sub Augusto; atque, in eorum numero, celebres fuerunt Pylades, Hylas et Bathillus.

(2) Inter signa permanentia recenseri etiam debet pictura. Haec autem designare potest objecta vel *immediate;* vel *mediate*, idest allegorice seu symbolice; vel demum per *hyeroglyphicos*, ut olim penes Aegyptios mos erat.

(3) *Operatio autem virtutis intellectivae*, ait S. Bonaventura, *est in perceptione intellectus terminorum, propositionum et illationum* (Itinerarium etc.).

humani sermonis *elementa:* elementa nimirum *proxima*, propositiones et argumentationes; termini autem, *remota.*

CAPUT I.

De terminis.

328. Verba seu vocabula, quibus homo ad res vel ideas suas significandas utitur, vulgo etiam *termini* a logicis appellantur: ita fortasse dici, quod per ipsos cogitatio quaelibet determinatur quodammodo, et ab caeteris omnino distinguitur. Hinc totidem termini sunt hae voces: *Alexander, homo, sol, urbs, virtus, clarus, spero, prudenter,* etc. (1).

329. Quum termini sint idearum nostrarum signa, eadem illorum, atque idearum, esse debet divisio.

Hae porro, etsi multiplicis generis (uti in Ideologia dictum est), ad tres tamen classes reduci omnes possunt: vel enim *substantiam*, vel ejus *modum* sive qualitatem, vel *relationem* aliquam repraesentant. Tria igitur terminorum seu vocabulorum genera proprie distinguenda sunt: *substantiva, adjectiva* (quae a grammaticis *nomina* dici

(1) Hujusmodi porro idearum nostrarum signa prorsus arbitraria sunt (*arbitraria*, inquam, seu conventionalia, non vero inconsulto et ad libidinem ficta: de quo videsis Platonem in dialogo, qui *Cratilus* inscribitur); ubi vocabula fortasse excipias, *onomatopaeica* dicta, quae nempe ab imitationis instinctu oriuntur (uti quum dicimus *hinnire* equos, *belare* oves, *stridere* valvas etc.). Si namque naturalis esset inter vocabula et res ab his significatas connexio, unus foret penes homines omnes sermo: *universalis* scilicet *lingua* haberetur, de qua tantopere, et ab Leibnitio praesertim, doctissime disputatum est.

solent) et *verba ;* ad quae ceterae orationis, uti vocant, partes commode revocantur (1). Sed de singulis orationis partibus, deque earum structura, syntaxi, proprietate et similibus agere, grammaticorum et philologorum est; quorum ne provinciam ingrediamur, aliqua tantum, ad quasdam terminorum classes quod spectat, animadvertimus, quae magis ad rem nostram facere videntur.

330. 1º Itaque termini sunt concreti, vel abstracti.

Concreti (perinde quasi diceres *creti cum re*, « cresciuti insiem colla cosa ») seu *qualificativi*, termini illi dicuntur, qui modos exprimunt ab ipsa, ad quam pertinent, substantia minime divisos; uti: *prudens*, *ferox*, *sublimis*. Qui vero modos designant, ab substantia cui inhaerent, per abstractionem sejunctos, appellantur *abstracti* vel *adjectivi substantivati;* ex. gr.: *prudentia*, *ferocia*, *sublimitas*.

331. 2º Proprii, vel communes.

Terminus, seu nomen *proprium* illud est, quod unicum et determinatum individuum exprimit: objectum nempe in se ipso, et paene dixerim ejus *individualitatem* seu individualem substantiam denotat; ex. gr. *Plato*, *Athenae*, *Pindus*. Nomina *communia* vel *appellativa* dicuntur, quae objectum seu individuum designant ope qualitatis, quam

(1) Reenimvera *praepositio* et *conjunctio* inter verba enumerandae sunt: non secus enim ac verba, ideas relationum exprimunt. *Pronomen* vice substantivi fungitur. *Participium*, - ita nominatum, quod nominis et verbi vim participat -, nil aliud est quam adjectivum. *Adverbium* ex substantivo et praepositione constat. *Interjectio* demum, non tamquam ideae alicujus repraesentatio, sed utpote dictio quaedam elliptica, vel instinctiva interni sensus expressio consideranda est.

cum aliis communem habet (1); vel brevius, quae aliquam rerum classem (speciem vel genus), sive ideam generalem significant. Haec autem nomina, vel sunt *substantiva*, uti: *homo*, *animal*, *arbor;* vel *adjectiva*, quemadmodum nuper allata, - *prudens*, *ferox*, *sublimis*. Quae tamen postrema, vel uti mere adjectiva, vel, - per quamdam ellipsim, qua substantivum subauditur -, pro substantivis adhibentur.

Paucis igitur: nomina *propria* exprimunt individua, uti revera in se sunt; *abstracta*, communes seu similes individuorum qualitates; *communia* demum vel *generalia*, individua significant, quatenus qualitatibus, - aliis individuis, ejusdem generis vel speciei, communibus -, gaudent (2).

332. 3º Positivi, vel negativi.

Quamvis termini omnes, ubi in se simpliciter considerentur, positivi profecto sint, aliter tamen dicendum est, si rem, quae ab his significatur, animadvertimus. *Positivi* enim sunt termini, qui rem aliquam vel ejus modum utpote existentem exprimunt; uti: *Deus*, *lux*, *justus*. Dicuntur

(1) Sed animadvertendum est, de objecto hic nos loqui, prout a nobis concipitur; quandoquidem in se ipso, uti suo loco jam diximus (n. 159), nil, quod commune sit, habet: quod enim in mente nostra est commune, in objecto ipso proprium et individuum est.

(2) Errant itaque Smithus et Stewartius docentes, nomina communia nonnisi propria primitus fuisse; quae communia exinde facta sunt, quum ad plura objecta significanda fuerunt adhibita. Etenim nomen proprium a communi haud profecto distinguitur ob majora vel minora numero objecta, quae ab his significentur, sed ratione modi, quo haec significari solent. Quapropter si ponas, unum tantum humanum individuum caeterorum excidio superesse, aeque ac nunc, commune foret vocabulum *homo*, quo individuum illud, *humanitatis* ope, designaretur, quam cum omnibus, iisque innumeris, possibilibus humanis individuis communem haberet. Quod si, e contrario, omnes omnino homines nomine *Pauli*, v. gr., appellarentur, proprium semper hoc erit nomen, si modo ad individualem cujuslibet substantiam significandam usurpetur.

autem *negativi*, qui rei defectum vel privationem significant; ex. gr.: *nihil*, *tenebrae*, *injustus* (1).

333. 4° Univoci, vel aequivoci, vel synonimi.

Univocus est terminus, qui pluribus rebus sub eadem significatione tribuitur; uti *homo* (qui dicitur de Alexandro, Caesare etc.), *animal* (quod aeque de homine, ac de bove, equo et similibus praedicatur).

Aequivocus vel *ambiguus* vocatur terminus, qui ad res diversas et diverso modo significandas adhibetur. Ambiguus porro esse potest vel casu, vel consilio. *Casu* quidem, cum res quibus applicatur, nulla inter se naturali relatione tenentur (quamvis profecto ratio non desit, cur eadem voce nominari consueverint). Exemplo sit nomen *gallus*, quod hominem trans alpes manentem, et quoddam volucrum genus significat. *Consilio* autem ambiguus est (quo in casu *analogus*, vel *translatus* seu *metaphoricus* appellari etiam solet) cum terminus, etsi rebus diversis secundum diversam significationem tribuitur, hae tamen aliquam inter se similitudinem et analogiam habent. Sic *leonis* nomine vocatur animal quoddam (sensu proprio) et homo strenuus ac fortis (sensu translato sive metaphorico). Item *ridens* non modo de homine, sed de virenti etiam prato dicitur; *sanitas* praedicatur de animanti, de cibo, de medicina, colore, aëris temperie, loci positione, etc.

Synonimi tandem nuncupantur termini diversi,

(1) Inter terminos negativos, licet positivam formam exhibens, enumerari etiam debet vox *possibilitas;* quae proprie significat, nullam in rei alicujus conceptu repugnantiam vel contradictionem inesse. Item *paupertas;* quae, uti scribit Seneca, *non per positionem*, *sed per detractionem dicitur, vel, ut antiqui dixerunt, per orbationem* (Ep. LXXXVII).

quibus eadem est significatio; ex. gr.: *Deus* et *Numen supremum; amo* et *diligo; lapis* et *saxum; solers* et *sedulus* (1).

334. Alias terminorum divisiones, utpote quae minus intersunt vel nullo negotio intelliguntur, omittimus. Id nihilominus silentio praeterire non licet, - pro hominum, locorum, temporum aliorumque adjunctorum varietate -, quam maxime terminorum significationem immutari. Hinc enimvero tanta saepenumero sermonis ambiguitas, qua alter nullus fortasse existit errorum et sophismatum fons uberior.

Sic vocabula *philosophia*, *sensus*, *idea*, *ratio*, *libertas*, *honor*,..... non semper et ubique, nec penes omnes, eadem significatione gaudent. Item vox *virtus* non idem profecto in ore ethnici ac christiani sonat. Quid quod jam paene apud nos consuetudo invaluit, ut *virtuosi* dicantur, qui, - potiusquam praeclaris operibus et pulcherrimis factis inclarescant -, in mollibus ducendis choreis, vel voce aut fidibus canendo excellunt? ut omnis jam jam in gutture vel tibiis, magno sane Italorum dedecore, virtus posita videatur (2). Heu nimium saepe commiseranda vocabulorum sors! De qua egregie Mannus noster in opere, cui titulus: « Della fortuna delle parole ».

(1) Hic tamen monendum censemus, nullos fortasse vere synonimos terminos esse. Nam, uti recte animadvertit Tommaseus, « se fossero sinonimi veri, in una lingua sarebbero due lingue; perchè trovato il segno denotante una idea, non se ne cerca altro più » (*Nuovo dizionario dei sinonimi* ecc.). Qui autem veluti synonimi habentur, eamdem quidem rem, sed sub diversis respectibus aliisve sub relationibus exprimunt. Qua de re philologi consulendi sunt; inter italos Grassius noster, et Tommaseus praesertim, quem modo memoravi.

(2) « Virtuose, uti verissime scribit Caesar Balbus, chiamiamo anche oggi, non più le madri di famiglia o le vergini italiane, ma quelle che servono nelle scene a' diletti nostri e d'Europa » (*Storia d'Italia*).

CAPUT II.

De propositionibus.

335. Tametsi ideas omnes (acquisitas) ope judicii nos obtinemus: *primas* videlicet per judicia primitiva seu immediata, *subsequentes* vero per comparativa, nihilo tamen secius ideam quamlibet vix mente conceptam, vel plurium etiam idearum complexum unico termino seu vocabulo exprimere solemus; cujusmodi sunt vocabula *sol*, *arbor*, *corpus*, *anima*, etc. Judicium autem per *propositionem* enunciatur. Quae idcirco nil aliud est, quam « judicium verbis expressum »; quemadmodum *judicium* appellari etiam potest « propositio mentalis » (1).

Quum porro in simplici judicio bina sint elementa (subjectum, et praedicatum seu attributum) necnon actus mentis relationem inter utrumque affirmantis; ita in propositione duo sunt termini (quibus subjectum et praedicatum est quoque nomen) et verbum substantivum *est*, seu copula, eorum relationem exprimens. Subjectum et praedi-

(1) Condillacus docet, linguas esse methodos analyticas. Haud inficiamur; sed quum analysim quamlibet synthesis semper praecedat, sequitur, linguas methodos prius *syntheticas*, postmodum vero *analyticas* esse. Sic vocabulum *corpus* plures ideas simul connexas exprimit. Quod si dico, *corpus existit*, ideam corporis in sua elementa resolvo: in vocabulo enim *corpus* jam *existentia* continetur; quam a corpore separo, quum illud existere affirmo. Generatim itaque vocabula omnia substantiva sunt *synthesis*; propositiones vero, idearum *analysis*. Quum autem simplicia vocabula propositiones praecedant, quae ex singulis ipsis constant, hinc enimvero synthesis praecedit analysim. Id autem in sermone tum mere intellectuali, tum vocali verissimum est. Quapropter linguae *methodi synthetico-analyticae* rectius dicuntur.

catum dicuntur etiam duo *extrema* propositionis: subjectum scilicet *minus* extremum; praedicatum vero, *majus*. Sic autem nuncupantur, quod subjectum minore, generatim loquendo, quam praedicatum, extensione gaudet: hoc enim in judicio quolibet, notio plus minusve generalis semper est (1).

336. Quaevis igitur propositio tria haec, - *subjectum, praedicatum* et *copulam* -, omnino continere debet (quocumque tamen modo disposita sint, non enim semper ordinem analyticum servant); licet interdum ex his aliquod subaudiri, vel in alio quodammodo latere possit. Exemplum habes in hisce propositionibus: *facilis descensus averni; homo sum; veni, vidi, vici;* et in omnibus generatim verbis *adjectivis* seu *attributivis*, necnon in dictionibus ellipticis. Propositiones hujuscemodi *cripticae* vocantur.

Quapropter in propositione, sicuti in judicio (V. n. 89), distinguenda est forma et materia. *Materia* propositionis sunt duo termini, subjectum et praedicatum; *forma* vero est verbum, expressum vel subauditum, quod praedicatum cum subjecto conjungit (2).

(1) Excipienda tamen sunt judicia, quae per synthesim primitivam fiunt; in quibus subjectum et praedicatum converti possunt. Cujus convertibilitatis ratio in hoc est, quod synthesis primitiva est *judicium*, ut vocant, *identitatis*: in quo nimirum aequatio fit inter sensum et essentiam entis. Nam entis realis existentiam cognoscere, idem est ac quamdam *identitatem* affirmare inter entis essentiam, et activitatem quae in sensu manifestatur (V. n. 174). In his igitur judiciis sensus uti subjectum, existentia vero tamquam praedicatum considerari potest; vel, e contrario, essentia entis veluti subjectum, ejus autem realizzatio sicuti praedicatum.

(2) Sed animadvertere opus est, simplicem et essentialem propositionis formam nonnisi in verbo *esse* inveniri (quod verbum substantivum vel abstractum appellant); et quidem in tertia tantum persona modi indicativi, temporis praesentis, *est*. Caetera enim hujusce verbi

337. Hactenus de natura seu essentia propositionis. De variis propositionum speciebus dicendum modo est.

Jam vero propositiones considerari possunt ratione : 1° earum *quantitatis* seu extensionis; 2° *qualitatis;* 3° *materiei;* 4° *oppositionis*. Unde totidem propositionum species.

338. Quantitas. Ratione *quantitatis*, propositiones dividuntur in universales, particulares, singulares et indefinitas.

Universalis dicitur propositio, cujus subjectum est completa rerum collectio, quibus omnibus praedicatum tribuitur. Ex. gr.: « Ideae *omnes* sunt objectivae ». — Duplex tamen distinguenda est propositionis universalitas: metaphysica et moralis. Si subjectum est plena, et absque ulla omnino exceptione, collectio, - uti videre est in allato exemplo -, propositio dicitur *metaphysice* seu absolute universalis. Quod si aliqua admittenda sit exceptio, proindeque praedicatum, utplurimum quidem, sed non omnimodo aut semper de subjecto affirmari aut negari possit, propositio moraliter tantum universalis est. Ex: « Ubi internis motibus publica res agitatur, *nullos* ibi amplius philosophiae cultores invenies ».

339. Propositio *particularis* illa nominatur, cujus subjectum imperfectam exhibet rerum collectionem; iis autem omnibus praedicatum convenit.

---

tempora, quemadmodum et ipsae prima et secunda persona praesentis indicativi, praeter essentialem formam propositionis, aliquid aliud exprimunt; non secus ac verba *attributiva*, ita dicta, quod attributum aliquod continent, ideae existentiae adnexum. Hoc autem attributum *actionem* (sive factam, sive receptam), vel *qualitatem* aliquam exprimit: hinc verborum distinctio in *activa*, *passiva* et *neutra*.

Uti: « *Quidam* philosophi, idearum generalium existentiam negarunt ».

340. *Singularis* est propositio, cujus subjectum unum tantum individuum exprimit. V. gr.: « *Wilhelmus Occam*, anglus, nominalium sectam, jamdiu in tenebris jacentem, saeculo XIV resuscitavit ». — « *Quemcumque osculatus fuero*, ipse *est* ».

341. Propositio denique cujus subjectum nulla, neque universalitatis neque particularitatis neque singularitatis, nota distinguitur, vocatur *indefinita*. Reapse tamen propositioni aequivalet universali: interdum nempe universali absolute, cujusmodi haec est : « Nominalistae, aeque ac Realistae, a veritate aberrant »; interdum vero, moraliter universali. Hujus exemplum habemus in hac Ciceronis sententia: *Sunt morosi, et anxii, et iracundi, et difficiles senes* (De senect.).

342. Qualitas. Ratione *qualitatis*, propositio est affirmans, vel negans; utraque autem, categorica, vel conditionalis.

Affirmans, aut *negans* dicitur propositio, prout praedicatum de subjecto affirmatur, aut negatur. En exempla: « Spiritus humanus est finitus ». — « Idea non est humani spiritus modificatio ».

Abs re non erit hic animadvertere, praedicatum, in propositione negante, terminum universalem esse, idest omnino et ex toto de subjecto negari; in propositione vero affirmante, ejus extensionem ab extensione subjecti circumscribi.

343. *Categorica* sive absoluta est propositio, in qua praedicatum plane ac positive de subjecto affirmatur aut negatur. Ex: « Homo est ens rationale ». — « Bestiae ratione praeditae non sunt ».

Propositio *conditionalis* seu hypothetica est illa,

quae aliquid, sub data conditione, affirmat vel negat. Ex: « *Si* Deus est justus, virtutem praemio afficiet ». — Si *impius egerit poenitentiam ab omnibus peccatis suis,... omnium iniquitatum ejus, quas operatus est, non recordabor*: ait Dominus, per os Ezechielis prophetae. — Pars illa propositionis, quae conditionem continet, dicitur *antecedens;* altera vero, quae a conditione ipsa pendet, *consequens*.

344. MATERIA. Ratione *materiei*, sive terminorum, propositiones dividuntur in simplices, complexas et compositas.

Simplex est propositio, cujus subjectum et praedicatum est simplex. Simplex dicitur subjectum, quod rem unicam significat, cujus natura ab unica idea determinatur. Praedicatum autem simplex est illud, quod unicam subjecti qualitatem exprimit quae ab unica determinatur idea. Ex. gr. « Deus est aeternus ».

345. *Complexa* vocatur propositio, cujus subjectum, vel praedicatum, vel utrumque est terminus complexus. Complexum est subjectum, quod rem quidem unicam denotat, cujus tamen natura determinatur ab pluribus ideis. Praedicatum vero complexum dicitur illud, quod nonnisi unicam subjecti qualitatem exprimit, sed quae ab pluribus ideis definitur. Illud, quod subjecto vel praedicato additur ad illius naturam determinandam, ejusdem *complementum* nominatur; hoc autem sub forma propositionis enunciare semper licet. Quare in propositione complexa duo propositionum genera distinguenda sunt: propositio nempe principalis seu directa; et incidens, quae accessoria quoque vel indirecta nuncupari consuevit.

Principalis appellatur illa, quae in nostrae cogitationis enunciatione praecipuum locum tenet. *Incidens* vero, quae, alterutri vel utrique principalis propositionis termino addita, ejusdem significationem perficit. En exemplum: « Doctrina, quae sensationem ponit tamquam humanae cognitionis principium, ad scepticismum ducit, omnium philosophicorum systematum plane deterrimum ».

346. Duplex est propositionum incidentium officium: interdum namque ad propositionem principalem magis explicandam vel exornandam solum conferunt, - quae proinde, his etiam ablatis, nullum detrimentum patitur; aliquando vero significationem principalis adeo determinant, ut haec absque illis, vera amplius non sit. Incidentes prioris generis, *explicativae* seu exornativae dicuntur; posterioris vero, *determinantes* vel restrictivae. Sic, in allato exemplo, propositio principalis est: « Doctrina ducit ad scepticismum ». Quod subjecto adjicitur, est incidens determinans; quod autem praedicato, explicativa (1).

347. Sed complexio, praeterquamquod in subjecto et praedicato, in verbo quoque vel copula inesse potest. Sic, ratione verbi, complexa est sequens propositio: « Pro certo habeo, ideas a sensibus oriri non posse ».

Inter has autem propositiones complexas, eas praesertim distinguunt scholastici, quas *modales* appellant: quod nimirum in illis affirmatio vel negatio aliquo ex hisce quatuor modis afficitur,

(1) Quandoque fit, ut propositio ipsa incidens alterius incidentis occasionem praebeat; uti videre est in exemplo sequenti: « Leibnitius, Lipsiae natus in Germania, quae natio subtilioribus et acrioribus ingeniis praesertim inclaret, omnium primus in lockianam philosophiam fortiter invectus est ».

idest: *possibile, impossibile, necessarium, contingens;* uti, quum dico: « Necesse est, Deum existere »; — « Fieri nequit, ut Deus non sit », et similia.

348. Propositio, quae plura subjecta, vel praedicata, vel plura simul subjecta et praedicata continet, *composita* nominatur: ex pluribus nempe propositionibus directis composita, in quas resolvi potest. Ex. gr.: « Lockius et Condillacus sensismum professi sunt »; quae in has binas resolvitur: « Lockius professus est sensismum »; — « Condillacus sensismum professus est ».

349. Multiplex distinguitur propositionum compositarum species; quarum praecipuae sunt: copulativae, causales, disjunctivae, conditionales.

Propositio *copulativa* ea est, quae ex pluribus componitur propositionibus directis, simul junctis per particulas copulativas *et*, *neque* etc., expressas vel subauditas. Sic copulativa est propositio, modo allata: « Lockius *et* Condillacus etc.; » quemadmodum et haec alia: « Idea entis, *neque* a sensationibus corporeis, *neque* a sensu propriae existentiae oritur, *neque* repente spiritui nostro, in ipso perceptionis actu, se sistit, *neque* a nobis ipsis dimanat ».

Causalis dicitur propositio, cujus membra, per particulas causales *quia, nam* etc., simul juncta sunt: in qua nimirum rei alicujus causa vel ratio affertur (V. n. 61). Ut: « Existit mundus, *quia* Deus e nihilo illum eduxit ». — Veritatis existentia negari nequit, cogitare *namque* est veritatem tacite admittere ».

Disjunctiva vocatur propositio, in qua propositiones directae, aliae ab aliis sejunguntur per particulas disjunctivas, *vel*, *aut* etc. Ex.: « *Vel* homo ratiocinandi facultate caret, *vel* aliqua illi affulget veritas prima et indemonstrabilis ».

De propositione *conditionali*, jam supra dictum est (n. 343).

350. Quod in propositione qualibet in primis et maxime considerare decet, illius profecto est veritas, vel falsitas: eo siquidem tota, innuente Bossueto, Logica tendit, ut veras amplectamur propositiones, falsas rejiciamus.

Vera porro generatim est propositio, quae rei ipsi consentanea est: quae nempe affirmat vel negat, quod affirmari vel negari debet. At si, contra, affirmet vel neget, quod negandum est vel affirmandum, dicitur *falsa*. Id per se luculentissime patet. Quod tamen ad propositiones compositas spectat, haec speciatim, ad earum veritatem vel falsitatem dignoscendam, animadvertenda sunt:

Vera est propositio *copulativa*, si omnes et singulae ejus partes, - idest propositiones simplices quae in ea continentur -, sunt verae.

Propositio *causalis* est vera, quum in altera illius parte, vera inest causa vel ratio alterius.

Ad veritatem propositionis *disjunctivae* requiritur, ut perfecta fiat partium enumeratio; quae sese mutuo excludant, nec medii aliquid admittant.

Ut vera sit *conditionalis*, inter consequens et antecedens necessaria debet esse connexio.

351. Oppositio. Hucusque propositiones singillatim et earum quamlibet seorsum consideravimus. At si alteram cum altera propositionem comparamus, speciales, inter ipsas, relationes detegimus; inter quas potissimum *oppositio* notanda est.

Oppositae dicuntur duae propositiones, quarum

una de eodem subjecto, et eodem omnino sensu, affirmat quod ab altera negatur. Harum autem tres enumerantur species: contradictoriae, contrariae et subcontrariae. Sunt qui addunt *subalternas;* in his tamen nulla, proprie loquendo, inest oppositio.

352. Vocantur *contradictoriae* duae propositiones oppositae, quarum altera universalis sit, altera particularis; vel utraque singularis (1). Ut: « Omnes animae humanae facultates ad physicam sensibilitatem reducuntur; Quaedam animae humanae facultates ad sensibilitatem physicam reduci nequeunt ». « Cartesius professus est doctrinam idearum innatarum; Cartesius idearum innatarum doctrinam professus non est ».

Contrariae, quum ambae propositiones oppositae sunt universales. Ex. gr.: « Omnes humanae cognitiones sunt acquisitae; Nullae humanae cognitiones sunt acquisitae ».

Subcontrariae, si utraque opposita sit particularis. Hujusmodi hae sunt: « Sensationes aliquae in ideas transformantur; Quaedam sensationes in ideas transformari non possunt ».

353. Jam porro, si propositiones hujusmodi, quod ad essentialem earum proprietatem spectat, - veritatem nempe vel falsitatem -, consideremus, haec notatu dignissima eruuntur:

1° Ex propositionibus contradictoriis, altera necessario est vera, altera falsa: nequit enim idem simul esse et non esse. Quapropter, ubi una il-

(1) Propositio singularis, dialectice loquendo, universali aequivalet: subjectum enim individuale, non secus ac universale, secundum totam suam extensionem accipitur; ideoque totalitatem quamdam exprimit.

larum falsa demonstretur, alteram veram esse necesse est; et vicissim.

2° Propositiones contrariae, quanquam utraque nequit vera esse (in quo cum contradictoriis conveniunt) possunt tamen ambae esse falsae. Quod contingit, quum in una nimis affirmatur, nimis autem negatur in altera: quum nimirum utraque excessu peccat; quemadmodum in his propositionibus videre est: « Omnes ideae sunt abstractae »; — « Nullae sunt ideae abstractae ».

Subcontrariae denique id cum contradictoriis commune habent, quod utraque falsa esse nequit; sed possunt ambae esse verae. Nam fieri potest, ut praedicatum alicui tantum subjecti parti conveniat, non vero alteri. Sic, v. gr., si dicas: « Sunt quaedam cognitiones purae »; — « Cognitiones quaedam non sunt purae »; utrumque verissimum esse facile constat (1).

CAPUT III.

De argumentatione.

354. *Argumentatio* est « ratiocinium verbis significatum ». Variae autem argumentationis species seu formae distinguuntur; quarum omnium

(1) Hic tamen juvat animadvertere, *contrarium* et rebus et propositionibus convenire posse; *contradictorium* vero ad propositiones tantum referri: quae ita sane vocantur, quasi *contra dicant.* Sic *idea* et *sensatio* sunt contraria; at hae binae propositiones: « Idea est sensatio »; — « Idea non est sensatio », contradictoriae sunt. — Cavendum etiam est, ne *oppositum* pro *contrario* omnino accipiatur: *opposita* enim, quasi *contra posita* nonnunquam dicuntur, quae sibi invicem sunt objecta; *contraria* vero, quae pugnant inter se. Hinc quaedam sunt opposita, quae contraria dici nequeunt; ex. gr., *causa* et *effectus; sentiens* et *quod sentitur.*

simplicissima, et ad quam omnes tandem reduci possunt, est syllogismus (V. n. 95).

In hoc igitur capite, de syllogismo primum dicemus; 2° de ceteris argumentationis speciebus; 3° de argumentationibus falsis, seu sophismatibus, - quo ab his nos cavere facilius possimus.

ART. 1. — *De syllogismo.*

355. Quum syllogismus, ut diximus, sit omnium simplicissima (explicita) forma ratiocinii, definiri potest « argumentatio tribus constans propositionibus ita inter se connexis, ut ex duabus prioribus tertia necessario consequatur » (V. n. 96). Pro diversitate autem propositionum, in simplicem, complexum et compositum dividi solet.

De syllogismo simplici nos praesertim hic agimus; ad quem pauca postmodum addimus de composito. Quod autem ad complexum spectat, quum in simplicem converti facile hic possit, de illo speciatim dicere omittimus.

§ 1. — *De syllogismo simplici.*

356. Syllogismus *simplex* nuncupatur ille, cujus omnes propositiones sunt simplices; ex. gr.: « Virtus est laudabilis; sed temperantia est virtus; ergo temperantia est laudabilis ».

Quum porro totum simplicis ratiocinii artificium in eo sit, ut duarum idearum convenientiam vel discrepantiam, ex earum relatione cum tertia deducat, fit, ut tres tantum in simplici syllogismo termini inesse debeant: bini scilicet termini quaestionis, qui *major* et *minor* vocantur, et *medius*, qui *argumentum* etiam dicitur (« prova ») : ex quo argumentatio nomen duxit. Horum autem terminorum singuli bis in syllogismo positi, tres ejus propositiones efficiunt; quarum altera *major*, altera *minor*, tertia *consequens* vel *conclusio* nominatur. Quae omnia nullo negotio videre est in allato exemplo: « Virtus est laudabilis » etc.

357. Quod si generatim inquirimus, quomodo singulos ex syllogismi terminis, et singulas ejus propositiones dispicere liceat (quod est syllogismi analysim instituere), simplicissimam hanc regulam tradunt dialectici: Ultima propositio consideretur: hujus subjectum est terminus *minor;* ejusdem praedicatum, *major;* terminus vero, qui in duabus prioribus invenitur, ast ultimam non ingreditur, *medius*.

Quod autem ad propositiones attinet: Propositio *major* est illa, in qua major terminus cum medio comparatur; *minor*, in qua fit comparatio minoris termini cum eodem medio (quanquam generatim prima propositio dicitur *major ;* altera, *minor*); binae autem simul sumptae, *praemissae* vel *antecedens* nuncupantur. Tertia demum, - quae ante institutum ratiocinium, thesis appellabatur seu *quaestio* -, vocatur conclusio vel *consequens*. Quod vide, ne cum *consequentia* confundas; haec enim non est propositio, sed consequentis cum antecedente nexus, sive ab eodem illatio (1).

358. Quare in syllogismo materiam quoque et formam distinguere opus est (V. n. 336). *Materia* sunt ipsae propositiones singillatim consideratae;

---

(1) In scholis, primum syllogismi enuntiatum vocari etiam solet *propositio;* alterum *assumptio;* tertium, *complexio* vel *conclusio*.

forma est connexio inter consequens et antecedens, idest consequentia. Hinc intelligitur, quid sibi velint dialectici, quum syllogismum *materialiter* aut *formaliter* verum, vel falsum dicunt (1).

359. Ut syllogismus legitimus sit ac recte concludat, ad binas hasce regulas exigendus est: 1ª « Terminus medius eamdem omnino in utraque praemissa significationem servet » (V. n. 96). 2ª « Conclusio praemissis latior non sit ». Quae strictius ad hanc unam reduci etiam possunt: « Altera praemissarum conclusionem contineat; altera vero, hanc in illa reapse contineri declaret ».

Haud tamen supervacaneum arbitramur, simplicis syllogismi *leges*, uti appellant, singillatim percurrere; de quibus, si usus veniat, dialectici consuli possunt, qui haec fuse pertractant.

360. Hujuscemodi porro leges, octo a dialecticis enumerantur: quarum priores quatuor, terminos; reliquae, propositiones respiciunt. Quo autem facilius tironum mentibus inhaereant, totidem versiculis comprehendi consueverunt (V. n. 113).

1ª Terminus esto triplex, medius, majorque minorque.

Haec lex praecipit, ut tres tantum in syllogismo simplici sint termini (2). Quod ex ipsa ratiocinii

(1) Quanquam, proprie loquendo, syllogismus formaliter falsus, qui essentiali nimirum sua forma careat, syllogismi nomine appellari nequit, uti ex ipsa illius definitione patet (V. n. 355).

(2) Id autem de terminorum significatu, nequaquam vero de terminis ipsis, materialiter in se spectatis, intelligendum est. In hanc itaque legem peccant etiam syllogismi, in quibus termini cujuspiam significatio immutetur; cujusmodi est ille, in scholis notissimus, quem refert Seneca: *Mus est syllaba; mus rodit caseum; ergo syllaba rodit caseum.*

natura facile constat; hoc enim in eo consistit, ut duarum idearum relationem, ope tertiae ideae, ostendat.

2ª Latius hos, quam praemissae, conclusio non vult.

Duo nimirum quaestionis termini majorem in conclusione, quam in praemissis, extensionem non habeant: praemissae namque conclusionem ipsam complecti debent. Quare vitiosus hic esset syllogismus: « Impii, infesti sunt societati; quidam autem philosophi sunt impii; omnes ergo philosophi societati sunt infesti » (1).

3ª Aut semel aut iterum medius generaliter esto.

Scilicet terminus medius, in alterutra saltem ex praemissis, universaliter, seu generatim secundum totam suam extensionem accipi debet (2). Alioquin duplicem haberet significatum; ac proinde quatuor essent in syllogismo termini, contra legem primam. En exemplum: « Aliqui philosophi sunt spiritualistae; sunt quidam philosophi materialistae; aliqui igitur spiritualistae materialistae sunt » (3).

4ª Nequaquam medium capiat conclusio oportet.

Nempe medius terminus praemissas tantummodo,

(1) Prae oculis habendum est, terminum particulariter sumi, quoties est subjectum propositionis particularis, vel propositionis affirmativae praedicatum.

(2) Unde sequitur, ubi terminus medius in utraque praemissa sit *singularis*, recte syllogismum concludere; propositiones enim singulares, uti paullo ante monuimus (n. 352), universalibus aequivalent, iisque in argumentatione substitui possunt.

(3) In mentem revocare opus est, terminum universaliter sumi, non solum si sit subjectum propositionis universalis, verum etiam si praedicatum propositionis cujuslibet negantis (V. n. 342).

numquam vero conclusionem ingrediatur: hic namque veluti mensura quaedam, ad relationem inter binos quaestionis terminos detegendam, unice adhibetur; quae profecto relatio in conclusione exprimenda est. Quare insulse quis ita ratiocinaretur: « Virtus est amabilis; temperantia est virtus; ergo virtus aliqua est amabilis ».

5ª Ambae affirmantes nequeunt generare negantem.

Id manifesto patet ex primo ratiocinii organico principio (V. n. 97).

6ª Utraque si praemissa neget, nihil inde sequetur.

Legem hanc plane declarat tertium ex memoratis principiis organicis (V. n. 97).

7ª Pejorem sequitur semper conclusio partem.

Pars pejor seu debilior a dialecticis appellari consuevit propositio particularis prae universali, negans prae affirmante. Quapropter hac lege praecipitur, conclusionem negantem esse oportere, si una ex praemissis sit negans (idque vi secundi ex principiis organicis, n. 97); particularem, si particularis. Quae postrema legis pars ex evidenti hoc principio fluit: « Si ex duobus alterum omnino conveniat cum tertio, alterum ex parte solum; haec duo non omnino, sed ex hac parte tantummodo inter se conveniunt ». Unde male quispiam hoc pacto argumentaretur: « Virtus est laudabilis; sed dissimulare interdum est virtus; dissimulatio igitur laudabilis est ».

8ª Nil sequitur geminis ex particularibus unquam.

Idest, si ambae praemissae sunt particulares,

- sive utraque *affirmans* sit, sive *negans*, sive una *affirmans* et altera *negans* -, nulla potest legitima duci conclusio. Primum constat ex lege 3ª; alterum ex lege 6ª. Tertium denique, ex eo quod conclusio, per legem 7ᵃᵐ, negans esse debeat: in ea proinde terminus major universaliter sumi, quatenus praedicatum propositionis negantis (V. n. 342). Sed, vi legis 2ᵃᵉ, hic terminus etiam in praemissis universalis sit oportet; quae iccirco duos terminos universales amplecti deberent: *majorem* scilicet ex lege 2ª, et *medium* ex lege 3ª. Atqui id fieri nullomodo potest: nam, ex hypothesi, utraque praemissa particularis est.

§ 2. — *De syllogismo composito.*

361. Syllogismus *compositus* ille nominatur, cujus praemissa major est propositio composita. Dum itaque syllogismus simplex est *sui generis* unicus, plura distinguuntur compositorum genera; inter quos praesertim: conditionalis, copulativus et disjunctivus. Horum autem quilibet propriis legibus gubernatur.

362. Syllogismus *conditionalis* est ille, cujus major est propositio conditionalis; cujusmodi hic est: « Si homo nequit veritatem destruere, ne illam quidem creare potest; sed nequit destruere; ergo ne creare quidem ».

Duplici hac lege regitur syllogismus conditionalis: 1ª « Si antecedens (propositionis conditionalis) affirmatur in minore syllogismi, illius consequens in conclusione affirmatur »; secundum illud scholasticorum: *Posito antecedente, ponitur consequens;* vel: *Verum prius, ergo et posterius.*

2ª « Negato consequente in minore, negatur in conclusione antecedens »; juxta hoc aliud: *Sublato consequente, tollitur antecedens;* vel: *Falsum consequens, ergo et antecedens.*

363. Syllogismus *copulativus* ille dicitur, cujus propositio major est copulativa (negans); ita tamen, ut ejus membra sibi mutuo opponantur et simul vera esse nequeant. Ex. gr.: « Nemo potest una cogitare et veritatem inficiari; sed scepticus cogitat; ergo veritatem inficiari non potest ».

Lex syllogismi copulativi haec est: « Si aliqua pars seu membrum propositionis copulativae affirmatur in minore, caetera illius membra in conclusione affirmantur ».

364. *Disjunctivus* vocatur syllogismus, cujus major est propositio disjunctiva; ejus autem veritas a veritate propositionis disjunctivae pendet (V.n.350). En exemplum: « Vel homo caret facultate ratiocinandi, vel aliqua illi affulget veritas, prima et indemonstrabilis; sed homo ratiocinandi facultate non caret; ergo veritas aliqua, prima et indemonstrabilis, illi affulget ».

Hae sunt leges syllogismi disjunctivi: 1ª « Si pars aliqua propositionis disjunctivae in minore affirmatur, altera negatur in conclusione ». 2ª « Si aliqua ejus pars negatur in minore, altera in conclusione affirmatur ».

Art. 2. — *De aliis argumentationis speciebus.*

365. Praecipuae, praeter syllogismum, argumentationis formae seu species sunt: enthimema, polysyllogismus, epicherema, dilemma et sorites.

366. Enthimema. *Enthimema* est syllogismus, cujus una praemissarum, - major utplurimum -, reticetur, quod facile subaudiri potest. Quamobrem syllogismus *truncus* vel *bimembris* etiam dicitur. Ut: « Sensatio est quid simplex; ergo nequit in aliud transformari ». Prima enthimematis propositio vocatur *antecedens;* altera, *consequens* (1).

Quum enthimema in syllogismum facile resolvi possit, subauditam propositionem exprimendo, manifestum est, iisdem, ac syllogismum, legibus ipsum teneri.

367. Polysyllogismus. *Polysyllogismus* est plus minusve longa syllogismorum series, ita simul connexorum, ut illius, qui praecedit, conclusio sit una ex praemissis syllogismi sequentis; usquedum ad conclusionem, quae est proposita quaestio, perventum sit. Ex. gr.: « Passivum nequit in activum transformari; atqui sensatio est quid passivum; ergo in activum transformari nequit. Sensatio transformari nequit in activum; sed attentio intellectualis est quaedam activitas; ergo sensatio in attentionem intellectualem transformari non potest ».

Quo polysyllogismus recte concludat, requiritur: 1º ut singuli syllogismi, ex quibus constat, legitimi sint, ad leges nimirum, quas supra memoravimus, exacti; 2º alter cum altero vere simul conjuncti et colligati.

368. Epicherema. *Epicherema* est syllogismus,

---

(1) Enthimema interdum in unam etiam propositionem constringitur, quam Aristoteles *sententiam enthimematicam* appellat. Hujusmodi hae sunt: « Mortalis, ne immortale odium serves ». — « O victor, te ipsum vince ».

cujus alterutra, vel utraque etiam praemissarum, probatione fulcitur, ut nulla amplius dubitatio de eo supersit, quod demonstrandum suscipimus. Sic, ut statim evincam, veritatem, humanae mentis procreationem non esse, hoc utar epicheremate: « Finitum, mutabile, contingens nequit infinitum, immutabile, necessarium gignere: — secus enim esset effectus sine causa, quod absurdum est. Sed humana mens est finita, mutabilis, contingens; veritas, e contrario, infinita, immutabilis, necessaria: — quod unicuique, ex attenta sui ipsius et essentiae veritatis consideratione, facile constat. Ergo humana mens veritatem procreare nequit » (1).

Leges syllogismi et in epicherema transferri manifesto possunt. Hisce tamen addendum est insuper, rationes, quibus praemissae probantur, veras ac solidas esse oportere.

369. Dilemma. *Dilemma* est argumentationis species, qua omnibus, in propositione disjunctiva, rationibus et viis exhibitis, quae illi patere videntur, quem sententiae nostrae adversarium habemus aut supponimus, iisque singulis deinceps praeclusis, eumdem nobis assentiri quodammodo cogimus (2). Sic constringi hoc dilemmate posset scepticus, qui de omnibus dubitandum esse contendit: « Vel verum est, de omnibus dubitandum esse, vel falsum. Si primum: ergo aliqua veritas admittitur, de qua

(1) Hoc argumentandi genus penes mathematicos, in geometricis praesertim demonstrationibus, usitatissimum est. Perbelle etiam prosunt epicheremata ad ea summatim colligenda, quae longa oratione exposita sunt.

(2) Ita nempe ad incitas reducitur adversarius, neque ullum amplius illi superest effugium. Quare dilemma, *argumentum cornutum*, vel *utrinque feriens* a dialecticis nuncupari etiam consuevit.

non est dubitandum. Si alterum: de omnibus igitur dubitandum non est ». Ita ferme, quemadmodum jam alias animadvertimus (n. 220), contra scepticos ratiocinatur S. Thomas: *Qui*, inquit, *negat veritatem esse, concedit veritatem esse. Si enim veritas non est, verum est veritatem non esse* (1).

Ut dilemma legitimus sit, hae omnino requiruntur conditiones: 1ª Ut perfecta fiat, in propositione disjunctiva, partium enumeratio; namque si omnia disjunctionis membra non enumerantur, adversarius, negando antecedens, vim omnem argumenti eludit, sicque facile sibi parat effugium. 2ª Ut illud quod infertur, legitime fluat ex membro a quo deducitur; alioquin adversarius, consequentiam negando, e manibus nostris nullo negotio elabetur. 3ª Ut nequeat in argumentantem ipsum intorqueri: quod enimvero contingit, quum adversarius, eamdem omnino propositionem disjunctivam adhibendo, aliquid contra ipsum ex singulis ejus membris inferre potest.

370. Sorites. *Sorites*, quem latini *acervum* dicunt, est argumentatio pluribus constans propositionibus ita simul copulatis, ut praedicatum primae sit subjectum secundae, hujus praedicatum sit subjectum tertiae, et sic deinceps, donec subjectum primae, - quod est subjectum quaestionis -, conjungatur cum praedicato ultimae, - quod est quaestionis ipsius praedicatum (2). Sic scepticum, sciat

(1) Hoc etiam pacto in presbyteros quosdam, qui perfunctorie officia sua exsequerentur, S. Carolus Borromaeus argumentabatur: *Si tanto muneri impares, cur tam ambitiosi? Si pares, cur tam negligentes?*

(2) Sorite praesertim utimur, quum, ad detegendam inter subjectum et praedicatum relationem, non una sufficit idea media, sed plures sunt necessariae. Hac quippe ratione, potius quam duobus vel pluribus syllogismis (quod mehercule non sine molestia fieri posset) unico argumento et expeditius rem conficimus.

nesciat, veritatem necessario admittere, hoc sorite demonstrari potest: « Scepticus dubitat; qui dubitat cogitat; cogitare est affirmare; affirmare est judicare; judicare est relationem inter duo objecta decernere; id autem est certi ac positivi aliquid declarare, seu veritatem aliquam admittere; ergo scepticus veritatem admittit » (1).

Tum rite concludit sorites, quum 1° nulla est in propositionum serie interruptio (2); 2° nulla propositio dubia vel falsa; 3° singula vocabula eamdem semper significationem retinent; 4° nulla in ideis mutatio, per furtivas additiones vel subtractiones, sensim sine sensu intromittitur, uti sophistarum mos est: de quibus modo dicendum.

Art. 3. — *De sophismatibus.*

371. *Sophismata* seu *fallaciae* dicuntur falsae argumentationes, quae, sub veritatis specie, incautos in errorem inducunt. Quare *sophistas* Cicero eos appellat, *qui ostentationis, aut quaestus sui causa philosophantur* (Academ.) (3).

---

(1) Pulcherrimum soritis exemplum nobis praebet Seneca; qui, ad Lucilium suum scribens: *Qui prudens est*, ait, *et temperans est; qui temperans est, et constans; qui constans est, et imperturbatus est; qui imperturbatus est, sine tristitia est; qui sine tristitia est, beatus est; ergo prudens beatus est* (Epist LXXXV). Item Socrates, in Platonis *Alcibiade primo*, justum, utile semper esse, hoc sorite demonstrat: « Quod est justum, pulcrum est; quod pulcrum, bonum; quod bonum, utile; ergo omne justum est utile ».

(2) Sorites namque est ad instar catenae, ex pluribus propositionibus, tamquam anulis, effectae; quae, ubi horum aliquis disrumpatur, in terram decidit.

(3) Hoc tamen nomen antiquitus erat honesta appellatio, iis omnibus communis, qui in arte aliqua excellerent; unde et Rhetores et Sapientiae professores olim *Sophistae* dicebantur, a *sapientem faciendo*: id quippe agebant philosophi plerique, non solum ut ipsi saperent, sed etiam ut alios sapientes efficerent. Postea nomen istud in invidiam abiit, eo quod animum illi et artem suam ad quaestum converterint; unde ab Aristotele dicuntur *pecuniosi*: ita ut Sophistae nominarentur, qui fictam quamdam sapientiae speciem jactitarent. Antiquissimum porro hoc hominum genus est: quovis enim tempore ambitio, auri sacra fames, nimius uno verbo et inordinatus amor, sui fucum hominibus fecit. Memorabilior tamen sophistarum aetas ea est, qua viveret Socrates; qui, illorum cavillationibus et arrogantia maxime percitus, in aciem descendit, palam illis indixit bellum, nec arma prius quam vitam dimisit. Quam vero acriter illos exagitaverit, unaque, ubi opus esset, non illepide et plane Aristophanea festivitate irriserit, apud Xenophontem et Platonem videre est, in dialogis praesertim, qui *Protagoras* et *Euthydemus* inscribuntur.

Duo tamen distinguenda sunt sophismatum genera: *verborum* nempe, et *sententiarum*. Illa, fallaciae grammaticales; haec autem fallaciae logicae, vel sophismata mentalia, vulgo nominantur.

372. Fallaciae *grammaticales* eae generatim sunt omnes, in quibus terminorum ambiguitate et amphibolia quis abutitur, unde *aequivoca*, uti appellant (V. n. 333). Quod quidem multis modis fieri potest; - quum, v. gr., idem vocabulum sub diversa deinceps significatione sumitur -; quum a sensu, ut dicunt, *composito* fit transitus ad *divisum*, vel contra (1); - quum idem terminus modo proprie, modo metaphorice intelligitur. Hujusmodi erant oraculorum responsa. In rem Cicero: *Cum sors illa edita est opulentissimo regi Asiae:* Croesus Halym penetrans, magnam pervertet opum vim, *hostium vim sese perversurum putavit; pervertit autem suam. Utrum igitur eorum accidisset, verum oraculum fuisset* (De divinat.). Sic etiam ex Apollinis oraculo Pyrrho responsum esse ferunt: *Ajo te, Aeacida, Romanos vincere posse.* Quo sane in versu occurrit ambiguitas: nescias enim, utrum Pyrrhus, - oriundus ab Aeaco -, Romanos victurus sit, an Romani victuri sint Pyrrhum (2).

---

(1) Huc spectat syllogismus, qui, ad exhilarandas scholas, afferri consuevit: *Quod non perdidisti, habes; cornua autem non perdidisti; cornua ergo habes* (Seneca, *Epist.* XLIX).

(2) Hujuscemodi etiam sophismate perfido illo usus est, *qui*,

Ad has porro fallacias dissolvendas, facilis patet via: Multiplex ambigui termini distinguendus est sensus; hinc propositiones, in quibus terminus ambiguus continetur, *concedendae* quo sensu sunt verae; quo autem falsae, *negandae.*

373. Fallaciae *logicae* vocantur illae, quae falsas exhibent relationes inter ideas, quibus ratiocinium conflatur. Praecipuae sunt:

1ª *Ignorantia*, ut dicunt, *elenchi*, seu argumenti de quo agitur: quum scilicet quis vagatur extra quaestionem, atque aliud ab eo probandum suscipit, quod in quaestione versatur (1).

374. 2ª *Petitio principii*: quum nempe id supponitur quod est in quaestione; seu demonstratur *idem per idem* (2).

Petitio vero principii in *circulum vitiosum* etiam convertitur: quod sophisma in eo consistit, ut ex duabus propositionibus altera ex altera vicissim deducatur.

375. 3ª *Non causa pro causa.* Hac ratione peccant, qui alicujus effectus id veluti causam ponunt, quod vel non existit, vel vera ejus causa non est.

Huc pertinent trita illa: *post hoc*; vel *cum hoc, ergo propter hoc.* Uberrimus hic habetur errorum et praejudiciorum fons.

---

quum centum triginta dierum essent cum hoste pactae induliae, noctu populabatur agros, quod dierum essent pactae, non noctium induliae (Cic., *De off.*). Item, Q. Fabius Labeo, *quem ferunt*, uti Valerius Maximus commemorat, *cum a rege Antiocho, quem bello superaverat, ex foedere icto dimidiam partem navium accipere deberet, medias omnes secuisse, ut eum tota classe privaret* (Memorab.).

(1) Id vulgo etiam dicitur *qui-pro-quo*; cujus perpulcrum, in A. Plauti *Aulularia*, habes exemplum; quod feliciter imitando effinxit atque expressit Molierus in festivissimo dialogo inter Valerium et Harpagonem, in comoedia, quae *Avarus* inscribitur.

(2) *Vitiosum est*, ait Auctor ad Herennium, *pro argumento sumere quod in disquisitione positum est.*

376. 4ª *Fallacia accidentis:* cui illi impingunt, qui rei alicujus tamquam essentiale considerant, quod nonnisi accidentale illi est; sicque *accidens* cum *substantia* confundunt (V. n. 219). Quod quidem sophisma est frequentissimum; quin imo non desunt (uti post Platonem, Rosminius inter nostrates) qui ad hoc unum cetera reduci posse arbitrentur (1).

Huic fallaciae affinis est ea, quae dicitur *transitus a dicto secundum quid, ad dictum simpliciter:* quum videlicet id quod aliquatenus valet, perinde accipitur ac si simpliciter et omnino valeret; aut etiam, quum ab relativo ad absolutum fit progressio.

Ad hanc tandem ea quoque referri potest fallacia, quae dicitur *enumeratio imperfecta:* quum nimirum ex particularibus quibusdam factis generalis conclusio temere infertur, seu plus aequo *generalizatio* producitur (V. n. 296).

377. 5ª Fallacia *falsi suppositi:* in quam incidit, qui tamquam verum supponit quod est falsum, vel tamquam certum quod incertum est; atque hinc confidenter, ex arbitraria hac suppositione, ratiocinatur. Ut si quis, ad confictum aliquod tuendum systema, artificiosam praemittat definitionem, in qua implicite systema illud jam continetur (2).

---

(1) Si Rosminio credimus, quilibet error logicus ad simplicissimam hanc formulam reduci potest: « Ragionare dietro la supposizione, che sia essenziale ad un soggetto ciò che a lui non è che accidentale » (*Della sommaria cagione* ecc.).

(2) Hujusce generis sophismati totum innititur pantheisticum Spinozae deliramentum; uti in Metaphysica dicemus. Hac itidem ratione, quemadmodum animadvertit Sudre (*Histoire du Communisme* etc.), callide se gessit Proudhonus, ad absurdissimam, quam in medium protulit, de *proprietate* doctrinam constabiliendam; de qua sermo erit in Ethica.

378. Sophismatibus dudum memoratis tria haec adjungit Lockius:

1° Argumentum *ad verecundiam*: quum scilicet opinionem nostram probaturi, ad quorumdam auctoritatem unice confugimus, qui vel ingenio, vel dignitate, vel imperio, vel alio quocumque titulo aliis praestant, et quorum sententiae non omnino assentiri temerarium videri potest; adeo ut ommis ratio sit: *ipse dixit* (V. n. 256) (1).

379. 2° Argumentum *ad ignorantiam*; quo illi utuntur, qui postulant, ut adversarius, - si opiniones, vel ab se allatas probationes admittere nolit -, meliores in medium adducat: perinde atque ex horum ignorantia, veram illorum esse sententiam sequeretur. Hac ferme ratione argumentatur Horatius, ubi ait:

> ..... Si quid novisti rectius istis,
> Candidus imperti; si non, his utere mecum.

380. 3° Argumentum *ad hominem*: quum nempe sententiam nostram ex principiis, quae adversarius ipse profitetur, vel ex aliqua propositione ab eo semel inconsiderate emissa, probare contendimus. Atqui errores, vel inconsulta aliorum dicta, causae nostrae nullomodo favere possunt.

Animadvertendum tamen est, utiliter aliquando argumentum *ad hominem* adhiberi posse, et vim plurimam habere, - haud equidem ad veritatem in se et absolute demonstrandam -, sed quum adversarium nostrum secum pugnantem ostendere in animo est, illumque eo adducere, ut sui se pudeat, dum ea, quibus ipse scatet, vitia aliis exprobrare non dubitat; juxta vulgatum illud: *Medice, cura teipsum* (1). Profecto, quî aliter, amabo, illum, ex gr., perstringes, qui humilitatem ac modestiam laudet elatis verbis atque arrogantissime; vel illum, qui, inter exquisitas epulas et pocula spumantia, temperantiam et sobrietatem praedicet? De quo facete S. Hieronymus: *Delicatus magister est, qui, pleno ventre, de jejuniis disputat.*

381. Praecipua cursim attigimus, quae admitti possunt, sophismata (sive dolose id fiat, sive ignorantia: quo postremo in casu, *paralogismi* potius dicuntur). Haec tamen satis esse censemus, quo sibi quisque ab sophistarum cavillationibus praecaveat.

Caeterum, quum argumentatio quaelibet ad syllogismum, ut diximus, reduci possit, tuta nobis in promtu semper est regula (V. n. 359), quae certos nos faciat, utrum datum quodpiam ratiocinium recte ac legitime concludat, an sophisma fortasse sit.

SECTIO ALTERA

DE METHODO VERITATIS EXPONENDAE.

382. Triplici potissimum ratione veritas aliis exponi ac transmitti potest: Vel nempe simpliciter, verbis aut scriptis, eam tradendo, atque, ubi usus

---

(1) Ad hanc rem verissime Manzonius: « E chi sa dire, quanta autorità possa, non solo dare, ma mantenere, a un sistema l'essere sostenuto da degli scrittori, l'autorità dei quali, in altri argomenti, s'è stabilita e si mantiene per bonissime ragioni »? (*Del sistema che fonda la morale sull'utilità*).

(1) Sic Christus efficacissimo *ad hominem* argumento in hypocritas illos usus est, qui mulierem ad ipsum delatam dignam haberent, quae lapidibus obrueretur: *Qui sine peccato est vestrum*, inquit Christus, *primus in illam lapidem mittat* (Evang. S. Jo.). Item, Juvenalis: *Quis tulerit Gracchos de seditione querentes?* (Sat. II).

sit, explicando et explanando (1); vel disputatione; vel demum veritatem ipsam ab adversariorum insidiis et adgressionibus tuendo, idest apologia.

CAPUT I.

Generales in veritate tradenda et edocenda regulae servandae.

383. Quo scientia quaelibet seu doctrina utiliter tradi possit, atque institutio propositum suum assequatur, quatuor praesertim qualitatibus hanc praestare opus est: perspicuitate, efficacia, ordine ac plenitudine.

1° Itaque *perspicua* et clara sit institutio. Ad quod obtinendum, linguam, qua utitur, optime praeceptor callere, et vocabulorum vim ac sententiam probe nosse debet. Distincta et determinata vocabulis semper affigenda est idea: cavendum scilicet, ne, psittacorum atque picarum instar, voces proferamus, quae sint inanes sine mente soni (2). Non immutetur significatio, quae vulgo et constanter verbo alicui subjicitur (3); nunquam insuper idem vocabulum sub diversa de-

(1) Ita ferme pueri et adolescentes, tum viva voce in scholis, tum libris didascalicis, a magistris edocentur et erudiuntur.

(2) Id equidem vitii haud infrequens est. Quum enim prius vocabula didicerimus, quam ideas iis respondentes haberemus, fit, ut permulti, - qui ad haec animum nunquam adverterunt -, per totum etiam vitae tempus, vocabula quaedam adhibeant, quorum significationem prorsus ignorant; quod praesertim in terminis abstractis contingit (V. n. 330).

(3) Hoc enimvero ridiculum et stultissimum esset; de quo ita festive Reidius: « C'est comme si un villageois permutait le sens des mots de *fille* et de *vache;* et qu'il s'efforçât de prouver à son voisin que sa fille broute l'herbe, et que sa vache file au rouet ».

inceps significatione sumatur, ubi facile hinc error manare possit. Si vox quaedam multiplicem habeat intellectum; vel peculiaris nobis ratio, ut sensum a communi et consueto paullo alienum illi tribuamus suadeat, de hoc auditor vel lector aperte praemonendus est. Praeciso demum utamur sermone: *praeciso*, inquam, minime vero conciso. Praecisio in delectu, proprietate et apta dispositione verborum consistit. Ex praecisione autem oritur *perspicuitas*, quae quidem, ex Cicerone, *prima dos orationis est.*

Quod autem ad stilum, qui res didascalicas maxime decet, *simplicem*, at una simul (quoad ejus fieri possit, et per nova, quibus interdum uti necessum est, vocabula, idest *neologismos*, liceat) *castigatum* et *copiosum* esse oportet: copiosum dixi, non ubertate superfluentem. Quare, inter nimiam prolixitudinem et brevitatem, media quodammodo via tenenda est (1).

384. 2° Ut institutio *efficax* sit, qui doctrinam aliquam vel scientiam tradendam suscipit, hanc imprimis probe cognitam atque perspectam habere debet; eam proinde intimius considerasse atque omnino discussisse opus est. — Hoc insuper alta mente repositum illi esse oportet, quod Socratis proprium fuit, ut, priusquam juvenes ad verum adsequendum duceret, eorum animos vanitate, tumore, praejudicatis falsisque opinionibus purgaret, quippe quae ad recte cogitandum atque veritatem cernendam gravissima impedimenta illi vi-

(1) Quod mehercule sibi vult Horatius, quum ait:
Quidquid praecipies, esto brevis, ut cito dicta
Percipiant animi dociles teneantque fideles (*Ars poëtica*).
Interim vero monet: *Brevis esse laboro; obscurus fio* (Ibi).

derentur. — Disciplinae tandem quam tradit, praestantiam atque utilitatem plane sibi persuadeat; hanc autem ipsam in discentium animos persuasionem penitus inducat, unaque sincero et constanti veritatis amore illos incendat. Quod facilius consequetur, ubi id ratum illi sanctumque sit, si non totam (non enim semper decet) solam tamen veritatem nullo non tempore apertissime loqui.

385. 3° Quantum institutionem intersit *ordinatam* esse, non est cur dicamus. Sat quippe constat, quae nullo ordine et incomposite fiunt, improsperum semper habere successum. Hic autem ordo varius esse debet, tum ratione *finis*, quem quis sibi in docendo propositum habet; tum *discentium;* tum demum *argumenti* seu materiei, quam pertractandam suscipit. Quicumque tamen is sit, ad analyticum et syntheticum reduci consuevit.

Qui igitur ordinem, seu, ut vulgo dicunt, methodum *analyticam* sequitur, primum omnium universam, de qua agitur, materiam sub eorum oculos ponit, qui docendi sunt. Ad ejus partes exinde progreditur, quas singillatim explicat, usquedum ad minutissimas et simplicissimas quasque perveniat. — Qui autem methodo utitur *synthetica*, contraria omnino via incedit. Aliquam in primis fundamentalem totius objecti partem considerat, quam alii postmodum admovet, quae seorsum quoque considerata est; et sic deinceps, donec, - singulis partibus probe perspectis simulque ordinatim conjunctis -, integrum quodammodo objectum coram illis construat, ad quos erudiendos adgreditur.

At quid hac de re sentiendum sit, jam alias

declaravimus (V. n. 268): veram nempe, - sicuti inquirendae, ita exponendae veritatis -, methodum neque exclusive syntheticam, neque analyticam, sed potius *analytico-syntheticam* esse. Quapropter, quod ad nos spectat, id generatim praecipi posse videtur: Qui adolescentes praesertim docet, modo analysim, modo synthesim, - prout res postulat et usus est -, adhibere debet; et totus in eo esse, ut illas ita prudenter intermisceat, ut synthesis ariditatem temperet analysis, unâque adolescentes ad reflexionem sensim exerceat; vicissim autem synthesis eorum mentibus opportune succurrat: hi namque, nimii laboris impatientes, a longa minimeque interrupta analysi libenter refugiunt. Quisquis autem in juvenum institutione plane hospes et peregrinus non sit, hunc nobis hac de re omnino consentire minime dubitamus.

386. 4° Tandem institutio *plena* et integra sit oportet: omnia videlicet complectatur quae necessaria sunt, ut, quam tradimus, disciplina penitus comprehendi possit. Sat igitur non est, - uti compendia conscribentibus est mos -, faciliora tantum et magis obvia cursim attingere, iis praetermissis, magni alioquin momenti, quae, ut probe intelligantur, nonnihil fortasse laboris ac strenuae animi attentionis requirunt: dummodo discentis captum non superent (1).

Sed ut plena et completa sit institutio, haec tria maxime prae oculis habenda sunt: 1° Si quaedam obscura, vel dubiae significationis sint, definitione explicentur. 2° Argumentum, seu res

(1) Siquidem id non est homines edocere, sed iis potius fucum facere. Si difficili ascensu atque arduo scientia non esset, tam exiguum mehercule vere sapientum numerum haud miraremur.

pertractanda, in tot, quot decet, partes dividatur, ut omnino ac penitius comprehendi possit. 3° Partes singulae, - quoad ejus fieri potest ac necesse est -, evolvantur atque explanentur; nulla autem unquam in medium afferatur propositio, quae, vel per se evidens ac certa, vel jam antea probe demonstrata non sit (1). Res itaque monet, ut aliqua de *definitione*, *divisione* et *demonstratione* dicamus.

Art. I. — *De definitione.*

387. *Definire*, ut vocabulum ipsum sonat, nil aliud generatim est, quam fines seu limites circa objectum aliquod ponere, ut a ceteris quaquaversus distinguatur. Sic terminis seu limitibus (cum naturalibus, tum arbitrariis) circumscribuntur agri; definiuntur urbes, provinciae, imperia.

Objectum porro, quod definitur, vel est *res*, vel *nomen* aliquod seu vocabulum. Quare duplex *definitio:* altera nempe *realis*, altera *nominalis* sive verbalis. Haec declarat, quae res nomini cuipiam subjicienda sit; illa vero est « propositio, quae rei alicujus naturam sive essentiam explicat » (2): quod propterea nosse oportet ac sufficit, ut res illa ab alia quacumque omnino secerni possit (V. n. 63).

388. Hinc magnum, inter definitiones nominales et reales, discrimen patet: hae namque impugnari possunt; nunquam vero illae.

(1) « Un canone del retto filosofare, inquit Rosminius, si è di non affermare cosa alcuna che non sia debitamente provata » (*N. Saggio* ecc.).

(2) Definitio a Cicerone vocatur *Oratio, quae id quod definitur, - vel, de quo disputatur -, explicat quid sit* (Topica; Orator).

Profecto, quum v. gr. dico: *animae humanae* nomine, « principium cogitans » intelligo, simpliciter declaro, quid hoc vocabulo significare velim: quod mehercule mihi omnino licere, quis inficiabitur? At si dico: « anima humana est subjectum simplex, sensitivum, intellectivum ac volitivum », naturam ipsam rei, quae per vocem *anima humana* significatur, determinare mihi est propositum. Hujusmodi porro definitiones ab hominis arbitrio minime pendent: nemini enim rerum naturam immutare datum est. Verae itaque sunt vel falsae; proptereaque, jure aut injuria, impugnari ac respui possunt: quemadmodum nuper allatam animae humanae definitionem impugnant materialistae, uti in Metaphysica dicemus.

389. Ex dictis sat manifesto patet, quanti momenti quantaeque utilitatis sint definitiones. Sic enim complures, eaeque inutiles, quaestiones de verbis, ut ajunt, praecaventur, quae mentem perturbant, et a veritate quam longissime abducunt (1).

Sed hic etiam, uti semper, nimia et extrema vitanda sunt: intempestiva namque et inopportuna definitio, potiusquam lucem (quo proprie spectat definitio) obscuritatem et confusionem afferret. Quod iis maxime contingit, qui omnia et ea quo-

(1) Profecto, absque definitione, uti Cic. animadvertit, « fieri interdum non potest, ut inter eos qui ambigunt conveniat, quid sit id de quo agatur; velut in hoc ipso de quo disputamus. Quaerimus enim finem bonorum: possumusne scire, hoc quale sit, nisi contulerimus inter nos, cum finem bonorum dixerimus, quid finis, quid etiam sit ipsum bonum? Atqui haec patefactio rerum opertarum, cum quid quidque sit aperitur, definitio est » (*De finib.*).

que definire student, quae per se clara et perspicua sunt, quaeque proinde nullam definitionem admittunt. Ejusmodi sunt simplices animi nostri notiones vel affectiones: *ens*, *possibilitas*, *voluptas*, *dolor*, *color*, *sapor* et similia.

390. Definitio (realis), ut diximus, naturam seu essentiam rei explicat. Duplex autem distinguitur: altera enim proprium definitionis nomen retinet; altera, descriptio nuncupatur.

Definitio, proprie dicta, est « ea, quae rem declarat per genus et differentiam ». In hoc autem consistit, ut res, seu *species* definienda, ad classem idest ordinem superiorem, ad quem pertinet, referatur, qui dicitur *genus* (V. n. 153); iique simul characteres exponantur, qui hanc speciem ab aliis, sub eodem genere comprehensis, distinguant: haec autem dicitur *differentia*.

391. Sed animadvertendum est, nec genus quodlibet, nec quamlibet differentiam, ut res accurate definiatur, assumendam esse: siquidem genus, ad quod res definienda refertur, omnium *proximum* seu ultimum esse debet; differentia vero, illi propria et *specifica* (1). Quare definitio rectius dicitur « propositio, quae rem declarat per genus proximum et differentiam specificam ». Sic *triangulum rectilineum* definio: « Polygonum, tribus lateribus circumscriptum ». Quum *polygonum* dico, exprimo genus proximum, ad quod triangulum, idest species definita, pertinet. Sed quum plures sint polygonorum species (ut puta *quadrilaterum*,

(1) *Sic igitur*, inquit Cicero, *veteres praecipiunt: Quum sumseris ea, quae sunt ei rei, quam definire velis, cum aliis communia, usque eo persequi, dum proprium efficiatur, quod nullam in aliam rem transferri possit* (Topic.).

pentagonum, *exagonum*.....), ut triangulum a quavis alia polygonorum specie distinguam, addo: *tribus lateribus circumscriptum*; quae differentia specifica nominatur, eo quod speciem a specie secernit.

Ex quo patet, neque *genus* supremum, cujusmodi est *ens* (V. n. 153); neque *individua* proprie definiri posse. Illud enim per immediatam mentis intuitionem; haec autem, observationis, vel descriptionis (de qua mox dicemus) ope, adprehenduntur (1). Quare *species* tantummodo definitionis capaces sunt: quamquam, ne species quidem omnes (2).

(1) Inde etiam conficitur, terminum quemdam definitioni praefixum esse, quem praetergredi non liceat. Profecto, quum rem aliquam definiendo declaramus, id per aliam rem notiorem efficimus: illam videlicet ad genus ejus proximum, quod notius supponitur, referendo. At hoc quoque, si definire velimus, ad genus superius referimus; hoc rursus ad aliud, et sic deinceps, donec serius ocius ad genus omnium supremum pervenerimus. Sed hic tandem sistendum est; hic omnis cessat definitio. Genus namque supremum, *ens* (quod apte S. Bonaventura *extra omne genus* appellat) quum ad nullum aliud genus supra se referri possit, definiri amplius nequit; sed per immediatam solummodo, ut diximus, mentis intuitionem percipitur. Rem nitide declarat laudatus Doctor seraphicus: *Definitio*, inquit, *habet fieri per superiora, et illa per superiora definiri habent, usquequo veniatur ad suprema et generalissima, quibus ignoratis, non possunt intelligi definitive inferiora. Nisi igitur cognoscatur quid sit* ENS *per se, non potest plene sciri definitio alicujus specialis substantiae* (Itiner. etc.). Non solum autem *ens* nullam admittit definitionem, sed neque *necessarium*, *possibile*, et caeterae elementares ipsius entis ideae, quemadmodum jam animadvertit Avicenna in suo *Commentario* in Aristotelis metaphysicam. Quum itaque *ens* per se notum sit et *primum* omnium *notum*, illius conceptus quodlibet ratiocinium et definitionem quamlibet praecedat necesse est.

Siquis igitur *ens*, veluti suorum ratiociniorum principium et fundamentum postulet, jure quidem suo utitur; neque ullus est, cui non aequum et legitimum ejus postulatum videri possit. Idem et de *sensu* dicatur, cujus nulla dari potest definitio; quique idcirco inter postulata ponendus etiam est. Quapropter *idea entis* et *sensus* sunt bina primigenia totius humanae scientiae elementa: ad haec autem *definitiones* omnes omniaque ratiocinia referri, in iisque absolvi debent.

(2) In rem concinne Reidius: « Il y a beaucoup d'espèces dont la

392. De qualitatibus modo dicendum, quibus definitionem praeditam esse oportet.

Et primum, in definitione *nominali*, evidens est, nullam in verbis obscuritatem vel ambiguitatem esse debere, nullumque adhibendum vocabulum, quod vel per se plane cognitum, vel jam antea explicatum non sit. Statim autem atque vocabuli alicujus vis per definitionem est constituta, haec eadem semper servanda est; neque unquam in sermonis progressu, vocabuli significatio immutanda: id quippe esset quodammodo, datam fidem frangere, atque in fraudem promissis discentem impellere.

393. Quod vero ad definitionem *realem* spectat, haec omnino requiruntur:

Ut 1° sit *clara* atque intellectu facilis: distinctam videlicet menti rei definitae notionem exhibeat; secus enim finem suum minime consequeretur, atque inutilis saltem esset. In hanc porro legem complures peccant Peripateticorum definitiones (1); necnon generatim definitiones omnes tautologicae, in quibus nimirum res definita definitionem ipsam ingreditur: *idem per idem* (2).

2° *Toti* et *soli* definito conveniat: idest neque defectu, neque excessu peccet. Hinc male *judicium*, ex. gr., definiretur: « Affirmatio convenien-

---

différence spécifique ne peut être exprimée dans le langage, même quand elle est évidente aux sens ou à l'entendement: ainsi, le vert, le rouge et le bleu sont des espèces de couleur très-distinctes; mais comment exprimer par des mots en quoi le vert diffère du rouge ou du bleu »?

(1) *Motus*, ex. gr., a Peripateticis definitur « actus entis in potentia quatenus in potentia »; et *calidum*, « quod congregat homogenea, et disgregat heterogenea ».

(2) Sic quidam, innuente Pascalio, *lucem* definiebat « luminarem corporum lucentium motum ».

tiae aut discrepantiae duarum idearum inter se »; vel: « Humanae rationis functio ». Prior namque illa definitio non omnia comprehendit judicia (siquidem primitiva omittit); haec vero, alias quoque, praeter judicium, rationis functiones amplectitur.

3° Sit *convertibilis* seu reciproca: duo nempe definitionis membra possint sibi mutuo, salva veritate, substitui. Haec enim veram aequationem inter rem definitam et definitionem ipsam efficiunt; in aequatione porro, membrum alterum in alterius locum suffici semper potest. Unde patet, definitionem, idest propositionem *explicativam* a simplici propositione (attributiva) distinguendam esse: omnis quippe definitio, propositio est; non e converso.

4° Demum, illud solum exprimat, quod in essentia rei definitae continetur, in eaque *primigenium* est, non vero id quod ab essentia ipsa, tanquam ejus effectus vel explicatio, dimanat (1). Alioquin multae ac diversae, necnon arbitrariae de re quacumque definitiones afferri possent (2).

394. Quamvis definitio per genus et differentiam, proprie sit definitio philosophica et scientifica, non semper tamen hanc adhibere necessum est. Interdum etiam nec commode, nec omnino fortasse fieri posset, ut hoc pacto res definiatur, uti paullo ante innuimus (n. 391); nec tandem, hujuscemodi definitio, licet possibilis, finem consequeretur, quem quis sibi propositum habet.

---

(1) *Essentia*, inquit S. Thomas, *comprehendit in se illa tantum quae cadunt in definitione speciei* (Summa etc.).

(2) Uti siquis, ex. gr., *hominem* « animal perfectibile »; aut « animal sociabile »; vel, cum Aristotile, « animal politicum » (ζών πολίτικον) definiat (V. n. 7).

Hoc in casu definitione descriptiva, seu *descriptione*, utitur. Quae est « oratio rem explicans per enumerationem plurium notarum vel qualitatum, - cum essentialium, tum etiam accidentalium -, quae, cum rei definitae solum conveniant, hanc ab ceteris omnino distinguunt ». Hac ratione *homo* a Cicerone (*De legib.*) definitur *animal providum, sagax, multiplex, acutum, memor, plenum rationis, et consilii* (1).

395. Descriptio in usu potissimum est apud oratores, poëtas et geographos. Hanc autem unam ferme adhibent historiae naturalis periti in animantium, vegetabilium et mineralium designatione: haec quippe objecta denotant per organorum, vel membrorum, vel partium constructionem, dispositionem, colorem, figuram, aliosque characteres seu qualitates, quarum complexio ad rem definitam solummodo pertinet.

396. Oratores tamen et poëtae alio quoque definitionis genere saepenumero utuntur: figuris nempe et analogia (2).

Quaedam insuper definitiones vel descriptiones fiunt per rerum causas, usus, finem etc. Talis est descriptio horologii, machinae electricae vel pneumaticae et similium.

Interdum etiam ab adjunctis et circumstantiis definitio petitur (3).

---

(1) Item, in prima Oratione in Verrem, hunc graphice describens, appellat *depeculatorem aerarii, vexatorem Asiae atque Pamphiliae, praedonem juris urbani, labem atque perniciem provinciae Siciliae.*

(2) *Saepe etiam*, ait Cicero, *definiunt et oratores et poëtae, per translationem verbi, ex similitudine cum quadam suavitate..... Solebat igitur Aquilius..... quaerentibus..... quid esset litus, ita definire,* « qua fluctus alluderet ». *Hoc est quasi qui* « adolescentiam florem aetatis; senectutem occasum vitae » *velit definire* (Topic.).

(3) Sic Petrarca Italiam definit:

. . . . . il bel paese
Che Apennin parte, e 'l mar circonda e l'Alpe.

Art. 2. — *De divisione.*

397. Quemadmodum complexi alicujus objecti distinctam notionem consequi nobis non licet, nisi hoc in singulas suas partes per analysim resolvatur; ita, quum materiam quampiam vel argumentum pertractare aliisque explanare adgredimur, illud etiam in partes suas omnes dividere, atque in harum singulis discentis attentionem defigere opus est.

Divisio itaque generatim est « distributio *totius* in suas partes ». *Totum* autem quod dividi debet, vel est totum aliquod *physicum*, ex partibus nimirum reapse ac physice inter se distinctis compositum, quae idcirco partes *integrantes* dicuntur; vel totum *logicum*, notio videlicet universalis, quae alias sub se minus extensas notiones comprehendit, quas partes *subjectivas* vel inferiores appellant. Hinc duplex quoque divisio: divisio nempe physica, seu partitio; et divisio proprie dicta, quae logica etiam vel formalis nominatur.

398. *Partitio* igitur est « distributio totius in partes suas integrantes ». Talis est divisio *arboris* in radices, truncum et ramos; *humani corporis* in varia sua membra.

Haec autem vel est naturalis, - quemadmodum in allatis exemplis videre est; vel *artificialis*, uti, v. gr., partitio regni in certos tractus vel provincias. Utcumque vero sit, *completa* et *ordinata* esse debet.

399. Divisio *logica* est « totius in subjectivas suas partes distributio »; vel etiam, « distributio

generis in suas species seu formas ». Hujusmodi est divisio *animantis* in rationale et irrationale; *parallelogrammorum* in quadrata, rectangula, rhombos et rhomboides (1).

Ex hoc patet, sicuti per definitionem resolvitur ideae *comprehensio;* ita, divisionis ope, ejusdem *extensionem* resolvi (V. n. 157).

400. Jam vero, ut recta et legitima sit divisio, hae tres potissimum *regulae* servandae sunt:

1° Divisio sit *adaequata:* omnia videlicet enumerentur membra, quae in toto diviso continentur, adeo ut ea simul sumpta totum ipsum adaequent. Recta enim divisio est quaedam, inter *totum* divisum et ejus *partes*, aequatio.

2° *Ordinata:* eo nimirum ordine res, quae pertractari debent, dtstribuantur, ut a noto semper, quoad fieri potest, ad ignotum fiat progressus; ita ut quae praecedunt, iis quae sequuntur non indigeant, quo intelligi possint, sed id potius antecedat, quod sequentibus lumen afferat (2).

3° *Irreductibilis:* idest membra divisionis adeo sibi opponantur, ut nullum ex his jam in alio contineatur. *Vitiosum est enim*, inquit Cicero, *in dividendo partem in genere numerare* (De finib.): uti siquis, ex. gr., *quadrilaterum* in « parallelogramma, trapetium et quadratum » divideret; siquidem quadratum in parallelogrammate comprehenditur.

(1) Partitionem a divisione ita plane distinguit Cicero: *In partitione quasi membra sunt: ut corporis, caput, humeri, manus, latera, crura, pedes et cetera; in divisione formae sunt, quas graeci ἰδέας vocant: nostri, si haec fortasse tractant,* species *appellant.* (Topic.). Item Quintilianus *Sit igitur* divisio *rerum plurium in singulas,* partitio *singularum in partes discretus ordo.*

(2) *Quidquid,* ait Leibnitius, *sine altero cognosci potest, non vero alterum sine ipso, illud alteri praeponi debet.*

401. Postremum tamen hoc vitium facile devitari potest per *subdivisiones:* membra scilicet divisionis in partes alias minores tribuendo. Sed cavendum est, ne hae praeter modum accrescant, atque in nimias minimasque partes, - quemadmodum illorum est mos, qui mentis subtilitatem affectant -, fiat divisio; quae non perspicuitatem, sed majorem confusionem afferret (1).

At speciales ad hanc rem et determinatae regulae tradi haud facile possunt. Scilicet ab argumenti, de quo agitur, natura, necnon discentium conditione, ingenii dexteritate et similibus, norma petenda est. Prae ceteris autem juvabit, eorum opera attente consulere, atque exempla imitari, qui in didascalicis maxime excellunt.

Art. 3. — *De demonstratione.*

402. Veritates, quae vel immediate per se ipsae, vel ex simplici idearum comparatione nobis non innotescunt, detegit atque in aperto ponit ratiocinium. Quod proinde verum vel falsum est, prout veritatem, quo tendit, consequitur vel non (2). Ratiocinium insuper vel est tantum probabile, vel certum seu demonstrativum.

Ratiocinium *probabile* illud est, quod argumentis sive probationibus innititur, quae omnem non removeant errandi formidinem; unde *opinio* (V.

(1) *Nam comprehendere,* scribit Seneca, *quemadmodum maxima, ita minima difficile est..... Idem enim habet vitii nimia, quod nulla divisio. Simile confuso est quidquid usque in pulverem sectum est* (Epist. LXXXIX). Similiter Cicero, quamdam Epicuri divisionem carpens: *hoc est,* inquit, *non dividere, sed frangere rem.*

(2) Non est cur moneamus, ratiocinium per se nunquam esse falsum; sed id interdum eo solum contingere, quod homo ratiocinio ipso male utitur (V. n. 264).

n. 236). *Demonstrativum* autem seu apodicticum (quod etiam demonstratio simpliciter appellatur) dicitur illud cujus praemissae sunt certae, necnon necessaria conclusionis cum praemissis connexio; hinc *scientia* (V. n. 235). *Demonstratio* igitur definiri potest « veritatis alicujus, ex alia indubia veritate rite facta deductio ».

403. At enim, - si *demonstrare* nil est aliud, quam veritatem aliquam ex alia, in qua implicite continetur, deducere -, haec veritas, a qua deducitur, vel per se ipsa vel per aliam nota est; quod si per aliam, haec autem iterum per aliam innotescat, et sic deinceps...; aliqua tandem esse debet veritas *indemonstrabilis*, quae videlicet nulla demonstratione egeat; alioquin demonstratio abiret in infinitum; vel potius nulla demonstratio, nullum ratiocinium iniri posset, nulla obtineri scientifica cognitio. Unde manifesto conficitur, aliquid necessario naturâ homini notum esse: aliquam scilicet ïdeam, seu veritatem primam a natura illi tributam, evidentissima luce splendescentem, et a mente intuitive cognitam; quae, dum nullam patitur demonstrationem, omnium tamen demonstrationum fundamentum est, et in quam omnes humanae cognitiones tandem resolvuntur. Haec porro, uti jam saepius diximus, est idea *entis universalis* (1).

(1) In hoc autem plane nobiscum consentientem magnum Aquinatem habemus: « In demonstrabilibus, ait ipse, oportet fieri redu- « ctionem in aliqua principia per se intellectui nota......., alias in « infinitum iretur, et sic periret omnis scientia et cognitio rerum. « Illud autem quod primo intellectus concipit quasi notissimum, « et in quo omnes conceptiones resolvit est ens. Unde oportet quod « omnes aliae conceptiones intellectus accipiantur ex additione ad « ens » (*De veritate*).

404. Ex quo clare patet, supervacaneum, quinimo ridiculum plane esse, ea demonstranda suscipere, quae per se nota et evidentia sunt: ferme id esset, ac siquis lumen soli inferre vellet, ut amplius ac melius luceat (1).

At probe videndum, ne simplex rei explicatio pro demonstratione sumatur. Nam quaedam sunt propositiones, - tametsi axiomaticae, proindeque indemonstrabiles -, quas nihilominus, ut recte comprehendantur, explicare opus est. *Explicare* enim est aliis, clarioribus uberioribusque verbis illud ipsum exponere, quod in data propositione seu axiomate continetur; *demonstratio* contra, novum terminum, idest medium, postulat, qui relationem inter binos quaestionis terminos patefaciat.

405. Duplici potissimum sub respectu considerari potest demonstratio: vel nempe principii, unde proficiscitur (*punto di partenza*), vel modi, quo ipsa procedit.

Ratione *principii*, a quo demonstratio proficiscitur, duplex distingui solet: *a priori*, et *a posteriori*.

Demonstratio *a priori* illa vulgo nuncupatur, qua aliquid ex eo deducitur, quod naturaliter illud praecedit; uti *effectus* ex *causa*. Dicitur autem *a posteriori*, quum id quod praecedit deducitur ab eo, quod naturaliter consequitur: ex. gr. *causa* ab *effectu* (2). Sic *a priori* demonstratur animae

(1) Hinc sapienter Cicero: *Nam ego*, inquit, *neque in causis, si quid est evidens, de quo inter omnes conveniat, argumentari soleo: perspicuitas enim argumentatione elevatur* (De nat. deor.). Similiter doctissimus Adolphus Thiers: « Il n'y a rien de si fastidieux, rien de plus difficile, que de vouloir démontrer l'évidence. Elle se montre, et on ne la démontre pas » (*De la propriété*).

(2) Ad rem S. Thomas: *Una* (demonstratio) *est per causam, et dicitur*

humanae incorruptibilitas ex ejus immaterialitate; *a posteriori*, ex mundi ordine et pulcritudine, Dei existentia.

Sed animadvertendum hic est, elementum intellectuale, quod vere *a priori* dici possit, aliud non esse quam ideam entis; hoc quippe humanae mentis factum omnia alia facta, in ordine logico sive cognitionum, praecedit: *in ordine*, inquam, *cognitionum*, non vero *causarum efficientium*. Quapropter demonstratio *a priori* ea proprie appellanda videtur, per quam, ex simplici entis universalis idea, seu luminis rationalis intuitione, - nullo prorsus alio adhibito elemento -, aliquid deducitur (1). Quaelibet alia *a posteriori* dicenda est.

406. Duobus hisce demonstrationis generibus sunt qui demonstrationem addunt, quam *a simultaneo* appellant; quae in eo consistit, ut aliquid de re aliqua probetur atque inferatur ex idea seu definitione rei ipsius. Sic, ex definitione *circuli*, omnium ejus radiorum aequalitatem demonstramus. Item, ex definitione *lineae rectae*, latus quodlibet in triangulo rectilineo duobus aliis simul sumptis minus esse. Ejusmodi porro sunt geometricae, et omnes generatim mathematicae demonstrationes; quo fit, ut theoremata mathematica veritates etiam nominari consueverint, quae definitionibus innituntur (*verità di definizioni*).

Hinc nimirum tota oritur mathesis purae evi-

propter quid; *et haec est per priora simpliciter. Alia est per effectum, et dicitur demonstratio* quia; *et haec est per ea quae sunt priora quo ad nos. Cum enim effectus aliquis nobis est manifestior, quam sua causa, per effectum procedimus ad cognitionem causae.*

(1) Hac ratione, ut in Metaphysica videbimus, existentia Dei invictissime demonstratur. Quinimo, - demonstratione *a priori* hoc sensu accepta -, affirmamus, nullam aliam realitatem, praeter Deum, *a priori* demonstrari posse.

dentia et certitudo: hujus quippe scientiae objecta et materiam non exterius accipimus, sed ipse humanus spiritus sibi quodammodo construit ac conficit; vel melius, in ente ipso universali, ceu totidem ejus elementa et explicationes, intuetur (1).

407. Si *modus* consideretur, quo demonstratio procedit, directa est, vel indirecta.

Directa nuncupatur illa, quae, datam propositionem accuratae analysi subjiciendo, veram esse demonstrat; seu clare ostendit, propositionem demonstrandam in alia propositione, vel per se evidenti vel jam demonstrata, omnino contineri, idest cum illa quodammodo identificari. *Indirecta* vero dicitur, quum, ad propositionem aliquam probandam, huic contradictoriam tanquam veram supponimus; atque hinc legitime argumentando, in absurdam prorsus conclusionem impingimus. Unde conficitur, falsam aeque et absurdam esse propositionem illam, ex qua haec deducitur conclusio, - ex vero namque nil nisi verum legitime fluit; proptereaque veram esse propositionem quam demonstrandam suscipimus (V. n. 353). Hinc hu-

(1) Si igitur mathesis longe ab aliis disciplinis ac scientiis excellit, id non methodo qua utitur, sed intimae potius ejus naturae tribuendum est. Evidentia quippe mathematica, ut optime Reidius animadvertit, est quaedam evidentia *sui generis*, quae nonnisi propositiones complectitur, relationes exhibentes, quas lineae vel numeri dimetiri possunt. Hinc maxime falluntur, qui, mathematicorum progressus admirati, non aliter et de ceteris scientiis fore arbitrantur, si his methodus, mathesi propria, accommodetur. Quis enim, amabo, animi nostri affectiones, v. gr., quis intelligentiam et voluntatem, bonum et pulcrum inter *quantitates* (quae sunt mathesis objectum) enumeret? Quid igitur de scriptore nostrorum temporum aequali (Melchiore Gioia) dicendum, qui leges, jura, officia, contractus, delicta, virtutes, ceu totidem additiones, subtractiones, multiplicationes, divisiones voluptatum et dolorum existimat? qui civilem atque poenalem legislationem, veluti sensibilitatis arithmeticam habet? (V. n. 239).

jusmodi demonstrandi genus vocatur etiam *reductio ad absurdum* (1).

Sic *directe* demonstrant geometrae, « in triangulo isoscele angulos lateribus aequalibus oppositos, inter se aequales esse »; *indirecte* vero, « si in triangulo bini anguli inter se sunt aequales, latera hisce angulis opposita, aequalia pariter esse, idest triangulum esse isoscele ». Similiter, directe contra scepticos demonstravimus, veritatem existere eamque homini perviam esse (V. n. 214...); indirecte autem (n. 220...), scepticos ipsos contradictionis arguendo (2).

408. Ad demonstrationes indirectas ea pertinet etiam, quae fit per *partium exclusionem* (hanc Mathematici *methodum exhaustionis* appellant). Quae in eo posita est, ut, facta casuum possibilium, - modorum scilicet omnium, quibus res aliqua esse aut fieri potest -, enumeratione, singuli deinceps legitime excludantur, uno tantum excepto; qui propterea nequit non esse proprie vereque ille quem quaerimus. Sic universalem ideam entis humanae menti congenitam, - a Deo nempe in illa quodammodo, ab ejus ortu, impressam atque insculptam esse -, certissime constabit, si

(1) De qua ita celeber F. Arago: « Lorqu'ils ont à opter entre deux propositions diamétralement opposées; lorsque l'une étant vraie, l'autre est nécessairement fausse, et que rien, de prime abord, ne semble pouvoir dicter un choix rationnel, les géomètres se saisissent de ces propositions contraires; ils les suivent minutieusement de ramifications en ramifications; ils en font surgir leurs dernières conséquences logiques; or la proposition mal assise et celle-là seulement, manque rarement de conduire par cette filière à quelques résultats qu'un esprit lucide ne saurait admettre ».

(2) In egregio opere, nuper memorato, cui titulus *De la propriété*, clarissimus vir, A. Thiers, directe primum demonstrat, societatis ordinem, individuae proprietatis principio omnino inniti. Hoc autem ipsum, in lib. 2° demonstrat indirecte, ridicula plane et absurda, quae ex *communismo* recta fluunt, patefaciendo.

hanc neque a sensibus externis, neque ab interno existentiae nostrae sensu oriri, neque a mente ipsa gigni, neque tandem, in ipso perceptionis actu, illi extemplo adesse demonstramus (V. n. 179).

Paucis itaque: In demonstratione directa, ostenditur, rem ita vere esse; in indirecta, aliter esse non posse.

409. Ex demonstrationis definitione patet, quo recta et efficax sit, duo omnino requiri: ut nullum videlicet, neque in ejus *materia*, neque in ejus *forma* sit vitium. Prima habebitur conditio, si propositiones omnes quae ad alias probandas adhibentur, sint definitiones, quae in disputationem venire non possunt (cujusmodi sunt nominales, V. n. 388); vel principia rationalia, per se certissima nullaque demonstratione egentia; vel principia cujuspiam disciplinae propria, per legitimam inductionem constituta; vel tandem propositiones jam antea demonstratae. Altera vero conditio obtinebitur, si conclusionis ex praemissis deductio fiat secundum immutabiles ratiocinii leges a logica praescriptas, quas suo loco exposuimus.

Numeris autem omnibus absoluta erit demonstratio, si *brevis* insuper, *perspicua* et *elegans* sit. Praestantiora ad hanc rem exempla quis alibi frustra, quam in mathematicis disciplinis, fortasse requiret.

CAPUT II.

De disputatione.

410. *Disputare*, quasi *hinc et inde putare*, est de re quapiam inter duos disserere; quorum alter propositionem aliquam tanquam veram tueri nititur, alter autem oppugnat.

Interdum hujuscemodi concertationes non ex animo, sed, ut in fictis certaminibus fieri solet, ad ingenia exercenda habentur. Disputatio siquidem veluti ars quaedam gymnastica considerari potest, juvenum praesertim mentibus excutiendis atque explicandis maxime idonea; atque ad veritatem, sive investigandam, sive aliis patefaciendam, sive magis magisque confirmandam comparata. Quamquam saepe, non tam rei, quam hominum vitio, fit, ut inutiles disputationes evadant; quin et aliquando ab his veritas ipsa labefactetur. Quod ne contingat, generales quasdam disputandi regulas dabimus; quibus nonnulla de praecipuis disputationum generibus adjiciemus.

411. Quum itaque disputatio aliqua instituitur, opus est:

1° Circa quaedam principia utrinque convenire.

2° Vocabulorum, quae adhibentur, sensum probe determinare.

3° Statum quaestionis clare et aperte constituere (V. n. 301) (1).

---

(1) *Nisi inter eos qui disceptant*, inquit Cicero, *convenit quid sit illud, de quo ambigitur, nec recte disseri, nec unquam ad exitum perveniri potest* (Orator). Et rursus: *Id faciam, quod in principio fieri in omnibus disputationibus oportere censeo, ut quid illud sit, de quo disputatur, explanetur, ne vagari et errare cogatur oratio, si ii qui inter se dissenserint, non idem esse illud de quo agitur intelligent* (De Orat.).

4° Non victoriae adversario eripiendae, aut propriae sententiae utcumque propugnandae, sed detegendae, vel communicandae, vel tuendae veritatis causa, ad disputandum accedere (1).

5° Demum ab iis prorsus in disputando nos temperare, quae vel adversarium laedere, vel ad iram concitare possunt. Iisdem quippe armis et adversarius in nos ipsos uti posset, quin ullus interea in quaestionis enodatione fiat progressus (2). Quod si tamen cum ejusmodi adversariis nobis res sit, quibuscum serio disputari nequit, - quosque recte *logophobos* Socrates appellat -, hos risu etiam excipere atque refellere profecto licet. Metuendum sane ac terribile armorum genus! quod proinde caute admodum et temperanter adhibendum est. Attamen, ubi usus sit, *ridendo dicere verum, quid vetat?* ait Horatius.

412. Sed varia, ut innuimus (n. 410), disputandi ratio distinguitur, seu variae sunt disputationis species: inter quas praecipue *Academica*, et quae ab auctore suo, *Socratica* dicta est.

Art. 1. — *De disputatione academica.*

413. Disputationes academicae seu scholasticae illae dicuntur, quae ut plurimum syllogistica forma institui solent. Ita enimvero publicae olim con-

---

(1) *Eamque* (philosophiam) *nos adjuvemus*, ut idem monet Cic., *nosque ipsos redargui refellique patiamur..... Nos..... et refellere sine pertinacia, et refelli sine iracundia parati sumus* (Tusc. disput.).

(2) In rem Fenelonus: « Il ne suffit pas d'avoir raison; c'est la gâter que de la soutenir d'une manière brusque et hautaine ».

troversiae inter doctos agitabantur;et etiamnum, studiosae juventutis exercendae causa, in scholis interdum fiunt.

Hujuscemodi porro disputandi ratio ita ferme procedit: Qui propositionem aliquam seu thesim tuetur, *defendens;* qui vero oppugnat, *opponens* vel adversarius nominatur. Postquam igitur defendens thesim suam validissimis, quibus potest, rationibus communitam exposuit, adversarius, - vel enthimemate, vel syllogismo, vel alia argumentationis forma -, illam adgreditur. Opponentis argumentationem ad litteram repetit defendens; dein per singulas ejus propositiones discurrens, ad trutinam eas vocat, concedendo, prout opus fuerit, vel distinguendo, vel negando; qua de re illud dialecticorum prae oculis semper habet: *Saepe nega, concede parum, distingue frequenter.* Ad pugnam iterum accedit opponens; iterumque ictum repellit defendens; idque vicissim, usque ad exitum certaminis, forma syllogistica utens uterque. A qua tunc solum recedere fas est, quum hac disputantes, - uti non raro contingit -, impliciti atque impediti, *extra formam* abire constituunt.

414. Speciales autem, et pro opponente et pro defendente regulas proponunt dialectici; quas tamen libenter praetermittimus. Citius namque ac facilius, ubi opus fuerit, exercitio, quam magna praeceptorum copia addisci illas posse arbitramur.

Id solum monemus, valde cavendum, ne hujusmodi disputationes in rixas et digladiationes sophisticas, in vagos sermones, vel declamationes ineptas degenerent; neque unquam, - magno sane

literarum dedecore et veritatis detrimento -, tristissima, ut de aliis sileam, Realium et Nominalium (V. n. 158) exempla renoventur (1).

Art. 2. — *De disputatione socratica.*

415. Altera disputandi methodus, *socratica* dicta est, quod ea potissimum Socrates uteretur; uti ex Platone et Xenophonte discimus. Haec methodus, per dialogos amice institutos, in verum tranquille inquirit, non ostentationis et victoriae pruritu, sed magis ut veritatem, consiliorum communicatione partam, candide patefaciat (2).

Ergo in hac familiari disputatione, qui alium aut edocere aut confutare vult, primum se rei de qua agitur, vel omnino imperitum simulat, vel summa vix capita doctum. Quod ita faciendum est, ut ironia lateat. Deinde minutatim illum, quocum disputat, interrogat, addubitat de singulis et paullatim, quasi illo minime sentiente, ad veritatem ducere conatur. Tum ejus responsa maxima humanitate et affabilitate excipit; indolem, capacitatem, perspicuitatem laudat, et, si junior sit, magnam se de illo spem animo concepisse declarat; cavet a verbis paullo asperioribus, ab ironicis gestibus aut nutibus, quae alterius animum exasperare,

(1) *Dissentientium inter se reprehensiones*, inquit Cicero, *non sunt vituperandae; maledicta, contumeliae, tum iracundiae, contentiones concertationesque in disputando pertinaces, indignae mihi philosophia videri solent* (De finib.). Item, S. Augustinus: *In collatione disputationis hoc cavendum est, ne prorumpatur in litem.*

(2) *Is enim* (Socrates) *percontando atque interrogando, elicere solebat eorum opiniones, quibuscum disserebat, ut ad ea quae ii respondissent, si quid videretur, diceret:* ita Cicero (*De finib.*). In Tusculanis autem disputationibus: *Haec est enim vetus et socratica ratio contra alterius opinionem disserendi. Nam ita facillime, quid verisimillimum esset, inveniri posse Socrates arbitrabatur.*

vel a disputatione avertere possunt. Jam postquam omnia laudaverit, ejus responsa, velut quae minus intelligat, revocat ad incudem examinatque, acute quidem sed humanissime. Eam vero methodum sectatur, quousque is idem, cum quo disputat, fateatur se victum, testimoniumque ipse adversum se dicat. Hinc patet, cur Socrates crebro assereret, se nullum alium velle judicem, quam eum ipsum quocum disserebat; idque solemne illi esset: « hoc unum scire, se nihil scire »; sed efficere interrogando, ut adolescentes, quae scirent, proferrent.

416. Sed haec, quae raptim de methodo socratica delibavimus, nonnisi e Xenophontis et Platonis praesertim librorum lectione, plane intelligi possunt. Ut autem aliquod socraticae disputandi rationis specimen lector noster habeat, inter plures alios, dialogum ex Platonis *Alcibiade primo* excerptum exhibemus; in quo Socrates, cum Alcibiade colloquens, discrimen inter animam et corpus solide ac nitide constituit: — « *Socrates:* Nonne aliud quiddam est qui dividit, et quo dividitur quicquam? *Alcibiades:* Quidni? — *S.* Item aliud Citharaedus, aliud quo citharam pulsat? *A.* Aliud. — *S.* Hoc paullo ante interrogabam, an utens et quo utitur, semper aliud esse videatur. *A.* Videtur. — *S.* Cerdonem incidere dicimus instrumentis tantum, an etiam manibus? *A.* Et manibus. — *S.* Et iis ergo utitur. *A.* Utitur. — *S.* An non et oculis utens coria incidit? *A.* Prorsus. — *S.* Utentem vero aliud quiddam ab his quibus utitur, esse concessimus. *A.* Concessimus. — *S.* Cerdo igitur et Citharaedus aliud quiddam sunt, quam oculi et manus quibus utuntur. *A.* Apparet. — *S.* Nonne toto corpore homo utitur? *A.* Penitus. — *S.* Aliud utique utens, et quo utitur. *A.* Sic est. — *S.* Homo ergo a suo corpore aliud est. *A.* Videtur. — *S.* Quid est igitur homo? *A.* Ignoro. — *S.* Scis esse quod corpore utitur. *A.* Scio ».

417. Quis porro hanc docendi ac disputandi methodum, caeteris longe praestare non videt? Duabus quippe, iisque insignibus utilitatibus commendatur dialogus: nam et attentionem excitat in auditore, ejusque animi facultates utiliter exercet. Qui enim interrogatur, quum sibi respondendum esse sciat, omnes animi vires colligit intenditque, et dum respondere studet, ingenium acuit, sibique hac ratione, veluti per se ipse veritatem reperiisse, potiusquam ab alio accepisse videtur. Quo mehercule nil ad animum suavissima voluptate perfundendum, atque ad alias investigandas veritates excitandum magis idoneum esse potest. Nam *unusquisque*, ut Q. Curtius animadvertit, *quod ipse reperit, aut solum aut optimum ducit.* Hac enimvero disputandi methodo plana, candida et amplificando ingenio peraccommodata usi fuere maximi philosophi, ex ipsis etiam Ecclesiae patribus, inter quos praesertim S. Augustinus; ut profecto mirari subeat, institutum tam luculentum a scholis recentioribus deseri potuisse: nempe dicacitas et amor pugnandi plerosque in transversum egit, ut non tam in veritatem respicerent concertantes, quam in ostentationem et fucum.

—

CAPUT III.

De veritatis defensione, sive apologia.

418. *Apologia*, a graeco ἀπολογέομαι *(dicendo refuto)* est « oratio, qua se quis et sua, vel aliorum facta aut dicta defendit; aliorumque accusationes et argumenta refellit »; atque a bellando, *polemica* quoque dicta est.

Quanquam proprie apologia vocatur, si quis se ab aliorum impetu defendit; polemica vero, si alios adgreditur.

419. Sed terminos hac de re, ab aequitate et prudentia praefinitos nonnulli praetergrediuntur: doctrinarum quippe atque principiorum causam cum causa hominum confundunt, et, dum principia tueri iisque patrocinari videntur, in homines ipsos saeviunt (1). Quod enimvero maxima animadversione dignum est. Nam, etsi *principiorum* et *hominum* qui haec profitentur, causae intimo nexu tenentur, sunt tamen distinctae, neque una simul eas miscere licet. Ex quo fit, ut qui pro veritate propugnare, eamque ab adversariorum aggressionibus defendere studet, errorem ab errante omnino secernere: illum videlicet totis viribus profligare, huic vero parcere multoque eum amore prosequi debeat (2).

---

(1) *Magna pars hominum est*, inquit Seneca, *quae non peccatis, sed peccantibus irascitur* (De ira).

(2) Hoc nempe in ingenui hominis ac veritatis studiosi more positum est: *insectatur vitia, non homines, nec castigat errantes, sed emendat*, uti ait Plinius. « In quanto poteva, subdit Dantes (in *Convivio*), gli errori della gente io abbominava e dispregiava, non per infamia o vituperio degli erranti, ma degli errori ».

420. Verissimum tamen est, quosdam errores esse, quos rectissimo licet animo, in lucem proferre, nedum in illos pugnare non possis, quin eosdem profitentibus gravissimam injuriam inferre videaris (1). Atqui nulla est injuria, quae in volentem fit. Nam si auctor quispiam dedecus potius quam laudem ex opere suo consequitur, nonne sibi imputare debet? nonne justam expendit poenam? An fortasse, ne cuiquam molesti simus, veritatem obtegere fas nobis erit, et pati imperitorum mentes erroribus corrumpi? « Nunquam, recte ait Montesquieu, sunt reprehensiones operum contumeliosae in auctores ipsos existimandae, nisi qui reprehendunt, velle omnino videantur non opus ipsum castigare, sed auctorem laedere ».

421. En itaque ad hanc rem (praeter ea, quae de librorum interpretatione diximus, n. 324), aliquot regulas et principia, ad quae litterarias quascumque disquisitiones componendas esse censemus:

1° Unicuique jus est, de libris in lucem editis atque vulgatis cognoscere ac judicium ferre. « Licet profecto, subdit laudatus Montesquieu, de libris qui publici juris sunt judicium cuique suum proferre. Is enim esset perridiculus, qui cum docere alios vult, renueret seipse doceri. Qui nos admonent, nostrorum sunt laborum socii; auctor et censor, quos tenet studium veritatis, communi utilitate ducuntur: est enim veritas totius generis

---

(1) « Riesce pur difficile, uti Rosminius animadvertit, il pigliare a combattere una specie di errori, senza che egli sembri all'esteriore, che si voglia far guerra all'uomo che li professa: perocchè vi sono degli errori d'una faccia così deforme, che il pure accennarli in un'opera celebrata, benchè verissimamente vi si trovino, pare un'ingiuria fatta all'autore di essa » (*Apologetica*).

humani bonum commune. Quare non jam hostes, verum foederati potius, earumdemque partium studiosi ac fautores habendi sunt ».

2° Quum opus aliquod excutimus, numquam ejus auctori adblandiri licet, sed ingenue atque aperte veritas est proferenda. Interim vero nefas esset, plus aequo ipsum lacessere, eo autem magis, errores illi tribuere, quorum omnino expers est.

3° Hoc autem postremum tunc praesertim curae nobis esse debet, quum de erroribus agitur, qui ad mores vel religionem spectant. Hisce tamen in casibus videndum, ne aliqua fortasse personarum acceptio a libera et sincera nos abducat operis discussione: de rebus enim agitur, quae boni et commodi societatis (qui unicus scriptoris finis esse debet) maxime intersunt.

4° Quisquis errores, quibus libri vitiantur, - cujuscumque generis sint, sed eos potissimum qui moribus vel religioni officiunt -, libere evulgat, hic profecto tantum abest ut intoleranter et perfide agat, quin imo litteris et publicae rei gratissimum facit (1).

5° Denique errores, qui in libro aliquo haud dubie continentur, in vulgus proferri possunt, etiamsi illius auctor obscuris et ambiguis verbis eos obvolvere studet; si tamen errores hujusmodi, ex his quae scriptor ipse aperte declarat, certissime colligantur.

422. Ubi haec principia, necnon generales disputandi regulae nuper propositae (n. 411) probe

---

(1) « Il rilevare gli errori..... specialmente morali e religiosi, sparsi nei libri, è un benefizio che si fa alla scienza ed al pubblico, non un peccato d'intolleranza »: haec Rosminius in opella, cui titulus *Saggio sulla dottrina religiosa di G. D. Romagnosi.*

teneantur, nemini dubium, quin plurimum, non ad veritatem solum tutandam, sed interdum etiam ad illam detegendam, vel magis magisque confirmandam conferre possit polemica: veritas namque per contraria ventilata magis elucescit (1). Quo sensu, vel errores ipsos et sophistarum calliditates veritati prodesse de eaque bene mereri affirmamus (2).

---

(1) *Tantum abest,* inquit Cicero, *ut scribi contra nos nolimus, ut id etiam maxime optemus. In ipsa enim Graecia, philosophia tanto in honore numquam fuisset, nisi doctissimorum contentionibus dissensionibusque viguisset* (Tusc. disp.).

(2) « Riconosciamo noi pure, ait Rosminius, che i sofisti in qualche senso sono gli antesignani del progresso scientifico, in quanto che, con sempre nuove assurdità, essi riscuotono quelli che possedono il vero dalla loro quiete, e li sforzano all'opera di sospingere innanzi l'umano intendimento » (*Introduzione* ecc.).

Habita facultate.

INDEX

LOGICAE GENERALIS ELEMENTA
(*pag.* 141)

PARS PRIMA

PARS ALTERA

PARS TERTIA

PETRI ANTONII CORTE

IN R. TAURINENSI ATHENAEO ANTEHAC PROFESSORIS

ELEMENTA PHILOSOPHIAE

IN USUM SEMINARIORUM

VOLUMEN II.

METAPHYSICA

Ut Deos esse natura opinamur, qualesque sint ratione cognoscimus: sic permanere animos arbitramur consensu nationum omnium; qua in sede maneant, qualesque sint, ratione discendum est.

Cic., *Tusc. quaest.*, I, 16.

TAURINI
Ex Typ. Pontificia et Archiepiscopali
EQ. PETRI MARIETTI
1874

ILL.MO AC REVEREND.MO

D. D.

ALOYSIO MORENO

EPISCOPO EPOREDIENSI

ETC. ETC.

IN SEMINARIO MONREGALENSI CONDISCIPULO QUONDAM SUO

DOCTRINA ATQUE INTERIORIBUS LITTERIS PLANE ERUDITO

JUSTO AC TENACI PROPOSITI VIRO

RELIGIONE OFFICII MORUM GRAVITATE SPECTATISSIMO

IN VETERIS AMICITIAE OBSERVANTIAE ET GRATI ANIMI PIGNUS

Sacerdos P. A. CORTE
Philosophiae Professor emeritus.

ERRATA		CORRIGE
Pag. 6, lin. 18	— *capulatum*	*copulatum*
» 18, » 10	— quaequae	quaeque
» 21, » 29 / » 22, » 33	corp	corps
» 86, » 1	— transformationem	transformatione
» 93, » 29	— *veritatem non esse*	*veritatem esse*
» 161, » 20	— identitatis	entitatis
» 165, » 2	— complurae	complures

Quae alia fortasse exciderint, lector benevolus emendabit.

METAPHYSICES ELEMENTA

1. *Metaphysica*, uti jam alias innuimus (Vol. I, *Praef.*, n. v), est doctrina philosophica de ente reali; idest « scientia, quae in ultimis entium realium rationibus inquirendis versatur »(1).

Porro entia realia, quae ab homine investigari, quorumque rationes perquiri naturaliter possunt, haec omnino sunt: *Deus* et *mundus*. Binas igitur partes complectitur Metaphysica: quarum altera de Deo, de ente scilicet reali seu subsistente infinito; altera vero de mundo, sive de ente subsistente finito, agit (2).

2. Sed, quod ad hanc spectat, animadvertimus, doctrinam de mundo dupliciter pertractari posse: vel nimirum physice (quod quidem ad libri hujus institutum nihil pertinet) vel meta-

(1) Vox *metaphysica* unde originem duxerit, incertum est. Hanc enimvero neque a graecis neque a latinis scriptoribus, dum eorum lingua floreret, usurpatam novimus. Quo factum est, ut varias apud varios significationes obtinuerit; quinimo nullum est aliud fortasse vocabulum, quod in tot a philosophis tamque diversos sensus distractum sit (caeterum autem, usitatum adeo et pervulgatum in scholis vocabulum expungere, aliudque illi sufficere, jam nemini fas esset). A nonnullis metaphysica pro ipsa *Ontologia* accipitur; quae est sermo seu theoria de ente in universum. Sancto Thomae est scientia substantiarum simplicium, idest a materia secretarum. Aliis est scientia, quae causis primis studet; aliis scientia principiorum; aliis scientia absoluti; aliis aliud. Per Rosminium autem, quem et nos sequimur, est, uti diximus, illa scientiae philosophicae pars, quae ultimas entium realium rationes investigat.

(2) Doctrina seu sermo de mundo dicitur *Cosmologia;* mundus enim graece est *κόσμος ordo:* quasi *ornatus et elegans*, uti Ludovicus Vives interpretatur.

ERRATA	CORRIGE
Pag. 6, lin. 18 — *capulatum*	*copulatum*
» 18, » 10 — quaequae	quaeque
» 21, » 29 / » 22, » 33 — corp	corps
» 86, » 1 — transformationem	transformatione
» 93, » 29 — *veritatem non esse*	*veritatem esse*
» 161, » 20 — identitatis	entitatis
» 165, » 2 — complurae	complures

Quae alia fortasse exciderint, lector benevolus emendabit.

METAPHYSICES ELEMENTA

1. *Metaphysica*, uti jam alias innuimus (Vol. I, *Praef.*, n. v), est doctrina philosophica de ente reali; idest « scientia, quae in ultimis entium realium rationibus inquirendis versatur »(1).

Porro entia realia, quae ab homine investigari, quorumque rationes perquiri naturaliter possunt, haec omnino sunt: *Deus* et *mundus*. Binas igitur partes complectitur Metaphysica: quarum altera de Deo, de ente scilicet reali seu subsistente infinito; altera vero de mundo, sive de ente subsistente finito, agit (2).

2. Sed, quod ad hanc spectat, animadvertimus, doctrinam de mundo dupliciter pertractari posse: vel nimirum physice (quod quidem ad libri hujus institutum nihil pertinet) vel meta-

(1) Vox *metaphysica* unde originem duxerit, incertum est. Hanc enimvero neque a graecis neque a latinis scriptoribus, dum eorum lingua floreret, usurpatam novimus. Quo factum est, ut varias apud varios significationes obtinuerit; quinimo nullum est aliud fortasse vocabulum, quod in tot a philosophis tamque diversos sensus distractum sit (caeterum autem, usitatum adeo et pervulgatum in scholis vocabulum expungere, aliudque illi sufficere, jam nemini fas esset). A nonnullis metaphysica pro ipsa *Ontologia* accipitur; quae est sermo seu theoria de ente in universum. Sancto Thomae est scientia substantiarum simplicium, idest a materia secretarum. Aliis est scientia, quae causis primis studet; aliis scientia principiorum; aliis scientia absoluti; aliis aliud. Per Rosminium autem, quem et nos sequimur, est, uti diximus, illa scientiae philosophicae pars, quae ultimas entium realium rationes investigat.

(2) Doctrina seu sermo de mundo dicitur *Cosmologia*; mundus enim graece est κόσμος *ordo*: quasi *ornatus et elegans*, uti Ludovicus Vives interpretatur.

physice, idest mundum in rationibus suis considerando.

Quas tamen rationes vel in mundo ipso, vel in efficiente ejus causa, nempe Deo conditore, perscrutare licet.

3. Si mundus in seipso consideretur, hunc *materia*, *animabus sensitivis* et *intelligentiis* constare deprehendimus. At materia aliud proprie non est, nisi terminus animae sensitivae (V. *Logica*, n. 13 et seq.) a qua reapse nequit distrahi, quin una simul in nihilum redigatur: profecto, si materia nullomodo sentitur, jam omnis illius conceptus evanescit. Ut igitur materia, sicuti revera est, concipi possit, utpote animae, quae illam sentit, conjuncta considerari debet.

Quapropter doctrina de mundo, - quatenus ultimam ejus existentiae rationem in ipsomet investigat (rationem videlicet, quae illum tamquam ens intellectu perceptibile constituit) -, cum animae ipsius scientia inseparabiliter connexa procedit; quatenus vero ultimam mundi rationem in ejus causa, a mundo ipso diversa, scrutatur, ad illam manifesto pertinet scientiam, quae de Deo, vera et una rerum omnium causa, agit.

4. Bina itaque entia realia, humanae intelligentiae pervia, supersunt, circa quae, tamquam sibi proprium objectum, Metaphysica versatur: *Spiritus* nempe *infinitus* (Deus) et *spiritus finiti*; horum autem genera duo, - idest animae humanae, et intelligentiae purae, uti appellant, sive angeli -, distinguenda sunt. Sed de intelligentiis angelicis dicere omittimus: id quippe ad theologos, nostra quidem sententia, proprie spectat.

5. Quibus omnibus conficitur, in duas partes

Metaphysicam recte dividi posse: in *Theologiam* nempe *rationalem*, quae de Deo agit; et *Psychologiam*, quae de anima humana (1).

Jam porro, si argumenti, quod pertractat, excellentiae ratio habeatur, Theologia profecto Psychologiam praecedat, necesse est. Ita enimvero agunt theologi; qui a Deo, supremo rerum omnium auctore, proficiscentes, ad creaturas progrediuntur. At contraria via incedit philosophus: ab his enim, praesertim vero ab humani spiritus consideratione, ad Deum ipsum ratiocinando assurgit; juxta illud sancti Augustini: *Noverim me, noverim te* (2).

---

(1) Doctrina de spiritibus finitis et creatis generatim vocatur *Pneumatologia* (a graeco πνεῦμα *spiritus*); quae iccirco, late sumpta, *Psychologiam* et *Angelogiam*, sive tractationem de angelis, amplectitur. Hanc nihilominus, - tametsi angelorum existentiam, naturali ratione duce, aliquatenus etiam demonstrare licet, ab eorumdem congruentia cum Dei conditoris attributis illam inferendo -, philosophia, utpote ab instituto suo alienam, ut diximus, missam facit, eamque Theologiae opportunius evolvendam relinquit.

(2) Deus quippe, ex Socraticorum et Ecclesiae patrum sententia, ab effectibus cognoscitur: inter hos autem incorporea hominis natura eminet; cujus proinde, prae aliis quibuscumque, cognitio ad Dei cognitionem recta nos ducit. Duplicem hanc, ad Deum quod spectat, doctrinam ita plane, in *Summa contra gentes*, distinguit S. Thomas: *In doctrina philosophiae, quae creaturas secundum se considerat et ex eis in Dei cognitionem perducit, prima est consideratio de creaturis et ultima de Deo; in doctrina vero fidei, quae creaturas nonnisi in ordine ad Deum considerat, primo est consideratio Dei, et postmodum creaturarum*. Eamdem autem doctrinam passim repetit Aquinates; eique omnino consentit Gersonus, ubi animadvertit, *Itinerarium* S. Bonaventurae philosophicum esse, quia ab rebus creatis procedit ad Deum; ejus autem *Breviloquium* esse theologicum, quod a Deo ad creaturas descendit.

—

PARS PRIMA

PSYCHOLOGIA RATIONALIS.

6. *Psychologia* (a graeco ψυχή, *anima*) generatim est sermo, vel «scientia de anima humana». Atque in experimentalem seu empiricam, et rationalem dividi solet.

Quae tamen utpote binae, eaeque inter se distinctae scientiae, uti aliquibus placet, habendae non sunt; quarum altera *ratiocinatione*, altera *observatione* unice utatur: perinde quasi hanc ab illa secernere liceret. Atqui proprie dicta observatio, absque rationis adjumento, esse nequit: aliud quippe *sentire*, aliud *observare* est. Quapropter una vere est atque indiscreta animae humanae scientia (Psychologia); quae tamen duplici sub adspectu considerari potest, pro diversa, qua circa objectum suum versatur, ratione: vel enim naturalibus hominis seu animae humanae potentiis, quatenus interna observatione et experientia nobis constant, simpliciter studet easque disponit et in classes dividit, - atque Psychologia *experimentalis* vel empirica nominatur; vel earumdem potentiarum rationes investigat, ex attenta videlicet ipsarum consideratione, legitima ratiocinando consectaria deducit, - eique Psychologia *rationalis* est nomen.

De Psychologia experimentali (vel, quemadmodum nos eam appellavimus, *Anthropologia in usum Logices*) jam antea sermonem habuimus.

Nobis modo de Psychologia rationali dicendum est; quae, ad praesens argumentum quod attinet, quatuor potissimum inquirit ac pertractanda adgreditur: idest animae humanae *naturam*, *originem*, ejus cum corpore *commercium*, postremo *immortalitatem*.

CAPUT I.

De animae humanae natura.

7. Hominem sentire, intelligere ac velle, vel brevius *cogitare*, unicuique planissime testatur conscientia. Aliquid igitur, *principium* nempe aliquod *cogitans* inest in homine; hoc porro, quodcumque demum sit, *anima* nuncupatur (1).

---

(1) Sed aliis quoque nominibus principium hoc donari solet: modo enim *animus*, modo *mens* appellatur. Quanquam, stricte loquendo, *animam*, quatenus sentit; *mentem*, quatenus intelligit; quatenus autem vult, *animum* proprie illud dixeris. Sic Virgilius (*Aeneid*. VI):

. . . . magnam cui mentem animumque
Delius inspirat vates.

Quam sententiam referens Servius: « Perissologia est, inquit, « *mens* et *animus*; quamvis pro *sapientia* mens accipiatur et *intellectu*, « animus vero pro *voluntate*, ut Terentius (in Andria): *mala mens*, « *malus animus* ». Similiter Cicero: *Mens, cui regnum totius animi a natura tributum est* (Tusc. disp.). Et alio loco: *Animus ita est constitutus, ut et sensibus instructus sit, et habeat praestantiam mentis, in qua est mirabilis vis quaedam rationis, et cognitionis, et scientiae, virtutumque omnium* (De Finib.).

Animam autem ab *animo* probe distinguit Juvenalis (*Sat*. XV) ubi, de *grege mutorum* et terram spectantium loquens, ait:

. . . . Mundi
Principio indulsit communis conditor illis
Tantum animas, nobis animum quoque.

Item Seneca (*Epist*. LVIII): *Animantia quemadmodum divido? ut dicam, quaedam animum habent, quaedam tantum animam*. Et *Epist*. IV: *Difficile est, animum perducere ad contemptum animae*. Discrimen quoque inter utrumque vides apud Ciceronem: *Anima sit animus, ignisve nescio..... sive anima, sive ignis sit animus, eum jurarem esse divinum* (Tusc. disp).

Non raro tamen, vel ab ipsis aureae aetatis scriptoribus anima pro animo accipitur, hoc est pro parte hominis nobiliori et immortali. Sic Cic. (De nat. deor): *Anima rationis consiliique particeps*; et Sallustius: *Ingenii facinora, sicut anima, immortalia sunt* (Bell. Jugurt.).

Animae igitur existentia certissimum quoddam est factum, de quo nulla inter homines dubitatio vel controversia esse potest: hoc namque idem esset ac suipsius (τοῦ *ego*) existentiam negare aut in dubitationem adducere; quod profecto, uti jam alibi animadvertimus (*Logica*, n. 4), a communi sensu nimium abhorret (1).

8. At si de animae humanae existentia omnes una mente atque uno ore consentiunt, magna equidem de illius *natura* (*quid* nimirum sit anima) est inter philosophos opinionum discrepantia; quae tamen omnes ad binas, easque inter se omnino disjunctas et contrarias, reduci possunt.

Sunt qui animam, licet corpori conjunctam ac veluti alligatam, ab eo nihilominus maxime diversam, nullis videlicet partibus conflatam, nihilque illi, uti ait Cic., *admixtum, nihil concretum, nihil capulatum, nihil coagmentatum, nihil duplex* (Tusc. disp.), brevi, substantiam simplicem, immaterialem ac spiritualem esse docent: unde *Spiritualistae* vocantur; horum porro doctrinae nos omnino accedimus atque adhaeremus.

Alii contra animam a corpore ipso nequaquam distinguunt: vel enim cerebrum, vel systema nerveum, vel cor, vel sanguinem (2), vel aërem, vel

---

(1) « Qui jamais, inquit Damironus, a nié sa propre existence, cette existence qui se sent, cet être qu' il appelle *moi*, qu' il retrouve sans cesse en lui, et qu' il distingue de toute autre chose?... Le *moi*, cette substance individuelle qui a conscience d'elle-même,- nul système n'a tenté d'en contester la réalité: il y aurait trop d'absurdité » (*Essai sur l'histoire de la philosophie* etc.).

(2) *Aliis cor ipsum animus videtur: ex quo excordes, vecordes, concordesque dicuntur... Aliis pars quaedam cerebri visa est animi principatum tenere.... Empedocles animum esse censet, cordi suffusum sanguinem* (Cic., *Tusc. disp.*). Cum Empedoclis autem sententia consentire videtur illud Virgilii (*Aeneid.* IX): *Purpuream vomit ille animam.*

ignem (1), vel aetherem subtilissimum, vel tenuissimum aliquod fluidum corpori nostro inhaerens; paucis, aliquid concretum et materiale, animam esse opinantur: qui proinde *Materialistae* dicti sunt (2). Quorsum autem haec materialistarum commenta spectent, nullo negotio intelligitur: ut nempe inferre hinc possint, animam una cum corpore interire, nihilque homini superesse post mortem; totos idcirco in hoc nos esse debere, ut,

---

(1) *Animum alii* (dixerunt) *animam... nam et agere animam, et efflare dicimus... Zenoni stoico animus ignis videtur* (Cic., ibid.).

(2) In Ideologia animadvertimus (n. 189), a sensismo perniciosissima quaeque philosophorum systemata ortum habuisse; inter quae potissimum *scepticismum, materialismum* et *utilitarismum:* quorum ille *veritatis*, alter *spiritus*, tertius demum cujuscumque *moralis obligationis* existentiam negat. De scepticismo jam in Logica sermonem habuimus (n. 206); de utilitarismo agemus in Ethica. Dicendum modo de materialismo; quem a sensismo recta manare facillime constat. Profecto, si humanam cognitionem a sensatione omnino oriri, seu hanc, - uti sensistae loquuntur -, in ideam ipsam converti ac transformari ponamus, jam materialismus devitari nequit. Quid enim opus est *spiritus*, si nihil hic habet quod sensationi adjungat, hancque simpliciter ac passive recipit, ea ferme ratione, qua cera, in qua sigillum imprimitur, impressa recipit signa? Nonne sensationem aptius ac facilius substantia materialis excipiet, substantia videlicet, illi omnino similis, quae sensationem ipsam transmisit? « Chi non ha tanta virtù di mente, inquit Rosminius, da vedere l'assurdo, che le idee sieno fenomeni sensitivi, non può neppure ravvisare l'altro assurdo, che le sensazioni sieno fenomeni materiali. Quella mente che non sa conoscere il primo errore, è fors'anco meno atta ad accorgersi del secondo; chè dalla idea alla sensazione v'ha un tratto maggiore, che non dalla sensazione alla materia: col primo salto si precipita dall'infinito al finito; col secondo si va dal finito ad un altro finito, benchè di opposta natura » (*Introduzione ecc.*).

Quod magis etiam patebit, si consideremus, - internis factis atque conscientiae auctoritate posthabitis -, id solum, quod sensus externi testantur, certum esse sensistis; qui propterea quidquid cerni, aut tangi, aut generatim corporeo aliquo sensu percipi nequit, in commentis habent. Atqui spiritus seu anima hac via et ratione innotescere nobis haud potest; ergo, si secum ipsi consentiant (neque, uti Lockio et Condillaco contigisse compertum est, naturae bonitate fortasse vincantur) fit, ut animae existentiam necessario negent sensistae; seu potius, quod anima vulgo appellatur, nil praeter materiam sive corpus ipsum, ad cogitationis phaenomena gignenda affabre concinnatum, esse affirment. En purum putumque materialismum.

dum per tempus licet, voluptatibus fruamur; et, - cupidinibus, ventri atque somno dediti -, vitam uti peregrinantes transigamus (1).

9. Materialismum igitur, - teterrimam nempe doctrinam, quae moralem omnem ac religiosum sensum ab hominum animis radicitus evellit (quî enim cum ea moralitas, quî Religio potest consistere?) indeque hominem ipsum de gradu dejicit, totumque socialem ordinem pessundat (2) -, maxime profecto interest, vehementer oppugnare at-

---

(1) Ita enimvero, in lib. *Sapientiae*, loquuntur impii: « Exiguum et « cum taedio est tempus vitae nostrae.... ex nihilo nati sumus, et « post hoc erimus tamquam non fuerimus; quoniam fumus flatus est « in naribus nostris; et sermo scintilla ad commovendum cor nostrum; « qua extincta, cinis erit corpus nostrum, et spiritus diffundetur, tan- « quam mollis aër, et transibit vita nostra tanquam vestigium nubis, « et sicut nebula dissolvetur, quae fugata est a radiis solis, et a ca- « lore illius aggravata..... Venite ergo, et fruamur bonis quae sunt, « et utamur creatura tamquam in juventute celeriter » etc.

(2) Apte celeber physiologus Vireyus: « C'est manifestement un triste symptôme de désorganisation sociale, de dégradation intellectuelle et morale ou d'avilissement des caractères que présente l'adoption du matérialisme parmi les peuples. Celui-là, armé de la baguette magique de Circé, transforme les humains en animaux asservis à leurs sensualités (*Epicuri de grege porcos*). Pour eux en effet, le corps étant tout, l'essentiel consiste à se procurer les jouissances physiques, même *per fas et nefas*, principalement si l'on est riche et puissant. Il est donc facile d'y voir le prodrome inévitable de tous les genres de despotisme, de bassesse, et comme le ferment de putréfaction des sociétés politiques. Pour preuve interrogez la fange la plus crapuleuse et la plus ignoble, demandez aux scélérats eux-mêmes dans les bagnes et les cachots à laquelle des deux doctrines ils donnent la préférence, et voyez quels amis soutiennent les matérialistes » (*Revue médicale*, 1829). Vireyo autem eximius alter Gallus philosophus, idemque medicinae doctor, hisce verbis consentit: « Qui que vous soyez, philosophes, savants, physiciens, médecins, grands et petits, peuples et rois, tous enfin rejetez donc avec indignation le froid matérialisme et les théories de la mort et du néant; ayez en horreur cette désolante doctrine qui apprend à l'homme que tout finit à la mort pour lui comme pour la brute la plus vile, puisque cette philosophie animale laisse nos plus nobles facultés sans fin, Dieu sans providence, la religion sans but, la morale et les lois sans sanction et sans force, la société humaine sans appuis et sans garantie, le pouvoir sans frein, le méchant sans crainte et sans remords, et le malheureux sans consolation et sans espérance ».

que diruere: animam scilicet humanam, simplicem ac spiritualem esse, solidis argumentis evincere. Haec porro argumenta non desunt, atque ex naturalibus ejus facultatibus facile ducuntur.

Tres sunt, uti suo loco diximus (*Logica*, n. 5.), primariae ac fundamentales animae humanae facultates: *sensibilitas*, *intelligentia* et *voluntas*. Atqui sensus, intellectio et volitio, corporis seu materiei proprietas esse nequeunt; vel, quod eodem redit, subjectum sive principium sentiens, intelligens et voluntate ac libertate praeditum naturâ suâ simplex ac spirituale est.

Art. 1. — *Principium sentiens est simplex.*

10. Principium sentiens, simplex omnino nec proinde corporeum esse, aperte constat, si corporis naturam inspicimus: *multiplex* namque est corpus, dum principium sentiens est *unum*.

Profecto, essentialis proprietas corporis cujuscumque, prout nobis innotescit (de re quippe incognita nil affirmare licet) est *extensio*: natura nimirum corporis haec est, ut quaelibet illius pars, sive magna sive exigua (etiam si partes partibus perfecte adhaerere ponas) extra omnes alias sit. Unde conficitur, principium sentiens corpus esse non posse. Si enim sensibilitas corpori, tamquam ejus proprietas, insideret, jam inde sequeretur, singulas partes, quae in eo cogitatione distingui possunt, sentire; propterea que non unum, sed tot in unoquoque nostrum principia sentientia esse, quot in corpore sunt partes, scilicet innumera. Quodlibet insuper ex hisce principiis sen-

tientibus propriam solummodo partem, nequaquam vero totum corpus, unico sensu fundamentali, sentiret. Quae omnia mehercule conscientiae nostrae testimonio plane adversantur (V. *Logica*, n. 12-16).

11. Id autem magis magisque ex eo demonstrari etiam potest, quod principium sentiens, pluribus in sensationibus, *identicum* jugiter nobis se praebeat.

Re enim vera, unum idemque principium est, quod variis ac multiplicibus uno eodemque tempore sensationibus afficitur, - sive ab uno, sive ab pluribus hae objectis excitentur. Minutal aliquod, ex. gr., oculis cerno, ejusque odore ac gustu una simul delector. Concentum musicum auribus percipio, intereadum plures, in eodem loco congregatos, homines aliaque circumstantia objecta intueor, ad ignem admotus me calefacio, jucundum pomum degusto, suavi rosae aut garyophylli odore recreor. Simplex itaque est principium hoc sentiens; secus enim quomodo tot sensationum subjectum, earumque veluti centrum esse posset, quin hae simul permisceantur vel immutentur, sed altera ab altera distincta permaneat (1)?

(1) Apposite Rosminius: « Quello stesso principio che sente un suono, ne sente molti contemporaneamente; contemporaneamente ancora ha molte sensazioni della vista, dell'odorato, del gusto, del tatto, della fame e della sete ecc. Così accade sicuramente, almeno negli animali più perfetti, ne' quali oltracciò più sensazioni insieme concorrono a produrre un sentimento universale, diverso da ciascuna d'esse, il qual sentimento pervade e domina tutto il sistema nervoso dell'animale.... Ora egli è manifesto, che solo un principio semplice può unire insieme tante sensazioni e rendersi il soggetto di tutte; perocchè se il soggetto delle sensazioni fosse diviso in due particelle corporee per minime che fossero, o anco se si vuole, in due punti matematici, quel punto che sente la sensazione sua, non potrebbe sentire la sensazione dell'altro punto; e però l'*identità* del principio senziente in molte sensazioni prova manifestamente la perfetta sua semplicità » (*Antropologia* ecc.).

Ex *unitate* igitur et *identitate* principii sentientis, illius simplicitas manifesto deducitur.

12. Caeterum, nonne propositio haec, *corpus sentit*, absonum quidpiam et absurdum sonat? Siquidem, cujuscumque generis mutationes, quibus corpus affici potest, - quaeque omnes ad impressiones seu motus quosdam tandem reducuntur -, nil cum sensatione commune habent, uti jam alias animadvertimus (*Logica*, n. 30). Profecto, quaenam sensationi cum corpusculorum translatione ratio intercedit? Quod ne ipse quidem Brussaeus, inter nuperos materialistas fama notissimus, infitiatus est; qui sensibilitatem ac perceptiones corporeas aliquid esse omnino simplex, neque aspectui aut tactui obnoxium, aperte declarat (1). Unde et principium ipsum sentiens atque percipiens, simplex esse et inextensum necessario consequitur.

13. Quibus omnibus positis, liquido patet: 1° Quod extensum est, extensum sentire non posse; 2° perperam a nonnullis animam sensitivam veluti pun-

(1) Haec namque, in opere quod inscribitur *Traité de physiologie appliquée à la pathologie*, missis ambagibus, scribit: « La sensibilité est immatérielle comme la pensée, dont elle est la base ». Et alio loco: « La perception du blanc et du noir, comme celle du rond et du carré, ne sont des choses ni visibles, ni tangibles, ni concrètes; il n'y a que les corps à l'occasion desquels nous avons eu ces perceptions, et les organes sensitifs qui nous les ont fournies, qui jouissent de ces qualités » (*De l'irritation et de la folie*). Brussaeo autem alter nostrorum temporum materialista, H. Tainius, plane consentit. Qui, in opere, nuperrime ab eo edito, cui titulus *L'intelligence*: « Supposez, inquit, que l'on sache tout le mécanisme du mouvement qui pendant une sensation se produit dans la substance grise, son circuit de cellule à cellule, ses différences selon qu'il éveille telle ou telle sensation etc., nous n'aurons encore que du mouvement; et un mouvement, quel qu'il soit, rotatoire, ondulatoire, ou tout autre, ne ressemble en rien à la sensation de l'amer, du jaune, du froid ou de la douleur ». Quid clarius, amabo, et expressius quodque ad rem nostram magis faciat, desiderari potest?

ctum mathematicum haberi (1); 3° vanam prorsus ac sensu carentem esse, ab quibusdam pertentatam, de sede animae inquisitionem: haec enim, quippe inextensa, locum ullum seu spatium occupare nequit (V. *Logica*, n. 34-5).

Quapropter, in diversis quidem corporis partibus, actionis animae vestigia variique illius operationis effectus reperiri possunt (2); ast ipsa, in nulla omnino, - neque magna, neque exigua corporis parte, neque in toto corpore, neque in puncto -, substantialiter existit: ejus namque existendi modus nullam omnino cum materia vel materiei proprietate similitudinem aut proportionem habet.

Art. 2. — *Principium intelligens est simplex et spirituale.*

14. Si principium sentiens est simplex, potiori jure principium intelligens esse debet: anima quippe mere sensitiva per se saltem concipi nequit, ejusque existentia ad corpus, tamquam ad naturalem suum terminum, necessario refertur (V. n. 3); intereadum *intelligere*, uti ait S. Thomas (Sum. theol.), *est actus qui non potest exerceri per organum corporale, sicut exercetur visio* (3).

(1) Huc adde, nil aliud esse punctum mathematicum, quam *ens quoddam mentale*, abstractione confictum, quodque in natura et per se minime subsistit.

(2) Ad rem S. Thomas: *Anima, licet simplex sit substantia, est tamen multiplex in potentia, et multarum operationum; unde indiget diversis organis ad suas operationes complendas* (C. Gentes).

(3) Item S. Augustinus: *Ipsa discretio videtur mente, non corpore; et ea quae mente conspiciuntur, non indigent ullo corporis sensu, ut ea vera esse noverimus* (Epist. ad Paulinam).

Quare principium intelligens, non modo simplex, sed et immateriale seu spirituale est: *immateriale* siquidem, uti post S. Thomam animadvertit Bossuetus, illud dicitur, quod non solum non est materia, sed a materia ipsa essentialiter non pendet.

15. Quum itaque nullus intelligentiae actus, nisi a principio simplici et spirituali exseri possit, jam tot animae humanae simplicitatis et spiritualitatis habemus argumenta, quot illius intellectuales sunt actus. Praecipua exhibebimus; quae eruuntur:

1° Ab ipsa *intellectionis* seu *cogitationis* natura. Firmissimum est rationis principium, - quod ex principio substantiae fluit -, opposítas et inter se discrepantes qualitates ad discrepantes et oppositas substantias pertinere. Atqui in corpore *extensionem*, proindeque *divisibilitatem*, *figuram* aliasque *sensibiles* qualitates, tamquam illi proprias et naturâ insitas, certissime novimus, quae omnia cum cogitatione omnino pugnant: haec quippe, neque *extensa*, neque *dividua*, nec aliqua *figura* praedita est; neque ullomodo potest *sensibus* percipi (1). Cogitationis igitur subjectum, aliud

(1) «Demandez, ait Fenelonus, à toute personne sensée, si la pensée qui est en elle est ronde ou carrée, blanche ou jaune, chaude ou froide, divisible en six ou en douze morceaux: cette personne, au lieu de vous répondre sérieusement, se mettra à rire. Demandez-lui si les atomes dont son corps est composé sont sages ou fous, s'ils se connaissent, s'ils sont vertueux, s'ils ont de l'amitié les uns pour les autres, si les atomes ronds ont plus d'esprit et de vertu que les atomes carrés: cette personne rira encore, et ne pourra pas croire que vous lui parliez sérieusement» (*Lettres sur la métaphysique*). Similia his habet Cardinalis de La Luzerne: «La pensée, inquit, est une chose absolument et essentiellement simple, et je crois qu'il suffit d'exposer cette proposition pour en faire sentir la vérité. Je ne pense pas qu'il ait encore existé aucun matérialiste assez hardi pour dire la moitié, le quart d'une négation ou d'une affirmation, un pouce ou un pied de perception, le dessus ou le dessous d'une volition, le côté droit ou le côté gauche d'un désir» (*Dissertation sur la spiritualité de l'âme*).

prorsus est ac subjectum extensionis: *anima* nimirum non est *corpus* (1).

16. 2° Ex *unitate* principii intelligentis. Re enim vera, conscius ego sum, me unum eumdemque esse, qui inter se probe distinctas diversarum rerum ideas una et simplici cogitatione complector (2). Ergo principium intelligens simplex est atque incorporeum.

Pone jam animum ex partibus conflatum; pone, si tibi placet, cerebrum esse: Si quaelibet hujus pars, seorsum sumpta, intelligendi ac cogitandi facultate caret, manifesto sequitur, ne totum quidem ipsum cogitare posse (3). Quod si harum singulae cogitant, tunc in quocumque nostrum tot essent, eaque distincta, principia intelligentia, quot partes; non unum scilicet individuum, non unus *ego* (quae vox a philosophia jam esset expungenda) sed innumeri: quod mehercule cum interna cujusque conscientia manifesto pugnat.

Praeterquamquod (etsi absurdum hoc obiter concedamus, quid materiale sit anima) nulla hoc in casu perfecta objecti cujuspiam, utut exilissimi,

(1) Quod argumentum ita in pauca eleganter confert Boucheronus noster: *Incorporea animae humanae natura ab omni concretione remota, ex ipsa intelligentia evincitur. Nam si intelligere omnino individua res est, qui id potest ad dividuum corpus transferri?* (De Thoma Valperga-Calusio). Huic enimvero simplici argumentationi (« La pensée est indivisible; elle ne peut donc être le mode d'une substance divisible ») a comite de Brolio, Brussaeo propositae, nae nihil hic habuit, quod responderet.

(2) *Quid quod*, ait Cicero, *eadem mente res dissimillimas comprehendimus, ut colorem, saporem, calorem, odorem, sonum? Quae numquam quinque nuntiis animus cognosceret, nisi ad eum omnia referrentur, et is omnium judex solus esset* (Tusc. disp.).

(3) Qui, amabo, ex pluribus negativis quantitatibus quantitas positiva effici unquam poterit? siquidem, uti mathematici docent, $0 + 0 + 0 + 0 \ldots = 0$.

perceptio haberetur: quaelibet namque hujusce animae pars eam tantum objecti partem perciperet, qua immediate afficitur, ceteras autem nullo pacto attingere posset. Atqui humana cogitatio objectum quodlibet: arborem, v. gr., domum, urbem, globum terraqueum, quin et ipsam rerum universitatem, totam simul atque integram complectitur. Principium igitur cogitans non est corpus.—Quapropter, sicuti extensum nequit extensum sentire (V. n. 13), eo minus extensum cogitare et intelligere potest (1).

17. 3° Ex humanae personae *identitate;* quae, inter assiduas quas corpus nostrum patitur vicissitudines, immutata perdurat. Profecto, quamvis in adulti viri corpore, ne una quidem fortasse ex materialibus particulis reperiri possit, quae in puero et adolescente inerant, adeo omnia vi temporis mutata sunt (2)! illius tamen animus unus

(1) *Nullum enim corpus*, ait S. Thomas, *invenitur aliquid continere, nisi per commensurationem quantitatis; unde et si se toto totum aliquid continet, et partem parte continet; majorem quidem majore, minorem autem minore. Intellectus autem non comprehendit rem aliquam intellectam per aliquam quantitatis commensurationem, cum se toto intelligat, et comprehendat totum et partem; majora in quantitate et minora. Nulla igitur substantia intelligens est corpus* (C. Gentes).

Hoc autem argumentum, quo animae humanae immaterialitas ex principii cogitantis unitate concluditur, grave adeo ac solidum et ipsi Petro Baylo visum est, ut illud mathematicae demonstrationi comparare non dubitaverit.

(2) *Nemo nostrum*, inquit Seneca, *idem est in senectute, qui fuit juvenis; nemo est mane, qui fuit pridie. Corpora nostra rapiuntur fluminum more; quidquid vides, currit cum tempore; nihil ex his quae videmus, manet. Ego ipse dum loquor mutari ista, mutatus sum. Hoc est quod ait Heraclitus:* « In idem flumen bis non descendimus ». *Manet idem fluminis nomen, aqua transmissa est* (Epist. LVIII).

De tempore autem quod requiritur, ut elementa quae humanum corpus componunt, prorsus immutentur, inter se non consentiunt physiologi: septem annos ad eam rem conficiendam spatii generatim admittunt. Si tamen Moleschotto fidem praebemus, brevius admodum tempus sat est: « I fatti generali, ait ipse, mostrano, che il corpo rinnova la maggior parte della sua sostanza in un lasso di

semper atque idem est. Nonne quisque conscius est sibi, se eumdem illum modo esse, qui decem, v. gr., aut viginti ante annis fuerat (1)? Inde aperte consequitur, principium cogitans, sive animum, esse aliquid a materia omnino diversum, aliquid nimirum simplex et incorporeum.

18. Ex hac porro personae identitate fit, quemadmodum jam alias diximus (*Logica*, n. 109), ut praeterita recordari ac memoria retinere possimus. Quae quidem nobilissima animae humanae potentia, ejus simplicitatem et spiritualitatem et ipsa per se invictissime probat. Quî enimvero in rudi, inerti, perpetuis vicibus obnoxia materia, memoriae vis concipi potest (2)?

19. 4º Ex facultate *judicandi* et *ratiocinandi*. Ad judicium conficiendum, subjectum et praedicatum opus est; eorum praeterea comparatio; actus de-

---

tempo di venti a trenta giorni.... Per sorprendente che a prima vista sembrar possa una siffatta rapidità, le osservazioni sono d'accordo su tutti i punti » (*La circolazione della vita*). Complures autem hujuscemodi observationes in medium affert, quas in memorato illius opere videre est.

(1) *Alia*, ut idem scribit Seneca, *est aetas infantis, pueri, adolescentis, senis: ego tamen idem sum, qui et infans fui, et puer, et adolescens. Sic quamvis alia atque alia cuique constitutio sit, conciliatio constitutionis suae eadem est. Non enim puerum mihi, aut juvenem, aut senem, sed me natura commendat* (Epist. cxxi).

(2) *Quid, obsecro*, egregie Tullius, *terrane tibi aut hoc nebuloso et caliginoso coelo, aut sata aut concreta videtur tanta vis memoriae?.... Quid igitur? utrum capacitatem aliquam in animo putamus esse, quo tamquam in aliquod vas, ea quae meminimus, infundantur? absurdum id quidem..... An imprimi quasi ceram animum putamus, et memoriam esse signatarum rerum in mente vestigia? Quae possunt verborum, quae rerum ipsarum esse vestigia? Quae porro tam immensa magnitudo, quae illa tam multa possit effingere* (Tusc. disp.)? Et rursus: *Nihil est in animis mixtum atque concretum.... nihilne aut humidum quidem, aut flabile, aut igneum. His enim in naturis nihil inest, quod vim memoriae, mentis, cogitationis habeat, quod et praeterita teneat, et futura provideat, et complecti possit praesentia: quae sola divina sunt.*

mum, quo mens subjecto praedicatum, affirmate vel negative, tribuit. At si concreta et corporea est animi natura, judicii subjectum unam animi partem, praedicatum vero alteram ab illa distinctam afficiet. Ubinam, quaeso, comparatio fiet (1)? quaenam praedicatum ad subjectum convenire vel ab eo discrepare affirmabit; in qua affirmatione proprie judicium positum est?

Quod si nullum judicium, eo minus ratiocinium a materiali substantia perfici potest: siquidem ratiocinium est actus, quo mens judicium ex alio judicio, in quo implicite continetur, infert. Posita igitur materialistarum doctrina, haud nobis cognitum esset unquam, tres angulos, ex. gr., cujuslibet trianguli rectilinei duobus angulis rectis aequales esse; nec aliud quodvis, utut simplicissimum, geometriae theorema compertum haberemus. Quamobrem, quod ad nos spectat, neque geometria, neque ulla generatim existeret *scientia;* quae, uti suo loco vidimus, nil aliud est, quam complexio quaedam vel series plurium cognitionum seu veritatum, quae certae sint, simul connexae, atque aliae ex aliis legitime deductae (2).

20. 5º Demum ex *idearum natura*. Etiamsi de-

---

(1) Une substance, inquit Laromiguierus, ne peut *comparer* qu'elle n'ait *deux idées à la fois*. Si la substance est composée de parties, ne fût-ce que de deux, où placera-t-on les deux idées? Seront-elles *toutes deux* dans chaque partie, ou l'une dans une partie, et l'autre dans l'autre? Qu'on choisisse, il n'y a pas de milieu. Si les deux idées sont *séparées*, la comparaison est impossible; si elles sont *réunies* dans chaque partie, il y a *deux comparaisons* à la fois, et, par conséquent, *deux substances* qui comparent, deux âmes, *deux moi;* mille, si on suppose l'âme composée de mille parties » (*Leçons de philosophie*).

(2) Hinc merito Tullius: *Sic mihi persuasi*, inquit, *sic sentio, quum tanta celeritas animorum sit, tanta memoria praeteritorum, futurorumque providentia, tot artes, tantae scientiae, tot inventa, non posse eam naturam, quae res eas contineat, esse mortalem* (De senectute).

mus (quod tamen longe a veritate abest: in qualibet enim idea, uti in ideologia dictum est, elementum quoddam formale et universale invenitur) cogitationem et materiam res omnino dissociabiles non esse, haec summum ea perciperet, quae in materiam ipsam aliquomodo agere possunt, ut puta *colores*, *sapores*, *figuras*, et his similia; ast illis omnino ideis careret, quarum objecta nil habent cum corporeis affectionibus commune; quaequae idcirco *purae* dicuntur. Hujuscemodi tamen ideas humanae menti inesse certissimum est. Nonne, quaeso, haec in *veritatis, ordinis, justitiae* contemplatione defigitur? (V. *Logica*, n. 193). Nonne *rationis principia* absoluta, immutabilia et necessaria concipit? Nonne *aeternum* et *infinitum* cogitat; atque ad *puri spiritus* conceptum assurgit (1)? Nonne, brevi, *ens* ipsum universalissimum intuetur, quod a tempore et a spatio liberum et immune prorsus est? Ex quo consequitur, principium intelligens, corpus esse non posse: hoc namque, non temporis solum, uti entia omnia finita, sed et spatii, - quod materiei omnino est proprium -, conditionibus necessario est obnoxium (2).

---

(1) « Nous, ita eloquentissimus Bossuetus, qui ne sentons rien que de borné, qui ne voyons rien que de muable, où avons-nous pu comprendre cette éternité? Où avons-nous songé cette infinité? O éternité! o infinité! dit S. Augustin, que nos sens ne soupçonnent seulement pas, par où donc es-tu entrée dans nos âmes? Mais si nous sommes tout corps et toute matière, comment pouvons-nous concevoir un esprit pur? et comment avons-nous pu seulement inventer ce nom »? (*Sermon sur la mort*).

(2) « Che cosa, inquit Rosminius, è l'anima intellettiva? Un soggetto che intuisce l'essere in universale. Ora l'intuizione è operazione semplice, perchè semplice n'è l'oggetto. In fatti l'*essere universale* è fuori dello spazio e del tempo. Ma il soggetto che lo intuisce riceve la sua forma dall'essere intuìto. Dunque l'intelligente la cui attività termina tutta e dimora nell'essere intuìto, è un principio fuori dello

Quum porro principium intelligens ab ente universali formam suam accipiat, jam fit, ut humana cognitio, quemadmodum in ideologia diximus, suapte natura, *objectiva* et *universalis* sit: nullis videlicet rerum subsistentium limitibus constricta, possibilia omnia complectatur; quo illud spectat: *intellectus omnia cognoscit*. Principium itaque intelligens ad nihil per se determinatum est, ergo incorporeum; corpus enim quodlibet, sibi propriam et peculiarem formam atque constitutionem refert (1).

21. At, hisce diutius immorando, veremur equidem, ne actum fortasse agere videamur. Quisnam, si diis placet, sibi vere ac serio persuadeat, Homeri, ex. gr., Virgilii, Aligherii, Torquati, Miltoni, Klopstokii poëmata; Pythagorae, Archimedis, Cartesii, Galilei, Franklinii, Voltae, Wattsii inventa; Apellis, Phidiae, Urbinatis, Bonarotii, Titiani, Leonardi, Canovae picta vel sculpta simulacra; Cimarosae, Mosarti, Rossinii, Bel-

---

spazio e del tempo; al tutto semplice, spirituale. L'intuizione adunque dimostra ad evidenza la semplicità dell'anima intuente » (*Psicologia*). Hinc vel ipse Condorcetus, optimis hac de re praejactis animadversionibus, concludit: « Ainsi la spiritualité de l'âme n'est pas une opinion qui ait besoin de preuves; mais le résultat simple et naturel d'une analyse exacte de nos idées et de nos facultés (*Vie de Turgot*).

(1) Haec jampridem urgebant Anaxagoras et Aristoteles adversus Empedoclem, qui animam sibi fingebat ex principiis omnibus physicis concretam, quibus res quaelibet conflatur. Siquidem animadvertebant, immixtam et immaterialem omnino animam esse oportere, nilque in illa, quod sit corporeum et determinatum inesse, quo omnia comprehendere possit; uti perspicue et indubitato demonstrat S. Thomas: *Manifestum est*, inquit, *quod homo per intellectum cognoscere potest naturam omnium corporum. Quod autem potest cognoscere aliqua, oportet, ut nihil eorum habeat in sua natura: quia illud quod inesset ei naturaliter, impediret cognitionem aliorum..... Si igitur principium intellectuale haberet in se naturam alicujus corporis, non posset omnia corpora cognoscere; omne autem corpus habet aliquam naturam determinatam. Impossibile est igitur, quod principium intellectuale sit corpus* (Sum. theol.). Eadem autem habet in lib. *De Anima*.

linii concentus et modos; Demosthenis et Tullii conciones; Platonis, Aristotelis, S. Augustini, Aquinatis; atque, ut complures alios sileam, Neutoni, Pascalis, Bossueti, Leibnitii, Euleri, Lagrangii, Cuvieri, Manzonii, Rosminii lucubrationes et opera: totum id, - quod maximum mehercule et mirum est -, nonnisi aliquantulo vaporis vel aëris, aut, si mavis, aetheris vel ignis in humano corpore latentis; vel tenuissimis quibusdam corpusculis sive atomis, huc illud temere motu pernicissimo volitantibus, esse tribuendum (1)? Quod si quis haec sibi in animum inducere unquam potest, haud hic profecto suae mentis compos, sed multo mihi helleboro indigere videtur.

Art. 3. — *Principium libera voluntate praeditum est simplex et spirituale.*

22. Materia, quemadmodum docent physici et quotidiana ac facili experientia constat, iners est: vi nempe legis mechanicae, qua naturaliter et necessario regitur, in eo nititur perseverare, quietis vel motus statu, in quo hic et nunc est; neque hunc, nisi externis viribus adacta, unquam immutat. Quid porro ejusmodi in animo reperitur? Hic e contrario ad libitum suum vult, decernit atque deliberat (V. *Logica*, n. 131); ideam

(1) Egregie in rem et eleganter Racinius, in poëmate *La Religion*:

Platon, combien de fois jusqu'au ciel tu t'élauces!
Descartes qui souvent m'y ravis avec toi;
Pascal que sur la terre à peine j' aperçoi;
Vous qui nous remplissez de vos douces manies,
Poëtes enchanteurs, admirables génies;
Virgile, qui d'Homère appris à nous charmer;
Boileau, Corneille, et toi que je n'ose nommer,
Vos esprits n'étaient-ils qu'étincelles légères,
Que rapides clartés et vapeurs passagères?

aliquam considerandam, vel actionem quampiam exsequendam suscipit, susceptam dimittit, rursum adgreditur, idque, suo penitus arbitrio, centies ac millies repetit. Aliquidne corporeum in his et materiale deprehenditur? Corpus siquidem omnino et essentialiter *passivum* est; animus contra nullo non tempore *activum* se prodit.

23. Sed his majora afferri adhuc possunt. Si animus, uti docent materialistae, a corpore nequaquam distinguitur, cur acerrima non raro inter vim physicam et moralem effervet pugna et contentio? Unde luctatio illa inter spiritum, ut ajunt, et carnem, de qua commemorat S. Paulus (1), quamque fusius et graphice in suis *Confessionibus* (lib. VIII, c. 11) S. Augustinus depingit? Nonne corpori saepenumero resistit animus; atque sensuum stimulis et illecebris obnititur, easque frangit et contundit? (V. *Logica*, n. 134). Nonne animum crebro videre est, ea corpori abnuere, quae animalis expostulat instinctus, *somnum*, v. gr., vel *cibum;* interdum etiam vitales ipsas functiones, puta *respirationem*, cohibere? Aliud igitur anima, aliud vero corpus (2). Ita nimirum et ipsi Russojo visum

(1) Qui, ad Romanos scribens: *Video autem*, ait, *aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meae.* In Epistola vero ad Galatas: *Caro enim concupiscit adversus spiritum; spiritus autem adversus carnem: haec enim sibi invicem adversantur.*

(2) « Il faut, inquit celeber physiologus Vireyus, une cause supérieure aux corps pour dompter le corp. Cabanis et les autres modernes physiologistes de l'école actuelle veulent que le système cérébral réagisse par son influence sur nos organes internes, même pour en dénaturer les fouctions; mais qui les fait agir dans un sens si contraire à ses attributions naturelles? Comment un soufflet appliquée sur la joue d'Epictète ne produira-t-il aucune émotion dans cette stoïque cervelle, tandis que sur la joue du moindre spadassin le même soufflet excitera une fureur qui ne s'apaisera que par du sang versé dans un duel? Certes il faut que chez le premier quelque force supérieure commande de ne pas venger cette

est; qui, in sermone *De hominum inaequalitate*, « in libertatis conscientia, animae humanae spiritualitatem potissimum manifestari » omnino testatur (1).

Si itaque, - ut hactenus excussa in unum concludamus -, principium sentiens est simplex, simplex itidem et spirituale est principium intelligentia ac voluntate praeditum, bina autem haec principia animam rationalem seu humanam constituunt; jam inde efficitur, animam humanam, simplicem et spiritualem esse: quod quidem nobis erat demonstrandum.

24. Animam humanam « principium cogitans » generatim appellavimus (V. n. 7). At, ex dictis, jam licet eam clarius definire « subjectum simplex, sensitivum, intellectivum et volitivum » (V. *Logica*, n. 388); vel rectius etiam, « subjectum substantiale simplex, intellectivum ac sensitivum: veritatis nempe seu entis universalis intuitione donatum, unaque sensu, cujus terminus est extensio; nec non activitatibus quibusdam, quae intelligen-

insulte, tandis que dans le second la révolte naturelle du sentiment contre tout outrage se manifeste subitement. Or s'il y'a pouvoir de résister à la sensibilité, à la contractilité, ce ne sont donc pas ces propriétés vitales qui refusent contre leur propre essence d'agir lorsqu'on les stimule; il y'a donc en nous une force qui peut combattre les impulsions des organes: il règne ainsi une loi dans les membres et une autre dans l'esprit ».

(1) Item, in scriptiuncula, cui titulus *Profession de foi du Vicaire savoyard*, subdit Genevensis philosophus: « Nul être materiel n'est actif par lui-même, et moi je le suis. On a beau me disputer cela, je le sens, et ce sentiment qui me parle est plus fort que la raison qui le combat. J'ai un corp sur lequel les autres agissent, et qui agit sur eux; cette action réciproque n'est pas douteuse; mais ma volonté est indépendante de mes sens: je consens ou je résiste, je succombe ou je suis vainqueur, et je sens parfaitement en moi-même quand je fais ce que j'ai voulu faire ou quand je ne fais que céder à mes passions.... Le principe de toute action est dans la volonté d'un être libre; on ne saurait remonter au delà.... L'homme est donc libre dans ses actions, et comme tel, animé d'une substance immatérielle »

tiam et sensibilitatem consequuntur ». *Subjectum* autem *substantiale*, potiusquam *substantiam*, animam dicimus: hoc quippe nomen (substantia) rebus etiam inanimis convenit, quatenus in se, idest actu sibi proprio existentes, mens illas concipit; proprie contra, subjecti substantialis nomine, nonnisi ens sensitivum vel intellectivum noncupari potest.

Anima igitur est *subjectum*, qua primum actionum principium, sensu praeditum (V. *Logica*, n. 63); est autem *substantia*, eo quod principium hujusmodi in se ipso, - nequaquam vero in re alia, quae in sentiendi vel intelligendi ordine illud praecedat -, a mente concipitur.

25. Jure autem meritoque *substantia* dicitur anima. Illud profecto, quod corpus sponte sua regit, quod appetitus contrahit ac sedat, quod cupiditatibus obsistit easque coërcet, se aliquid per se revera existens et substantiale esse satis demonstrat, minime vero substantiae alicujus accidens et modum, vel quidpiam mere phaenomenicum et nominale, quemadmodum materialistis quibusdam placet. Quorum alii, ex. gr. Epicurei, facultatem quamdam animum esse censebant, quae cum corpore oritur, cum eoque perit; alii in temperatione quadam et harmonia illum ponebant: in harmonia scilicet elementorum, uti Dicaearchus (1), vel organorum ac membrorum corporis, quemadmodum Aristoxenus, musicus (2).

(1) *Dicaearchus*, referente Cicerone, *Pherecratem quendam... disserentem inducit, nihil esse omnino animum, et hoc esse nomen totum inane, frustraque animalia et animantes appellari; neque in homine inesse animum vel animam.... quippe quae nulla sit, nec sit quidquam, nisi corpus unum et simplex, ita figuratum, ut temperatione naturae vigeat et sentiat* (Tusc. disp.).

(2) De quo, eodem loco, scribit Cicero: *Aristoxenus, musicus, idemque*

Quoddam itidem harmoniae vel musicae genus, apud Platonem (in *Phaedone*) animum putabat esse Simmias (1). Haec eadem tandem, licet millies profligata, exsuscitant et, diversis tantum vocibus, recinunt nuperi materialistae; inter quos Tainium memorare sat est. Qui animam, substantialis cujuscumque realitatis omnino expertem, neque aliud, quam *assiduam eventuum*, qui in ea deinceps contingunt, *tramam* (!); ejus autem facultates, nil, praeter mera nomina, esse docet. Quae quidem audacter, sed gratuito et absque probationibus, ut fere fieri solet, emissa, nil prorsus ad animae humanae substantialitatem evertendam valere, nemo est, ut opinor, quin videat.

Art. 4. — *Materialistarum objecta diluuntur.*

26. Si argumenta, quae ad animae humanae spiritualitatem stabiliendam attulimus, probe retineantur, quidquid contra a materialistis objici solet refellere, haud magnum profecto erit negotium. Abs re nihilominus nequaquam fore censemus, horum nonnulla, exercitationis gratia, in medium proferre.

Humanam mentem actuosissimum quiddam et agillimum esse, unicuique facile constat. Unde paullo acutiores materialistae libenter quidem concedunt, in corpore quiescente, vel in rudi et crassa materia, cogitationem quaerendam non esse; at ex celer-

philosophus, ipsius corporis intentionem quandam, velut in cantu et fidibus quae harmonia dicitur; sic ex corporis totius natura et figura, varios motus cieri, tanquam in cantu sonos.

(1) « Quasichè, argute in rem Rosminius, la musica fosse senziente e non sentita; e, per esser sentita, non avesse bisogno degli orecchi è delle anime altrui che la sentano » (*Psicologia*).

rimo fortasse corporis cujuspiam motu hanc gigni posse arbitrantur (1).

Resp. 1° Ratio nulla cogitationi cum motu corporeo intercedit: quid, quaeso, cum perceptione, judicio, ratiocinio aliisque animi operationibus commune hic habet? Motu equidem atque exercitatione corpora nostra recalescere; item lapidum conflictu ac tritu ignem elici, scribit Cicero (*De nat. deor.*); at hinc cogitationem elici et oriri, nuspiam mehercule a sanae mentis homine scriptum invenies: nimium quippe absonum et ridiculum id esset. 2° Quandoquidem variae atque innumerae propemodum in homine quovis sunt cogitationes et ideae, totidem iis respondentes atque diversas in corpore cogitante motiones esse oporteret; quî autem id fieri possit, non video. Ad haec, quaenam sat potens ac sufficiens vis et causa tot in eo corpore tamque varios motus ciere poterit; eos praesertim, ex quibus ideae abstractae vel purae proficiscantur? 3° Si cogitatio nil aliud est quam corporis motus, jam sequitur, hoc mutato vel abrupto, et cogitationem ipsam immutari aut penitus effluere; hinc praeteritarum cogitationum nulla remanerent vestigia, nulla recordatio, sicque rerum memoria omnino tolleretur. 4° Quum corpus quodlibet unico tantum motu possit eodem tempore agitari, plus una simul idea haud menti nostrae esset praesens: nullum propterea judi-

(1) Ita nempe nostrorum temporum aequalis, Moleschottus. Qui, in opere inscripto *La circolazione della vita* (de quo, per totam ferme Europam, mirum edepol! fama percrebuit), haec,- interprete Caesare Lombroso -, habet: « L'aumento del calore per l'esercizio del pensiero, prova e rafforza il nostro asserto che l'attività del cervello accresce il processo di riduzione. Il pensiero ci si mostra *dunque* (!) un movimento della materia, che diversifica a seconda dell'attività cerebrale ». Papae! quam recta illatio! quam logica conclusio!

cium, ratiocinatio nulla confici unquam a nobis posset.

27. At, reponunt materialistae: Si non cuipiam singulari corpori, pluribus saltem simul congestis particulis, tenuissimis ac motu pernicissimo actis; vel subtilissimae cuidam et artificiosae cerebri *organizzationi*, cogitandi facultatem tribuere quid vetat?

Resp. Inane prorsus hoc est materialistarum effugium. Primum enim, si singulae particulae cogitandi vi carent, quamlibet harum congeriem hac ipsa carere necessum est. Nil insuper, quod ad facultatem cogitandi spectat, inter immensae et exiguissimae molis corpus, inter solidum et fluidum interest (1). Praeterea, cum illa particularum congeries, tum cerebri *organizzatio* divisibilis itemque fluxa et mutabilis est; unde cogitatio quoque per diversas partes fusa esset atque dispersa: multiplex proinde ac perpetuis vicibus

(1) Apposite et ingeniose Fenelonus: « Je suppose qu'on réduise un corps en poudre très-subtile; cette poudre aura beau être subtilisée à l'infini, je ne puis concevoir que les petits corps soient plus propres à penser que les grands. Donnez-moi des corpuscules carrés ou ronds, il me paraît que les ronds et les carrés sont également incapables de se connaître et de vouloir. Les globules n'ont pas plus de raison que les triangles, les atomes crochus n'ont pas plus d'esprit et d'intelligence que les atomes sans crochet; cent mille atomes ne sont pas plus pensants, quand ils sont liés ensemble, que chacun d'eux quand il est seul et séparé des autres. Les corps liquides n'ont pas plus de pensée dans leur fluidité, que les corps solides dans leur consistance. La plus rapide flamme n'a pas plus d'intelligence et de volonté qu'une pierre. Le mouvement le plus impétueux ne donne point l'intelligence à une masse, non plus que le repos. Prenez un morceau de matière, réduisez-la à la poudre la plus subtile, faites-la bouillir, faites-la évaporer en corpuscules volatiles, ou bien donnez-lui toutes les fermentations qu'il vous plaira d'imaginer, faites-en le tourbillon le plus rapide, ou bien faites-la mouvoir en tel autre sens que vous choisirez, vous ne concevrez jamais que cette masse ainsi façonnée, subtilisée, et agitée avec rapidité, se connaisse, et parvienne à dire en elle même: Je crois, je doute, je veux, je ne veux pas » (*Lettres sur la métaphysique*).

obnoxium et principium cogitans esse oporteret. Atqui unum semper hoc est, et, quaecumque in corpore fiat mutatio, quolibet temporis puncto substantialiter idem; quemadmodum fusius paullo ante demonstravimus (1).

28. Sed instant adversarii atque ajunt, vires cogitandi singularum partium ita simul conspirare posse, ut inde in toto ente composito, puta in cerebro, una vis cogitandi existat: non secus ac plures *componentes* vires unicam, ut mechanici vocant, *resultantem* constituunt; idest ex pluribus diversis motibus unicus oritur motus.

Resp. Hi falso primum ac perperam cogitandi vim in singulis materiei particulis inesse ponunt. At, his etiam omissis, id genus conspirationem in viribus cogitandi fieri posse negamus. Vires quidem motrices in unum simul conspirare possunt, eo quod ad effectum extra seipsas producendum tendunt; quod profecto de cogitandi viribus dici nequit. Principium enim cogitans extra se vim suam non exerit, sed effectum internum gignit:

(1) Ad rem magis magisque confirmandam, validissima haec et perspicua, e Rosmini *Psychologia* depromta, in medium afferre placet: « Noi rileviamo ch'ella (l'anima) è unica in ciascun uomo, perchè ciascun uomo non è mai più che un *Io*. Questa dimostrazione immediata ed evidente dell'unità dell'anima esclude l'errore delle tre anime che taluni posero nell'uomo, volendo che vi avesse contemporaneamente un'anima vegetabile, una sensitiva, ed una intellettiva. Altri similmente errando, ne posero due la sensitiva e la intellettiva. La fonte dei quali errori è palese, il non aver cercato questi filosofi qual sia l'anima umana nell'Io, dove ella è, ma altrove dove non è. Dato anche che ci avesse unito all'uomo un principio di vegetazione e di sensazione distinto dall'Io (e vi può benissimo essere); egli non sarebbe l'anima umana, ma qualche cosa di diverso da essa. Dunque l'anima è tanto evidentemente una, quant'è evidente ad ognuno di essere un uomo solo, e non due o più. Egli è evidente perchè gliel dice la coscienza, e la coscienza è appunto la percezione dell'anima o la racchiude; perciò ella è il testimonio unico degno di fede ed infallibile in quest'argomento ».

sibi cogitat, non alteri. Quare tot semper, eaeque diversae, cogitationes essent, quot sunt cogitandi vires, seu principia his viribus instructa.

29. Sic ad incitas redacti materialistae, ad aliud se oppugnationis genus recipiunt. Certum est, duce Lockio ajunt, non omnes materiei proprietates nos compertas habere; cur ergo fieri non potest, ut inter proprietates hujuscemodi et cogitandi facultas insit?

Resp., ad libidinem confictam, quin imo absurdam hanc Lockii dubitationem esse, quemadmodum jamdiu evidenter ostendit Stillingfleetus, doctissimus Ecclesiae anglicanae episcopus; qui gravissimam hac super re cum Lockio ipso concertationem habuit. Etenim unum idemque subjectum dissociabiles atque inter se dissidentes proprietates complecti nequit. At materiam extensione, divisibilitate, figura, inertia donatam esse certissime constat; quae omnia sensibilitati, intelligentiae et voluntati, paucis, cogitationi, quasi capitales hostes, adversantur. Haec igitur ad materiam pertinere nullomodo potest. Sic, ut exemplo rem declaremus, haud omnes fortasse trianguli proprietates norunt mathematici; indubium tamen est, nullam unquam ab his repertam iri, quae jam certo cognitis essentialibus trianguli proprietatibus directe opponatur; secus enim illud una esset et non esset triangulum: quod absurdum et contradictorium est.

30. At Deus saltem, reponit Lockius, modo ipsi arriserit, cogitandi facultatem materiei tribuere sane posset (1). Quam lockianam sententiam alacri

(1) Materiam quidem per se ac naturaliter sensus et cogitationis expertem esse aperte fatetur Lockius; attamen, subdit: « Il nous est

animo amplexus Volterius: « Qui, ait, omnia potis est Deus, nonne et illud potest efficere, ut ens materiale cogitet? Nonne qui hoc neget aut dubitet, nedum impudentem audaciam, manifestam impietatem argueret »?

Resp. Materialistae, quo opinionem suam tueantur, jam athei (quod certe juvat non praetermittere) licet fortasse inviti, esse nequeunt. Quanquam, ne hac quidem via quidquam assequuntur: Deum namque vim cogitandi materiei impertiri posse negamus, una simul omnipotentem plane professi. Omnipotentia enim possibilia tantum, nequaquam vero absurda et inter se pugnantia complectitur: pugnantia porro sunt, uti jam semel et iterum advertimus, cogitatio et extensio, cogitatio et inertia; paucis: *multiplicitas*, - essentialis materiei proprietas -, et *unitas*, - quae principii cogitantis omnino propria est. Ergo, ne per Deum quidem fieri potest, ut materia cogitandi vim adipiscatur (1). Quid enim? an, quia Deus est omnipotens, efficere illud potest, ut in triangulo rectilineo duo sint anguli recti; ut quadratum sit circulus; ut pars toto sit major; ut quod est, non sit? Minime gentium: id namque in-

impossible de découvrir, par la contemplation de nos propres idées, sans révélation, si Dieu n'a point donné à quelques systèmes de parties matérielles, disposées convenablement, la faculté d'apercevoir et de penser » (*Essai sur l'entendement humain*).

(1) Quod vel ipse, maximus inter Lockii discipulos, Condillacus in magistrum suum animadvertit: « Je ne sais pas, inquit, comment Locke a pu avancer qu'il nous sera peut-être éternellement impossible de connaître si Dieu n'a point donné, etc. Il ne faut pas s'imaginer, que pour résoudre cette question, il faille connaître l'essence et la nature de la matière. Les raisonnements qu'on fonde sur cette ignorance sont tout-à-fait frivoles. Il suffit de remarquer que le sujet de la pensée doit être un. Or, un amas de matière n'est pas un, c'est une multitude » (*Essai sur l'origine des connaissances humaines*).

trinsece impossibile et absurdum est (1); ea plane ratione, qua, etsi omnia illi sunt possibilia, nequit tamen Deus (si vocem hanc *nequit*, cum de Deo loquimur, adhibere fas est) mentiri, iniqua agere, uno verbo peccare (2): quae, uti vel a pueris edocemur, non potentiae, sed imbecillitatis potius et imperfectionis sunt argumenta (3).

Qui igitur omnipotentem Deum, ad causae suae patrocinandum, invocant materialistae, haud satis norunt, quid sibi velit Dei omnipotentia, dum hanc ad absurda et contradictoria cogunt. Deo namque veritates omnes, ceu modi substantiae suae, immutabiliter inhaerent; vel potius, uti jam saepius monuimus, Deus est *Veritas* ipsa substantialis et sempiterna. Nil igitur in Deo, nisi veritati consonum esse potest: quae porro inter *absurda* et *veritatem* consociatio? Quamobrem Volterius, quum nos utpote in Deum injurios et impios habet, quod intra possibilitatis seu veritatis fines, ejus omnipotentiam includimus, videat ne hoc impietatis crimen in ipsum recidat.

---

(1) « Le pouvoir, uti rectissime notat Clarkius, de faire qu'une chose soit et ne soit pas en même temps, n'est pas un véritable pouvoir. Ce n'est rien de positif, c'est au contraire une pure négation » (*De l'existence de Dieu*).

(2) Vel, quemadmodum eximie vetus poëta, interprete Racinio, ad Deum conversus, ait :

Grand Dieu, ...
Qui fais tout, excepté ce que font les méchans.

(3) « On ne peut pas dire, prosequitur Clarkius, qu'une puissance infinie s'étende jusque aux choses qui supposent une imperfection naturelle dans l'être à qui cette puissance est attribuée. Par exemple on ne peut pas dire qu'un Être infiniment puissant se puisse détruire lui-même, qu'il puisse s'affaiblir, et ainsi du reste. Ce sont toutes choses qui marquent une imperfection naturelle, et qui, par conséquent, ne sauraient se rencontrer dans l'Être qui existe nécessairement et par lui-même..... Il est donc aussi impossible et aussi contradictoire que la volonté de Dieu se porte à agir contre les lois de la vérité, de la bonté, et de la justice, qu'il est impossible et contradictoire que sa puissance exécute des choses qui serviraient à l'anéantir. Ne pouvoir pas faire des choses qui ne sont pas l'objet de la puissance, ne peut pas être censé un manque de puissance ».

CAPUT II.

De animae humanae origine.

31. Animae natura probe constituta, quaenam illius origo sit, nullo negotio dignoscitur.

Et primum, anima humana est substantia simplex; corporum igitur adinstar, per partium coagmentationem, - per superpositionem scilicet, quemadmodum in corporibus mineralibus fit, vel per absorptionem sive intus susceptionem, uti in organicis -, ortum habere nequit (1). At una simul vicibus obnoxia est anima, finita, contingens; ergo neque Deus, neque Dei pars est, vel ipsius derivatio quaedam seu manatio, uti nonnulli opinati sunt: licet divinum quoddam elementum (quod est rationis lumen) in ea profecto insit (2). Inde conficitur, nonnisi per immediatam Dei creationem, animam oriri posse.

32. Atqui anima humana sensitiva simul et rationalis est; illius igitur creatio sub duplici hoc respectu considerari debet.

Quod ad animam *rationalem* attinet (de qua modo praesertim est sermo) haec enimvero tunc

---

(1) *Animorum*, ait Tullius, *nulla in terris origo inveniri potest. Nihil enim est in animis mixtum atque concretum, aut quod ex terra natum atque fictum esse videatur ; nihilne aut humidum quidem, aut flabile, aut igneum. His enim in naturis nihil inest, quod vim memoriae, mentis, cogitationis habeat etc.* (Tuscul. quaest., *et* De Consolatione).

(2) *Homo non ut a matre, sed ut a noverca natura editus in vitam, corpore nudo et fragili et infirmo; animo autem anxio ad molestias, humili ad timores, prono ad libidines : in quo tamen inesset tamquam obrutus quidam divinus ignis ingenii et mentis* (Cic., *De republ.*). Item Seneca: *Cum venerit dies ille, qui mixtum hoc divini humanique secernat, corpus hoc, ubi inveni, relinquam; ipse me diis reddam. Nec nunc sine illis sum, sed gravi terrenoque detineor* (Epist. CII).

existit, quum *rationis lumine* illustratur: per hoc enim intelligens et rationalis fit homo (V. *Logica*, n. 178). Quum porro lumen rationis nil aliud sit, quam quaedam veluti participatio vel communicatio Dei ipsius homini facta, sequitur, tunc proprie mentem sive animam rationalem procreari, quum illi Deus seipsum quadantenus prodit (1), seu hanc (quacumque id lege fiat) divina sua luce perfundit. Mens quippe in homine ex immanente enascitur *entis* (quod est intelligentiae lumen) intuitione; unde solemne illud scholasticorum: *Ens eo ipso quod intelligitur a mente, dat illi et intelligere et esse.* Quapropter anima sensitiva, - hujus, paene dixerim, cum Deo conjunctionis vi -, altiorem statum attingit, naturam suam immutat, ex sentiente intellectiva fit, subsistens, immortalis: sublimissimas nimirum qualitates illas participat, quibus gaudet objectum, in quod jam jam inseparabiliter adhaeret.

33. At quum animam ex sentiente intellectivam fieri dicimus, hoc ita profecto intelligendum non est, perinde ac prius in homine revera sit anima mere sensitiva, quae, per additionem divini luminis, intellectiva postmodum fiat. In ordine quippe, ut dicunt, metaphysico seu rerum subsistentium, utraque contemporanea est; humanum scilicet subjectum nequaquam existit, nisi una cum *materia* sui sensus (corpore) et intelligentiae suae objecto sive *forma* (ente), quae uno

(1) Praestanter Bossuetus: « Il faut entendre que l'âme, faite à l'image de Dieu, capable d'entendre la vérité, qui est Dieu même, se tourne actuellement vers son original, c'est-à-dire vers Dieu, où la vérité lui paraît autant que Dieu la lui veut faire paraître: car il est maître de se montrer autant qu'il veut; et quand il se montre pleinement, l'homme est heureux » (*De la connaissance de Dieu* etc.).

simul actu natura ponit: subjectum namque humanum est « principium sensitivum - intellectivum (1). In ordine tamen logico sive conceptuum, anima sensitiva intellectivam praecedit: siquidem accurata hominis analysis sensum prius in eo detegit ac dignoscit, quem ipse cum brutis animantibus communem habet; exinde vero intelligentiam, qua ab eisdem distinguitur (2).

34. Animam humanam a Deo immediate creari animadvertimus. Non omnes tamen, de hujusce creationis modo vel tempore, eadem sentiunt; hinc diversae philosophorum de animae origine opiniones.

Sunt 1° qui animas putant, multo, antequam in corpora introirent, tempore exstitisse; atque in haec, tamquam in carcerem, si Orpheo credimus, ad scelera luenda a diis immitti. Animae igitur jam alteram, horum sententiâ, vitam vixerunt; at, quum corporibus, si ita loqui fas est, illigantur (perinde ac soporiferae bibant pocula Lethe) rerum, quarum cognitione jamdiu vigerent, memoriam penitus abjiciunt. Quo fit, ut ideae, quas nos in dies adipisci dicimus, haud novae sint, sed totidem veluti (nulla quamvis de iis conscientia superstite) reminiscentiae: hae nempe ideae in mente nostra jam inerant, sed in ea sopitae quo-

(1) Id autem S. Thomae doctrinae omnino consentaneum est: *Animal*, inquit Doctor angelicus, *significat id quod habet naturam sensitivam; rationale vero quod habet naturam intellectivam; homo vero quod habet utrumque* (Sum. theol.).

(2) «Con questa maniera, ait Rosminius, che - il principio sensitivo si sollevi a stato d'anima intellettiva -, non vogliam mica dire, che un principio meramente sensitivo sia *preceduto* di tempo all'anima intellettiva: nulla di ciò. Non dividiamo il sensitivo dall'intellettivo umano di tempo (che posson essere contemporanei), ma indichiamo solo una precedenza nell'ordine de' concetti ». (*Antropologia* ecc.).

dammodo ac delitescentes; quasque deinceps, occasione data, excutimus. Qui hujuscemodi opinioni adhaerent, vocantur *Praeexistentiani*. Huic autem Plato suffragari videtur; apud quem solemne illud est: *Discere est meminisse* (V. *Logica*, n.185). Ita saltem, facili atque ad vulgarem popularemque sensum accommodata ratione, suam de innatis ideis sententiam, in *Menone*, explicare studet (1).

2° Non desunt, qui animas post mortem, e corporibus in corpora (vel aliorum hominum, vel belluarum etiam) migrare arbitrentur. Hujusmodi doctrina, - cui platonica, nuper exposita, omnino consentit (2) -, *Metempsychosis* appellatur; quam Pythagoras, ab Aegyptiis arreptam, in Graeciam et Italiam transtulisse fertur (3).

---

(1) Hunc Menonis locum, Cousino interprete, partim saltem exponere juvat: « L'âme, étant immortelle, étant d'ailleurs née plusieurs fois et ayant vu ce qui se passe dans ce monde et dans l'autre et toutes choses, il n'est rien qu'elle n'ait appris. C'est pourquoi il n'est pas surprenant qu'à l'égard de la vertu et des autres choses, elle soit en état de se ressouvenir de ce qu'elle a su antérieurement; car, comme tout se tient, et que l'âme a tout appris, rien n'empêche qu'en se rappelant une seule chose, ce que les hommes appellent apprendre, on ne trouve de soi-même tout le reste, pourvu qu'on ait du courage, et qu'on ne se lasse point de chercher. En effet, ce qu'on nomme chercher et apprendre n'est absolument que se ressouvenir ».

(2) « Il nous paraît évident, ad rem Cousinus, que le passage du *Ménon* dont il s'agit est tout-à-fait pythagoricien. On y trouve la doctrine de l'immortalité de l'âme, avec celle de la métempsycose, à laquelle est rattachée celle de la réminiscence » (*Nouveaux Fragmens philos.*).

(3) Huc spectat Ovidius in *Metamorphosi:*

Omnia mutantur, nihil interit, errat; et illinc
Huc venit, hinc illud, et quoslibet occupat artus
Spiritus, eque feris humana in corpora transit;
Inque feras noster.

De hac porro doctrina ita lepide Racinius, in poëmate *La Religion:*

La mort, si je l'en crois (*Pythagore*) ne doit point m'affliger:
On ne périt jamais, on ne fait que changer;
Et l'homme et l'animal, par un accord étrange,
De leurs âmes entr'eux font un bizarre échange.

3° Alii denique (eo praesertim consilio, ut originalis peccati rationem reddant) animas e parentibus in filios propagari, ac veluti traduci opinantur. Qui propterea *Traduciani* dicti sunt.

35. Praecipuas de animae humanae origine sententias nobis innuisse sat est. In his siquidem plura, ad libidinem plane conficta, ne dicam absurda, quisque facile deprehendit.

Quod itaque rationabilius hac de re ac certius affirmari posse videtur, hoc est, animam tunc a Deo creari et cum corpore conjungi, quum hujus organa ad actiones vitales obeundas accommodata sunt; vel clarius, tunc subjectum ex animali et mere sentiente intelligens fieri, - idest ad *Entis* intuitionem evehi -, quum sensus animalis majorem, quoad ejus fieri possit, specificam perfectionem, unitatem atque harmoniam, aptissimae organizzationis ope, adeptus est. Utrum autem mundi opifex, Deus, ad sic agendum, aliqua naturalis necessitatis, vel saltem congruentiae, lege ducatur, - ne ab instituto nostro nimium recedamus -, investigare omittimus (1).

CAPUT III.

De animae cum corpore commercio.

36. Id extra omnem dubitationem jam positum est, duabus hominem substantiis sive partibus, - *anima* nempe *rationali* et *corpore vivente* -, con-

---

(1) Amplus equidem conjecturis, neque improbabilibus, hic patet locus, hac praesertim posita *lege*, quam in natura universa vigere constat; idest: « quae imperfecta sunt, pedetentim et gradibus perfectionem attingunt ». De qua lege videsis Rosminium in *Theodicaea*.

stare. Quae, licet natura omnino dispares, ea tamen lege simul copulatae sunt, ut unicum *individuum* quod humanum dicunt, *unitatem* scilicet *personalem* efficiant.

Verum quidem est, principium intelligens et liberum (animam) eam esse partem, quae, - nedum majoris in humana persona sit momenti -, illius proprie *essentiam* constituit, dum corpus nonnisi quaedam veluti, utut necessaria, ejusdem *conditio* haberi debet; hanc nihilominus personalitatem et corpus ipsum vere participat. Quo fit, ut, quum *hominem* nominamus, - quanquam interdum anima, quippe excelsior pars, pro toto sumitur, - nec sola anima (*anima non est homo*, inquit S. Thomas) nec corpus solum, sed utraque simul intime connexa substantia, idest humana compages, intelligatur: namque *anima*, ut idem S. Thomas animadvertit, *in statu praesentis vitae*, nil praestare sine corporis adjumento potest (1). Et revera, nonne tunc *hominem* de vita migrare seu mori dicimus, quum animae fit a corpore discessus, tametsi utrumque seorsum permanere pergit (2)?

« Naturalis haec animae cum corpore conjunctio », *commercium* appellari consuevit.

(1) Vera itaque et sana philosophia ea est, quae humanas actiones atque affectiones, neque animae simpliciter tribuit (quod Idealismum olet) neque ad corpus vel corporeos sensus unice refert (uti placet materialistis), sed *Composito*, ut ajunt, seu *Conjuncto* adscribit; juxta illud scholasticorum: « Operationes omnes sunt Compositi seu Conjuncti ». In hanc porro doctrinam vel rudes ipsi homines plane consentiunt. Quos nunquam, ex. gr., dicere audies: *Anima Petri dolet pede*; eo autem minus: *Corpus Petri capitis dolore afflictatur*; sed *Petrus* (idest *Compositum* illud ex anima et corpore, cui nomen est *Petrus*, *capite* vel *pede dolet*).

(2) Recte igitur Manzonius, - quidquid contra quibusdam visum est -, splendidissimum, quem omnes norunt, in Napoleonem, hymnum ita exorditur: Ei fu. Quod nullomodo ab iis dissentit, quae de se habet Horatius: *Non omnis moriar; magnaque pars mei - Vitabit Libitinam* (Od. III, 30).

Art. 1. — *Animam inter et corpus inest commercium.*

37. Hoc vere inesse commercium, facto ipso evidenter atque certissime comprobatum est.

Quotidiana siquidem experientia edocemur, animae imperio corpus obtemperare, atque ad illius nutum moveri; et contra, ex rerum externarum in organa sensoria impressionibus, novum repente in animo, hisque respondentem, statum enasci. Sic, ex faustis et laetis nunciis, ex hilari cogitatione, ex bonis amici diffunditur vultus. Quum temporis praeteriti memoriam repetimus, ac mentem nostram subeunt antelucanae aut vespertinae lucubrationes, vel longe melius, beneficentiae ac virtutis actus, a nobis jamdiu confecti, nae hujuscemodi jucundissimae recordationes praecordia distendunt, novamque, dixerim, vitam in corpus infundunt (1). His autem oppositi oriuntur effectus, ubi funestis ideis animus torqueatur.

Vicissim vero, firma corporis constitutione et bona valetudine exhilaratur animus, atque optime utplurimum et ipse valet (*mens sana in corpore sano*, ut ait Juvenalis). Morbos contra et malas ciborum concoctiones, tristes imagines cogitationesque sequuntur, quae moleste animum divexant.

38. Sed quid multis opus est? arctum adeo commercium hoc esse constat, ut hinc potissimum materialistae argumenta eliciant, quibus animam a corpore nequaquam distingui probare contendunt.

(1) *Conscientia bene actae vitae, multorumque benefactorum recordatio jucundissima est* (Cic., *De senectute*).

At, quantum inter binas hasce substantias discriminis intersit, satis, ut mea fert opinio, cuique jam patet. Quod si, quomodo hae simul copulentur, fortasse nescimus, non ideo *veritatem*, solidissimo ratiocinio innixam (animae scilicet immaterialitatem); vel *factum*, quod conscientia ipsa invictissime testatur (idest inter animam et corpus commercium) inficiari fas est (1).

Art. 2. — *Praecipua philosophorum de commercio systemata.*

39. Animam inter et corpus commercium inesse, demonstravimus. At non omnes ad eumdem modum hoc mente concipiunt atque intelligunt; unde varia, ad illud explicandum, a philosophis excogitata systemata.

Inter haec *Platonicum*, *Cartesianum* et *Leibnitianum* praesertim memorare juvat (2). Quae ta-

(1) Profecto, si omnia deneganda essent, quorum existentiae rationem incompertam habemus, jam de praecipuis phaenomenis, - in ordine intellectuali non solum, verum etiam in physico -, prorsus actum foret. Hujusmodi sunt electricae et magneticae *attractiones* vel *repulsiones; mutationes* ac vices, quas vegetalia et animantia subeunt, dum primo oriuntur, crescunt, pereuntque; *motus* de corpore in corpus *transmissio;* admirabiles coelestium corporum *cursus* et *conversiones....* Hinc, quo demum humana cognitio redigeretur, quisque facillime videt.

(2) Cudwortum omittimus, qui, - essentiali inter animam et corpus posito discrimine -, mediam quamdam substantiam (quam *mediatorem plasticum* appellat) sibi animo effinxit; quae, - nec materia omnino nec spiritus, sed spiritualis una simul et materialis -, ad animam corpori conciliandam quodammodo et consociandam idonea sit. Liquet enim, Cudwortum, quam auferre nititur, difficultatem vel maxime augere: multo quippe difficilius est, ens mente concipere, quod una spiritus sit et materia, quam binas oppositae naturae substantias, in se invicem et mutuo agentes cogitatione complecti.

Obiter autem hic animadvertimus, *animam mortalem*, quam Plato, et *animam sensitivam*, quam Aristoteles in medium adduxit; *ignem spiritualem* Stoicorum, *flammam vitalem*, a Willisio adinventam; Vanhelmontii *archeum*;... et fortasse, quem nuperi spiritistae excogitarunt, *peri-spiritum* -, nil aliud esse, nisi totidem veluti mediatores plasticos; de quibus omnibus recte dixeris: *Vox, vox, vox, praetereaque nihil.*

men in hoc omnia conveniunt, ut quamdam quidem, paene dixerim, necessitudinem, quoddam veluti, inter corpus et animam foedus, minime vero realem ac proprie dictam in his connexionem ponant.

40. Plato docet, haud puro putoque nexu corpori suo animam uniri atque conjungi, sed in eo, - adinstar gubernatoris in navi, aut regis in solio -, residere; cumque a corpore nullomodo pendeat, huic omnino praeesse atque imperare. Quocirca hominem, uti jam alias diximus (*Logica*, n. 288), definit « intelligentiam, cui organa famulantur ».

Hujusmodi doctrina nullo pacto nobis probanda videtur: quippe quae in *spiritualismum* quemdam, a communi sensu plane abhorrentem, manifesto abit. Per Platonem enim, corpus organicum, utpote quid naturae hominis mere accidentale atque accessorium, nequaquam vero uti pars ejus integrans, - quemadmodum revera esse paullo ante animadvertimus (n. 36) -, habetur.

41. Cartesius, ejusque assecla Malebranchius, hac ratione argumentum solvere conatus est. Deus, inquit, animum quemque humanum in corpus veluti inclusit, quin tamen physicus ullus ac directus alterius in alterum sit influxus: vera namque et immediata, - sive corporis motuum, sive animae idearum atque affectionum -, ipse Deus est causa. Deus scilicet, qui omnibus omnino praesto adest, ubi in organum aliquod sensorium ab externo objecto fiat impressio, illa veluti arrepta occasione,

sensationes et ideas in anima, corporeis impressionibus respondentes, illico procreat. Vicissim vero, statim atque anima volitionem vel desiderium aliquod edit, hac Deus occasione permotus, ac veluti animae imperio obtemperans (hac quippe, Cartesii sententiâ, seipsum lege devinxit) ad illius nutum et voluntatem, motus in corpore ac mutationes extemplo gignit.

Ex his patet, impressiones in corpore, haud proprie modificationum animae causas, sed *occasiones* tantum; itidem volitiones animae, nonnisi *occasiones*, minime autem corporis motuum causas esse. Quo factum est, ut hujusmodi systema, *causarum occasionalium* appellaretur.

42. Cum Cartesiano maxime congruit systema Leibnitii. Cujus in primis solemne hoc est, vices omnes ac mutationes, quae in ente quovis contingunt, a propria et interna quadam entis ejusdem vi, per necessariam evolutionem, manare. Unde fit, ut determinata motuum series oriatur, quorum alter alteri aptus et colligatus est; at nulla omnino ens finitum in ens aliud agendi virtute pollere.

Hoc praejacto principio, contendit Leibnitius, animam et corpus duo quodammodo automata, sive machinas semoventes esse, vel, ut ipse ait, duas *monades* (perinde ac si diceres entia solitaria, independentia), ea ratione constitutas, ut in earum una (nempe in corpore) multiplices ac varii motus sibi deinceps et continenter succedant; in altera vero (idest anima) haud interrupta sensuum, idearum ac volitionum series existat. Quae tamen omnia fiunt, quin hae monades ne minimum quidem in se mutuo agant; vel

etiamsi alteram ab altera sejunctam, aut quoquomodo illas simul copulatas posueris (1). Sed longe aliter se se res habet. Deus namque, - utriusque dissimilis hujus substantiae, seu monadis, mutationes et affectionum seriem praenoscens (nequaquam vero eas ipse determinans) -, ex innumeris seligit animaeque illud adsociat corpus, cujus singulae motiones, quolibet temporis puncto, animae sensibus ac volitionibus aptissime respondeant; ita tamen, ut nulla utrinque sit connexio, sed coincidentia tantum: non secus ac in duobus horologiis contingit, ea ratione ab artifice constructis, ut, - licet nulla sit alterius ab altero dependentia -, utrumque tamen eamdem adamussim indicet horam, sibique assidue atque *harmonice* consonent.

Quare hoc systema *harmoniae praestabilitae* dictum est (2).

43. Sed neutrum horum systematum amplectendum nobis putamus. Principio enim hypotheticum, quin imo falsum omnino est, quod Cartesius et Malebranchius autumant, nonnisi causam *primam* et absolutam (Deum) veram agendi vim habere; quas autem causas *secundas* vocant, nil aliud esse, praeter occasiones et motivos quodam-

---

(1) Quocirca perridiculum sane, hoc posito systemate, foret, si anima in corpus aliquod, forte veluti et casu objectum, immitteretur. Pono, si libet, Catilinae animam cum corpore Ciceronis; vel animam Socratis cum Xantippis aut Meliti corpore consociari: quid hoc, quaeso, absurdius et monstruosius effingi jam poterit?

(2) Cartesiano Leibnitianum systema admodum convenire, paullo ante animadvertimus. Totum quin imo inter utrumque discrimen in eo est, quod Cartesius Deum ponit, - qualibet vice et singulis temporis momentis -, in corpore, vel in anima, prout res postulat, ad utrumque simul conciliandum operari; per Leibnitium contra, semel inter animae et corporis statum (quum videlicet alteram cum altero simul conjungit) harmonia constituta, de his haudamplius sollicitus est Deus. Quapropter systema Leibnitianum, *harmoniae praestabilitae*; Cartesianum vero, *harmoniae extemporalis* nuncupari commodo posset.

modo, quibus ad agendum prima causa excitetur (1).

Ad arbitrium itidem confictum omnino est Leibnitii principium, cui tota illius de commercio doctrina innititur, nullam videlicet creatum et finitum ens in ens aliud realem actionem exerere, in eoque mutationem gignere posse; hanc autem, quaecumque sit, nonnisi a principio, enti illi intrinseco, et fatali quadam lege oriri. Quid autem, si hujusmodi systema adversus principium illud manifeste pugnat, quod *rationis sufficientis* appellant (V. *Logica*, n. 61), et quo tantopere vel ipse utitur Leibnitius? Complures siquidem sunt, cum in anima tum in corpore, status, qui cum statu praecedente nullam prorsus relationem et connexionem habent; quique proinde, cur existant, nulla esset ratio sufficiens (2). Alio insuper, eoque gravissimo vitio laborat, - a quo Leibnitius ipse et Jaquelotus illud expurgare nequicquam conati sunt -, quod nempe hominis libertatem penitus tollit. Quî enimvero haec cum harmonia praestabilita consistere possit, non video (3).

(1) Haud inficiamur, hominem *primam* operum suorum non esse causam; secus enim independens et absolutus hic esset: siquidem *absolute operari* ab *esse absolute* separari nequit. Nihilo tamen secius et homo (quod profecto unicuique conscientia aperte declarat) *vera* causa, - licet in rerum contingentium ordine -, dicendus est. *In ordine*, inquam, *rerum contingentium:* illius namque actus, utpote finiti, nullam in seipsis, cur sint, sufficientem habent rationem; sed hanc a causa prima, nempe Deo, omnino mutuantur.

(2) Ceterum, hoc pacto difficultatis nodus nequaquam solvitur, at secatur potius vel praetermittitur. Si namque, ad phaenomena quaeque explicanda, ad Deum confugere statim liceret, jam nullus humanae investigationi locus relinqueretur. Unde pervulgatum illud: *Deus ex machina.*

(3) « En effet, apposite ac festive Eulerus, si les corps des hommes sont des machines semblables à une montre, toutes leurs actions sont une suite nécessaire de leur structure. Ainsi, quand un voleur me coupe la bourse, le mouvement qu'il fait de ses mains est un effet aussi nécessaire de la machine de son corps, que le mouvement de l'*indice* de ma pendule, qui marque à présent neuf heures. De là Votre Altesse tirera aisément la conséquence, que comme il serait injuste et même ridicule que je voulusse me fâcher contre ma pendule de ce qu'elle marque neuf heures, et que je voulusse la châtier pour cela; il en doit être de même du voleur, qu'on aurait également tort de châtier pour m'avoir coupé la bourse. — Là-dessus on a eu ici autrefois un exemple bien éclatant, lorsque, du temps du feu roi, M. Wolf enseigna à Halle le système de l'harmonie préétablie. Le roi s'informa de cette doctrine, qui faisait alors bien du bruit, et un courtisan répondit à Sa Majesté que tous les soldats, selon cette doctrine, n'étaient que de pures machines; et quand quelques-uns désertaient, que c'était une suite nécessaire de leur structure, et, par conséquent, qu'on avait tort de les punir, comme on l'aurait lorsq'on voudrait punir une machine pour avoir produit tel ou tel mouvement. Le roi se fâcha si fort, sur ce rapport, qu'il donna ordre de chasser M. Wolf de Halle, sous peine d'être pendu, s'il s'y trouvait encore au bout de vingt-quatre heures » (*Lettres à une Princesse d'Allemagne*).

Postremo haec systemata communi hominum sententiae plane adversantur, et consuetudini apud omnes receptae, qua nimirum corpus, veluti personalitatis nostrae pars quaedam haberi consuevit. Hanc enimvero personalitâtis communionem jus civile agnoscit atque fatetur; quo fit, ut omnes excultarum gentium codices libertatem individualem seu *personalem*, et jura quibus *persona* gaudet, passim commemorent. Nullum porro his locum, in Cartesiano et Leibnitiano systemate, relinqui, manifestissimum est.

Art. 3. — *Quid de hoc commercio statuendum sit.*

44. Hactenus exposita de commercio systemata satis ostendunt, quo demum illi adducantur, qui, - vera ac legitima philosophandi methodo, idest via factorum, pro derelicto habita -, per amaenos phantasiae campos liberius exspatiari amant.

Omnibus itaque ad hanc rem praetermissis phi-

losophorum hypothesibus, simpliciter ac mente nullis praejudiciis occupata et impedita, conscientiam consulamus. Quid porro haec nobis ad rogatum respondet? animam et corpus reali ac physico nexu simul copulari atque conjungi : cujus conjunctionis vi unicum fit subjectum animale, intellectivum et volitivum, idest *homo*.

45. Re enim vera, duplici via et ratione, si rem serio perpendimus, corpus nostrum innotescere nobis posse manifestum est: vel nempe, adinstar aliorum corporum, per externam observationem, utpote sensuum externorum *objectum* seu terminum ; vel ope observationis internae, veluti quamdam nostrummet partem, quae, una cum anima, sensationum nostrarum est *subjectum* (1).

Si igitur ad naturalem sensum illum, quem de se ipso quisque habet, animi nostri attentionem convertimus, jam perspicuus commercii, de quo agitur, conceptus nobis se prodit. In praesenti namque naturae nostrae statu, humanum subjectum (l'*io*) vim quamdam in se ipso, a se tamen distinctam, sentit ; dumque eam sentit, in externum quemdam terminum, quo *corpus* suum definitur, sensum suum profert atque diffundit. Quum porro hic *sensus* in dubitationem adduci nullomodo possit, jam inde manifesto consequitur, animae cum corpore connexionem sive commercium, utpote factum habendum esse, quod interna observatione seu conscientia certissime nobis constat : factum scilicet primitivum, inextri-

(1) Haec praemittere optimum duximus, commentitia enim philosophorum de commercio systemata ex eo potissimum orta sunt, quod hi postremam hanc humanum corpus cognoscendi rationem haud satis animadvertere, vel omnino praeterhabere consueverint.

cabile, si placet (1); quodque naturam ipsam nostram constituit.

46. Quod si aliquam nihilominus momentosi hujusce facti explicationem pertentare licet, id in primis animadvertendum est, animam humanam, sensitivam una et rationalem esse.

Quatenus *sensitiva*, ejus cum corpore conjunctio, ope sensus perficitur (*per via di sentimento*). Haec igitur conjunctio toto coelo ab ea distat, quae inter corpora inest : anima enim et corpus, diversae naturae sunt entia. Quare unio et mutua, de qua hic loquimur, actio, nil aliud est, quam quaedam *relatio sensilitatis* inter *principium* simplex et *terminum* extensum ; quae duo unum sensum (animalem) gignunt. Unde patet, vinculum quo anima cum corpore connectitur, ejusmodi esse, ut eo arctius ullum et interius excogitari nequeat.

47. Quod vero ad animam, qua rationalis est, spectat, hujus cum corpore conjunctionem in « primitiva quadam, naturali, continua et immanente sensus fundamentalis - corporei (V. *Logica* n. 16) *perceptione* » (2), ponendam esse cum Rosminio statuimus.

Ut autem id plane comprehendamus, in mentem revocare opus est, principium sentiens et principium intelligens, in humano quolibet individuo, *subjectum unum substantiale*, idest animam

(1) Modus ait S. Augustinus, *quo corporibus adhaerent spiritus et animalia fiunt, omnino mirus est, nec comprehendi ab homine potest ; et hoc ipse homo est* (De civ. Dei). Item Pascalius : « L'homme est à lui-même le plus prodigieux objet de la nature ; car il ne peut concevoir ce que c'est que le corps, et encore moins ce que c'est que l'esprit, et moins qu'aucune chose comment un corps peut être uni avec un esprit. C'est là le comble de ses difficultés, et cependant c'est son propre être » (*Pensées*).

(2) Quam rectius fortasse *apprehensivam rationalem* dixeris.

humanam, unam et individuam constituere. Duplex porro huic subjecto jugiter adest terminus, in quem ejusdem actus absolvitur: extensum nempe sensu perceptum, et ens intelligibile (*l'esteso sentito, e l'essere intelligibile*). Quum autem principium intellectivum pro termino seu objecto suo *ens in universum*, proindeque entitatem omnem habeat, sensum etiam complectitur: nam et hic quaedam est entitas. Jamvero principium intellectivum, - quatenus illius objectum est sensus, tamquam entitas consideratus -, eatenus *principium* vel *anima rationalis* nuncupatur. Sed in sensu, uti nuper animadvertimus (n. 46), principium animale sentiens (anima) et quod sentitur (corpus) in unum reducuntur. In prima igitur sensus animalis - fundamentalis perceptione inest perceptio corporis: idest animae rationalis cum corpore unaque cum principio, quod illud proxime animat, conjunctio.

48. Paucis itaque: *Animae humanae* perpetuo, utpote illius terminus, adest corpus: terminus nimirum *sensus* (termine sentito), quatenus anima sensitiva est; *intellectus* vero (termine inteso), quatenus intellectiva. Corpus est animae terminus, *sensus* una et *intellectus* (sentito-inteso). Quaedam igitur inest in anima, proprii corporis, - primigenia, naturalis et immanens -, intellectiva perceptio: in hac porro perceptione, animae rationalis cum corpore nexus seu *commercium* omnino consistit (1).

(1) Quae breviter ac perspicue ita complectitur Rosminius: « 1° L'anima razionale è unita al sentimento animale fondamentale per una percezione naturale ed immanente; 2° essendo nel sentimento fondamentale due elementi cioè il senziente e il sentito, l'anima razionale è unita conseguentemente all'uno e all'altro; 3° l'essere unita al *sentito* è lo stesso che l'essere unita al proprio corpo soggettivo, per la quale unione ella divien passiva perchè esso corpo è passivo; 4° dall'essere unita al *senziente*, ne viene ch'ella sia attiva, e possa operare su questo principio che regge il sentito ossia il corpo, e così operare su di questo » (*Psicologia*).

Ex his tandem explicita atque absoluta hominis definitio duci potest (V. n. 24): *Homo* scilicet est « subjectum animale, entis idealis-indeterminati intuitione, necnon proprii sensus fundamentalis-corporei perceptione praeditum, atque secundum animalitatem et intelligentiam operans ».

CAPUT IV.

De animae humanae immortalitate.

49. Cuivis enti creato certus praefinitus est terminus: ens nimirum quodlibet ob finem aliquem conditum est, ad quem assidue ac naturaliter tendit; et quo semel adepto, perfectionem, - cujus est capax et prout ejus natura fert -, consecutum esse dicitur. Ad *perfectionem* itaque et ad *finem* suum tendere, idem omnino est. At, inter entia rationalia et ea quae rationis expertia sunt, hoc maxime interest, quod illa proprium finem norunt: quare ad illum assequendum sponte sua ac libere totis viribus contendere possunt, vel ab eo etiam, si libet, desciscere, indeque irreparabilem sibi ultro jacturam afferre; haec autem, ex contrario, naturae ipsius impulsu et instinctu, vel potius sic Deo jubente, necessario et constanter ad finem suum vergunt. Quo fit, ut adamussim atque ad supremi rerum Conditoris praescriptum, non attingere illum nequeant (1).

(1) Huc spectare videntur quae habet Cic. (De nat. deorum): *Neque enim dici potest, in ulla rerum institutione non esse aliquid extremum atque perfectum. Ut enim in vite, ut in pecude (nisi quae vis obstitit) videmus naturam suo quodam itinere ad ultimum pervenire, atque, ut pictura et fabrica caeteraeque artes habent quendam absoluti operis effe-*

Hisce positis, quaeritur utrum homini, - quemadmodum ceteris universitatis entibus -, finem suum, idest propriae naturae absolutionem perfectionemque, hisce in terris assequi liceat; an, contra, nonnisi in alio, a praesenti plane diverso, rerum statu, evenire ac fieri id possit? Vel, aliis verbis, quaeritur, utrum anima humana, corpore soluta, et ipsa occidat desinatque et, uti materialistis arridet, ceu fumus in auras evanescat; an, a fine suo longe adhuc distans, altiora et nobiliora spectet, propterea que existere ac vivere pergat? quod quidem omni asseveratione nos adfirmamus.

50. Verum quidem est, animam arctissimo, uti superius diximus, nexu cum corpore, dum vita superest, esse conjunctam; inde tamen non sequitur, hoc illam vacantem, constare haudamplius posse. Quamvis enim in praesens tempus, ad naturales facultates suas evolvendas rerumque cognitiones adipiscendas corpore opus sit animae, quis hanc dubitet, multo expeditius longeque melius consecuturam id esse, quum ad ipsum veritatum omnium fontem pervenire, easque plenis haustibus hinc haurire illi datum fuerit (1)? Caeterum, facilius intellectu est, animam, a corpore secretam permanere ac vivere, quam ut haec duo simul intime sint copulata (2).

ctum; sic in omni natura, ac multo etiam magis, necesse est absolvi aliquid ac perfici.

(1) Ad rem Cicero: *Atque ea profecto tum multo puriora et dilucidiora cernentur, cum, quo natura fert, liber animus pervenerit. Nam nunc quidem, quamquam foramina illa, quae patent ad animum a corpore, callidissimo artificio natura fabricata est, tamen terrenis concretisque corporibus sunt intersepta quodam modo. Cum autem nihil erit praeter animum, nulla res objecta impediet, quominus percipiat, quale quidque sit* (Tusc. quaest.).

(2) *Mihi quidem*, ut ejusdem Tullii verbis utamur, *naturam animi intuenti, multo difficilior occurrit cogitatio, multoque obscurior, qualis animus in corpore sit, tamquam alienae domi, quam qualis, cum exierit et in liberum coelum, quasi in domum suam, venerit* (Tusc. quaest.).

Paucis igitur: *Anima humana est immortalis;* en thesim, quam modo demonstrandam adgredimur. Quae mehercule omnium gravissima, quaeque hominis vel maxime refert, est quaestio (1).

51. Jam vero animam humanam immortalem esse, propterea que corpori suo superstitem exsistere debere, ab ipsa, simplici ac spirituali, ejus natura deducitur (2); atque ex eo quod existentia et vita sibi propria gaudet, quae ab illius cum corpore conjunctione nullomodo pendet. Profecto, anima rationalis, uti jam pluries animadvertimus, ab lumine rationis essentialiter formatur: ab objecto nimirum intellectivo (ente ideali) quod illi jugiter adest, et in cujus contemplatione perpetuo ipsa defigitur. Hoc porro objectum est quid ad Deum ipsum pertinens (*un'appartenenza di Dio*), divinum scilicet elementum; in quod vix dum anima adhaeret, non secus ac illud, indestructibilis atque immortalis fit (V. n. 32): cujuslibet namque subjecti natura ab termino suo definitur atque constituitur (3).

Quum itaque hominis corpus dissolvitur (*si dis-*

(1) Quemadmodum egregie animadvertit magnus Pascalius: « Il ne s'agit pas ici de l'intérêt léger de quelque personne étrangère; il s'agit de nous-mêmes et de notre tout. L'immortalité de l'âme est une chose qui nous importe si fort, et qui nous touche si profondément, qu'il faut avoir perdu tout sentiment pour être dans l'indifférence de savoir ce qui en est » (*Pensées*).

(2) *In animi autem cognitione*, inquit Cicero, *dubitare non possumus, nisi plane in physicis plumbei sumus, quin nihil sit animus admixtum, nihil concretum, nihil copulatum, nihil coagmentatum, nihil duplex. Quod cum ita sit, certe nec secerni, nec dividi, nec discerpi, nec distrahi potest: nec interire igitur. Est enim interitus quasi discessus, et secretio, ac diremptus earum partium, quae ante interitum junctione aliqua tenebantur* (Tusc. disp.).

(3) *Quidquid est illud*, ut idem ait Tullius, *quod sentit, quod sapit, quod vult, quod viget, coeleste et divinum est, ob eamque rem aeternum sit necesse est* (De Consolatione).

organizza), vita quidem animalis evanescit, - unde homo vulgo dicitur *mori* (V. n. 36); at vita illius spiritualis seu rationalis (V. *Logica*, n. 121) superest ac durat (1).

52. Ast, opponet fortasse quispiam, anima humana essentialiter ac necessario immortalis non est: id quippe nonnisi de Deo affirmare licet; *qui solus*, uti ad Timotheum scribit Apostolus, *habet immortalitatem*. Si igitur anima initium quondam habuit, nonne et exitum habere seu deficere potest?

Respondemus, id, absolute loquendo, fieri quidem posse, sic nempe Deo volente; in quo solum, sicuti creandi, ita et destruendi vis inest: utrumque enim omnipotentiam seu vim infinitam postulat (2). Quod enimvero contingeret, ubi anima ab naturali suo objecto seu termino distraheretur (3); ubi videlicet seipsum Deus illi subduceret, neque amplius sese in illius conspectum da-

(1) Duplex haec hominis vita ab ecclesiasticis scriptoribus generatim admittitur. Inter quos Lactantium praesertim memorare placet: *Quia homo*, inquit christianus Cicero, *ex duabus rebus constat, corpore et anima, quorum alterum terrenum est, alterum coeleste, duae vitae homini attributae sunt, una temporalis quae corpori assignatur, altera sempiterna quae animae subjacet.*

(2) Quum ab ente nullo contingente et finito destrui possit anima, jam sequitur, neque animam ipsam se destruere potis esse. Ad haec, « ens quodlibet (id nempe lex ontologica, eaque immutabilis, fert) eo ipso quod est, ad se ipsum servandum perficiendumque tendit (V. n. 49); nullum propterea ens vi pollet, quae ad sui destructionem spectet ».

(3) Ita nimirum omnis, una cum actu primo, animae actus cessaret; quid porro in ea reliquum esset? Acute Rosminius: « Ogni ente compiuto è un principio semplice, il quale ha un suo termine naturale e immanente. Se il principio ha il suo termine, egli è; ma se gli è tolto il termine, cessa. Questo principio, spogliato di tutti i suoi termini, rimane una mera astrazione, una mera capacità, un ente simile alla materia prima degli antichi che supponevasi spoglia d'ogni forma.... La distruzione adunque di un ente contingente non avviene se non in questo modo, che sia distrutto il termine in cui finisce il suo atto primo » (*Psicologia*).

ret; vel clarius, si intelligentiae lumen animae auferret. Tunc nempe intelligens ac rationalis haudamplius haec foret; jam proinde alia omnino esset atque antea fuerat; non esset anima humana; brevi: in nihilum reduceretur.

At id Deum nolle, sed hanc potius ejus voluntatem esse, ut anima humana, corpore soluta, perduret suamque vitam in perpetuum servet, - praeterquamquod Revelatio -, complura evincunt argumenta: quorum alia ex animae ipsius natura; alia vero ex Dei consideratione, ejusque providentiae ac sapientiae ordine eruuntur; quibus argumentum etiam addemus, ab universali hominum consensu depromtum.

Art. 1. — *Ex animae humanae natura, hanc Deum destruere nolle probatur.*

53. 1° Naturale omnibus inest ac vehemens *immortalitatis desiderium:* quo fit, ut perenni ferme cogitatione futurum tempus prospiciamus, cujus tanta nobis est cura. Omnes siquidem, - ni plane stupidos fortasse ac bardos -, videre est, plus minusve, sui apud posteros memoriam scriptis, monumentis, rerum gestarum celebritate, vel alia ratione quaerere (1); ne illis quidem exceptis,

(1) Accommode elegantissimus Firenzuola: « Chi si è dato a perpetuarsi ne' figliuoli.... e altri in diversi esercizii affaticandosi, han cerco morendo lasciare di sè tal nome, ch'e' vivano lungo tempo infra di quegli che vengono dappoi loro. E questo secondo modo è di più ragioni; imperocchè alcuni col far cosa degna di memoria, altri con lo scriverla, molti con lo edificare, certi col trovare o aggiugnere qualche cosa di nuovo, e chi con una cosa e chi con l'altra cercano saziare questo loro tale desiderio » (*Discacciamento delle lettere* ecc.). Quod jam et ipse animadvertit Cicero: *Maximum vero*, inquit, *argumentum est, naturam ipsam de immortalitate animorum ta-*

qui animae immortalitatem oppugnare nituntur, - adeo quippe naturae vis praestat (1)! Jamvero, quorsus hoc desiderium, si nil homini, post fata corporis, supersit? Spesne inanis et quoddam velut somnium vigilantis dicendum hoc erit? Atqui, S. Thoma docente, *naturale desiderium non potest esse inane* (2). Hoc tamen desiderium toto

---

citam judicare, quod omnibus curae sint, et quidem maxime, quae post mortem futura sint.... Quid procreatio liberorum, quid propagatio nominis, quid adoptiones filiorum, quid testamentorum diligentia, quid ipsa sepulcrorum monumenta, quid elogia significant, nisi nos futura etiam cogitare? (Tusc. disp.). « Solo il materialista, subdit Rosminius, dileggia la religion de' sepolcri, e infrange il nodo che stringe infra loro le generazioni. A colui che crede all'immortalità dell'anima, la *persona* non perisce, e, svestita del çorpo, resa invisibile, ella coesiste coi suoi, che alla loro volta vivono sopra la terra. E l'uman genere ci crede, e n'ha l'intima scienza: onde i costumi, la religione, la letteratura, le leggi, le arti parlano degli avvenire ed agli avvenire; quelli che ancora non sono, hanno protezione, sono rappresentati, ricevono diritti e doveri ed eredità di memorie, di ammaestramenti, di conforti, di ricchezze dagli altrui sudori raccolti » (*Filosofia del diritto*)

(1) *Quid nostri philosophi?* ut idem ait Tullius, *nonne in his ipsis libris, quos scribunt de contemnenda gloria, sua nomina inscribunt?* Similiter, doctrina praestantissimus vir, Guizotus: « Elle (l'idée de l'immortalité) est également impliquée dans les actions des hommes qui n'y pensent point, dans l'esprit de famille, dans le respect des morts, dans l'amour de la gloire, partout où se révèle le besoin, ou l'espérance, ou la crainte, ou l'admission implicite, sous quelque forme et à quelque degré que ce puisse être, d'un fait quelconque au-delà de cette vie. Spontanée ou réfléchie, claire ou confuse, apparente ou cachée, acceptée ou repoussée, puissante ou faible, permanente ou passagère, l'idée de l'immortalité se rencontre dans tous les esprits; aucun homme qui ne sente, ou ne pense, ou ne fasse des choses dont la portée dépasse le tombeau, des choses qu'il ne ferait, ne penserait, et ne sentirait point, si l'idée de l'immortalité n'était en lui » (*Méditation sur l'immortalité de l'âme*).

(2) Quam sententiam sic elegantissime exprimit Racinius:

Des siècles à venir je m'occupe sans cesse:
Ce qu'ils diront de moi m'agite et m'intéresse.
Je veux m'éterniser, et, dans ma vanité,
J'apprends que je suis fait pour l'immortalité.
De tout bien qui périt, mon âme est mécontente.
Grand Dieu, c'est donc à toi de remplir mon attente!
Si je dois me borner aux plaisirs d'un instant,
Fallait-il pour si peu m'appeler du néant?
Et si j'attend en vain une gloire immortelle,
Fallait-il me donner un cœur qui n'aimât qu'elle?

coelo distat ab instinctivo propriae conservationis principio et vivendi cupiditate, qua omnes omnino, et vel ipsae belluae, naturaliter tenentur; sed ex rationali hominis natura, et ardenti suae perfectionis studio potissimum oritur. Quod satis ostendunt quotquot ultro, - ad Religionis decus, vel ad patriae incolumitatem, et ne ab officio suo discedant -, infracto animo cruciatus omnes perferre, mortemque ipsam serena fronte oppetere non dubitant. Quamobrem, futurae vitae spe ademta, jam heroes funditus ac martyres de medio sustuleris (1).

---

(1) Ili namque, uti in libro *Sapientiae* legimus, *etsi coram hominibus tormenta passi sunt, spes illorum immortalitatis plena est*. Pro omnibus sint nobis septem fratres eorumque mater, de quibus memoria est in lib. Machabaeorum secundo; qui mortem, per exquisitissima supplicia, sibi ab Antiocho paratam constanter ac fortissime pertulerunt, potiusquam in patrias Dei leges delinquerent. Quum enim, qui illorum prior ad regem fuerat locutus, in sartagine diu cruciaretur, *ceteri*, ita sacer Scriptor, *una cum matre invicem se hortabantur mori fortiter, dicentes: Dominus Deus aspiciet veritatem, et consolabitur in nobis, quemadmodum in protestatione cantici declaravit Moyses; et in servis suis consolabitur*. Mortuo jam primo, in ejus loco alter successit; qui, *in ultimo spiritu constitutus, sic ait: Tu quidem scelestissime in praesenti vita nos perdis, sed Rex mundi defunctos nos pro suis legibus in aeternae vitae resurrectione suscitabit*. Item quartus, *cum jam esset ad mortem, sic ait: Potius est ab hominibus morti datos spem exspectare a Deo, iterum ab ipso resuscitandos; tibi enim resurrectio ad vitam non erit.... Supra modum autem mater mirabilis, et bonorum memoria digna, quae pereuntes septem filios sub unius diei tempore conspiciens, bono animo ferebat, propter spem quam in Deum habebat: singulos illorum hortabatur voce patria fortiter, repleta sapientia.... dixit ad eos:.... Mundi Creator, qui formavit hominis nativitatem, quique omnium invenit originem, et spiritum vobis iterum cum misericordia reddet et vitam, sicut nunc vosmetipsos despicitis propter leges ejus*. Septimus tandem, isque adolescentior: *Quem*, clamat, *sustinetis? non obedio praecepto regis, sed praecepto legis, quae data est nobis per Moysen. Tu vero, qui inventor omnis malitiae factus es in Hebraeos, non effugies manum Dei. Nos enim pro peccatis nostris haec patimur.... Tu autem, o sceleste, et omnium hominum flagitiosissime, noli frustra extolli vanis spebus in servos ejus inflammatus. Nondum enim omnipotentis Dei, et omnia inspicientis, judicium effugisti. Nam fratres mei, modico nunc dolore sustentato, sub testamento aeternae vitae effecti sunt; tu vero judicio Dei justas superbiae tuae poenas exsolves... Et hic itaque mundus obiit, per omnia in Domino confidens. Novissime autem post filios et mater consumpta est*.

Neque secus et ipsi ethnici hac super re sentiunt: *Nemo unquam*,

Immortalitatis autem desiderio alterum hoc proxime atque inseparabiliter accedit, quo nempe omnes ad felicitatem assidue tendimus; quod profecto, futura vita sublata, fallax omnino et supervacaneum foret. At si desiderium hujusmodi, - quippe commune omnibus et constans -, naturale est proindeque a Deo ipso nobis impressum, jam sequitur, serius ocius (ni voluntas nostra perverse ac temere obsistat) finem suum consecuturum esse (1).

---

ait Cicero, *sine magna spe immortalitatis, se pro patria offerret ad mortem* (Tusc. disp.). Et rursum: *Nemo unquam mihi, Scipio, persuadebit, aut patrem tuum Paullum, aut duos avos, Paullum et Africanum, aut Africani patrem, aut patruum, aut multos praestantes viros, quos enumerare non est necesse, tanta esse conatos, quae ad posteritatis memoriam pertinerent, nisi animo cernerent, posteritatem ad se pertinere. An censes (ut de me ipso aliquid more senum glorier) me tantos labores diurnos nocturnosque, domi militiaeque suscepturum fuisse, si iisdem finibus gloriam meam, quibus vitam, essem terminaturus? Nonne melius multo fuisset, otiosam aetatem et quietam, sine ullo labore et contentione traducere? Sed, nescio quomodo, animus erigens se, posteritatem semper ita prospiciebat, quasi, quum excessisset e vita, tum denique victurus esset. Quod quidem ni ita se haberet, ut animi immortales essent, haud optimi cujusque animus maxime ad immortalitatem gloriae niteretur* (De senectute). Caesar autem de Gallis loquens: *Hoc maxime*, inquit, *ad virtutem excitari putant, metu mortis neglecto* (De Bello Gall.).

(1) « Essendo questa propensione alla felicità, uti scite ac nervose argumentatur Rosminius, l'universal tendenza della natura nostra, in noi inestinguibile, essenziale, che genera o comprende tutte l'altre; ed essendo l'oggetto universale degli umani diritti, ella dee altresì poter venire soddisfatta da ciascuno, che coi proprii delitti non abbia privato se stesso di tale soddisfazione. Altrimenti sarebbevi una tendenza senza scopo, un fine senza mezzo, un merito senza premio: cosa opposta non meno al fermo ordine della natura, che alla sapienza e bontà del suo autore. Poichè se il germe tende a svolgersi e produrre il frutto, egli ha pur anche ricevute le forze e gli aiuti da ciò; altrimenti si ravviserebbe una specie di contraddizione nella natura delle cose: e nella nozione stessa di tendenza si racchiude una forza, che allo sviluppo conduce. Nè le forze fisiche e le morali hanno in questo altro divario, se non che quelle operano per necessità, queste per cognizione e libertà: quelle perciò finiscono in se stesse, ossia portano, mediante esterni aiuti, in sè il proprio oggetto; all'incontro la cognizione e la libertà rapiscono a sè oggetti anche fuori di se medesime. Onde se in quelle vi è una fisica necessità che ottengano il fine loro, in queste ve n'ha una morale. Non vi sarebbe

54. 2° Propria est hominis *indefinita perfectibilitas*. Immensus nimirum est humanae *intelligentiae* captus, utpotequae a veritate ipsa, seu ente ideali, - cui nullus praefinitus est terminus -, ormatur; quemadmodum, duce Rosminio, in Ideologia demonstravimus (1). Quo fit, ut quantumvis veritates deprehenderit et cognitiones sit adepta, nunquam se satis habere sentiat; quinimo, quo plus rerum cognoscit, eo plus cognoscendi ac sciendi desiderio incendatur (2). Idem autem et

---

infatti nè cognizione nè libertà, se oggetto alcuno non vi fosse da conoscere e da volere. È dunque l'oggetto sempre in relazione colla facoltà sua: sicchè in quella maniera che non si saprebbe nè pure l'esistenza di lei, se non avesse un oggetto in cui operare; così sapendosi la esistenza sua, conchiuder si dee che l'oggetto esiste. E se anche non v'avesse questa ragione, indotta dalla costante analogia che si ravvisa in tutte le cose della natura, e dalla necessità di riconoscere le tracce di una sapienza che presiede alla medesima: a chi ammette un Dio creatore, non può non esser chiarissimo, che la debba esser così; perocchè un desiderio essenziale alla nostra natura, che oggetto alcuno possibile non avesse, l'accuserebbe di crudeltà e di stoltezza: chè un tal desiderio ci sarebbe d'eterno affanno e d'un affanno comune all'uomo più giusto come al più reo; e avremmo tutti noi una natura stolta, perchè bramerebbe eternamente l'impossibile » (*Saggio sulla Speranza*).

(1) « Questo è il sistema, - uti doctissimus Rosminii interpres, Tommaseus, animadvertit -, più consentaneo a' principii dell'indefinita umana perfettibilità; giacchè, qualunque oggetto alla mente si presenti, coll'idea dell'essere questa se ne impadronisce, e lo riconosce informato di quel suggello. Indeterminazione sublime che tiene dell'infinito; che rende l'uomo capace dell'entusiasmo e del desiderio, due fiumi reali che scendono dalle altezze interminate del possibile ».

(2) Perinde ac, pene dixerim, bellua, de qua, in *Inferno*, loquitur Dantes,

Che mai non empie la bramosa voglia,
E dopo il pasto ha più fame che pria.

Quare egregie optimas Anna Aloysia De Staël: « Tout, hors la pensée, parle de destruction; l'existence, le bonheur, les passions sont soumises aux trois grandes époques de la nature, *naître*, *croître* et *mourir*; mais la pensée, au contraire, avance par une sorte de progression dont on ne voit pas le terme; et, pour elle, l'éternité semble avoir déjà commencé » (*De l'influence des passions* etc.).— Hoc porro argumentum de animae humanae immortalitate, ex indefinita ejus perfectibilitate depromtum, fuse pertractat Addisonus, subtilis et elegans Britannus scriptor, in *Spectatore*.

de voluntate dicendum est; quae, quum intelligentiam pone sequatur, tot bona potest velle, quot intelligentia agnoscere potest.

Si itaque « infinita est hominis, uti ait Plato, ad veritatem, - proindeque ad bonum -, progressio »; vel, aliis verbis, si naturales illius potentiae indefinite perfectibiles sunt, jam alia, post hanc, opus est existendi ratio seu vita, in qua penitus explicari et perfici hae possint (1): in qua videlicet, - veritates omnes in *Vero* aeterno atque infinito (substantiali) intuens et agnoscens (2),

(1) Apte ad rem nostram, doctrinae praeclarus vir. Degerandus: « Jusq'ici, inquit, en considérant la vie humaine comme une grande et continuelle éducation, nous avons concentré nos regards, dans le cours même de la vie. Cette pensée acquiert une grandeur, une dignité toute nouvelle, si, envisageant la destinée de l'homme dans toute son étendue, et d'un point de vue plus élevé, nous portons les yeux sur cet immense avenir que lui promet la philosophie, que la nature même lui annonce, que la religion lui garantit. Cette faculté elle-même d'un perfectionnement progressif, continu, indéfini, fournit, à elle seule, une induction aussi puissante que légitime en faveur d'un avenir auquel elle se réfère, et dont elle est comme le précurseur. Ce sont comme les deux termes d'un magnifique rapport, qui s'expliquent l'un par l'autre » (*Du perfectionnement moral* etc.). — Item solertissimus, aevo nostro, naturae speculator, I. Herschelius, Britannus: « L'uom vede, come, - tutto che la intelligenza più potente o la più lunga vita scoprir gli lasciano con le investigazioni sue proprie, o gli concedon di tempo onde trar profitto da quelle degli altri -, tutto al più ne lo scorga sul limitare della scienza. È egli quindi a stupire, che un essere così fatto accolga in prima la speranza e arrivi poscia a convincersi, che il suo principio intellettivo non subirà altrimenti le vicende del corpo; che l'uno non finirà, quando si scioglierà l'altro? È egli a stupire, com'ei si persuada che, ben lungi dallo estinguersi, farà egli passaggio ad una vita novella, ove, sciolto dai mille ostacoli che or nel ritengono e ingombrano, fornito di sensi più sottili, di più sublimi facoltà, attignerà a quella fonte di sapienza ond'era quaggiù tanto assetato »? (*Discorso intorno allo studio della filosofia naturale*). Hinc merito Seneca, ad Lucilium suum scribens, contra mortis metum sic illi animos addit: *Proinde intrepidus horam illam decretoriam prospice: non est animo suprema, sed corpori..,.. Dies iste, quem tamquam extremum reformidas, aeterni natalis est* (Epist. CII).

(2) De quo eximie, ut solet, Dantes in *Paradiso:*

bonisque omnibus in *Bono* infinito ac summo gaudens -, omnino expleatur et finem suum tandem denique attingat. Hoc enimvero Deus est, *qui sua solus*, ait Doctor angelicus, *infinita bonitate potest voluntatem hominis perfecte implere* (1).

55. 3° Neminem profecto latet, vitae integrum scelerisque purum placidissima *animi pace* ac tranquillitate frui (2); impios contra et improbos, - nil quamvis fortasse sit, quod ab hominibus metuant -, *conscientiae stimulis* miserrime exagitari (3). His autem clam scelus commisisse, nil

Io veggo ben che giammai non si sazia
Nostro intelletto, se 'l *Ver* non lo illustra,
Di fuor dal qual nessun vero si spazia;

« lo quale (vero) ha in sè tutte le verità; e questo è Iddio », uti Butius interpretatur.

(1) Nam, quemadmodum paullo ante citato loco rectissime animadvertit Rosminius, « se tutti hanno la facoltà di felicitarsi e v'anelano, questa felicità debb'essere una cosa generale e che tutti possano godere.... Mentre adunque tanto il re quanto il misero, tanto il dotto quanto l'indotto, sentono un egual bisogno di felicità; e l'uno e l'altro dunque hanno un bisogno comune a cui tendono. Or non sono gli oggetti particolari che posseggono, quelli che li felicitino; perchè la tendenza è di egual natura in tutti. Se si esaminano pertanto tutti gli oggetti possibili, non se ne trova che un solo che abbia questa proprietà e nota distinta, che possa esser goduto universalmente e pienamente da tutti, e questo è Dio. L'oggetto adunque che propone la religione, anche colla ragion sola si intende potere esser l'unico che feliciti l'uomo, e che s'adegui alla tendenza della felicità, la quale essendo generale, dimanda un oggetto generale, come è Dio, che da tutti può essere goduto per l'amore in egual modo, e con certezza, senza che ad alcuno manchi ». Quod paucis ac sublimiter ita exprimit regius Psaltes: *Satiabor, cum apparuerit gloria tua.* — De hoc autem iterum in *Ethica*, ubi *De hominis beatitudine* sermo erit.

(2) *Secura mens quasi juge convivium* (Proverb.). *Gloria nostra*, scribit Apostolus ad Corinthios, *haec est, testimonium conscientiae nostrae, quod in simplicitate cordis et sinceritate Dei, et non in sapientia carnali, sed in gratia Dei conversati sumus in hoc mundo*. Item Cicero: *Conscientia bene actae vitae, multorumque benefactorum recordatio jucundissima est* (De senectute).

(3) *Hae sunt impiis*, idem ait Cicero, *assiduae domesticaeque furiae* (Pro S. R. Amerino). *Cum sit enim*, uti auctor libri *Sapientiae* plane rem explicat, *timida nequitia, dat testimonium condemnationis: semper enim praesumit saeva, perturbata conscientia. Nihil enim est timor nisi proditio*

prodest: sceleris enim recordatio illos ubique comitatur ac premit (1). Solitudine impius terretur; nec tamen aliorum societate gaudet. Magis angitur et excruciatur, dum scelus usque adeo inultum animo secum revolvit. Quare illud haud raro contingit, ut vel ipse, - quo de flagitiis suis divinae atque humanae justitiae satisfaciat, et ab se de onere quodammodo imminuat -, clam commissum facinus ultro confiteatur ac prodat; saepe etiam invitus, paene dixerim, vel inscius manifestet (2).

Nonne, quaeso, certissimum hoc est, instantis atque inevitabilis ab eo solvendi supplicii, proindeque futurae vitae omen et argumentum? Quaenam enim alia facti hujuscemodi sufficiens ratio afferri potest (3)?

ART. 2. — *Deum nolle animam destruere, ex Dei ipsius ejusque attributorum consideratione deducitur.*

56. Et primum, qua de causa Deus animam, corporeis vinculis solutam, in nihilum rediget? Anne quidpiam in rerum natura destrui ac de-

cogitationis auxiliorum. Et dum ab intus minor est expectatio, majorem computat inscientiam ejus causae, de qua tormentum praestat.

(1) *Fugit impius, nemine persequente; justus autem, quasi leo confidens, absque terrore erit* (Proverb.).

(2) « Bene spesso la corrotta coscienza, contra ogni preparamento o consenso del delinquente, suole scoprire i suoi pensieri » (A. Firenzuola, *Discorso degli animali*).

(3) Unde Cicero: *Magna*, inquit, *est vis conscientiae in utramque partem, ut neque timeant qui nihil commiserint, et poenam semper ante oculos versari putent qui peccarint* (Pro Milone). Neque aliter Quintilianus: *Sceleris*, ait, *compos sollicitudine, poenitentia, poenarum omnium expectatione torquetur.*

leri videmus (1)? Varias equidem materiam formas inducere: vel nempe in subtilissimum fluidum, vel in fluxum liquidum, vel in tenax solidum abire constat; item, modo in mineralia, in plantas modo aut in animantium corpora converti; at nil unquam destruitur. Hoc tantum sensu verum illud est quod dicitur, omnia hisce in terris disperire atque deficere (2).

Jam porro, si materiale ipsum corpus, - cum quo ad tempus anima conjuncta est, et quo, veluti instrumento, utitur -, permanet tamen ac durat, cur haec, longe illo praestantior atque nobilior, ab eoque nullomodo pendens, exterminabitur (3)? Atqui absurdum omnino est, Deum, tot naturas rationales, - Deo ipsi cognoscendo colendoque idoneas -, in dies procreare, ubi paene vix editas in nihilum reverti patiatur; quin earum nonnullis datum sit, ad sui Creatoris agnitionem accedere, vel semel eximias facultates adhi-

(1) *Nihil odisti eorum quae fecisti:* ait auctor libri Sapientiae. Similia leguntur in Ecclesiastico: *Didici quod omnia opera quae fecit Deus perseverent in perpetuum.*

(2) *Omnia mutantur, nihil interit*, quemadmodum in Ovidii *Metamorphosi* legitur. Item Cicero animadvertit, res omnes *interire, non in nihilum, sed in suas partes, quae infinite secari ac dividi possunt, cum sit nihil omnino in rerum natura minimum, quod dividi nequeat* (Academ.).

(3) Quod nitide, more suo, ita exprimit Fenelonus: « Le corps n'est point anéanti. Il n'y a pas le moindre atome qui périsse. Il n'arrive, dans ce qu'on appelle *mort*, qu'un simple dérangement d'organes; les corpuscules les plus subtils s'exhalent; la machine se dissout et se déconcerte: mais en quelque endroit que la corruption ou le hasard en écarte les débris, aucune parcelle ne cesse jamais d'exister, et tous les philosophes sont d'accord pour supposer qu'il n'arrive jamais dans l'univers l'anéantissement du plus vil et du plus imperceptible atome. A quel propos craindrait-on l'anéantissement de cette autre substance très-noble et très-pensante que nous appelons l'*âme?* Comment pourrait-on s'imaginer que le corps, qui ne s'anéantit nullement, anéantisse l'âme, qui est plus noble que lui, qui lui est étrangère, et qui en est absolument indépendante »? (*Lettres sur la métaphysique*).

bere (nedum evolvere) quibus ornatae atque instructae ab illo fuerunt (1). Siquid tamen in mundo est, quod ad perpetuitatem permanere deceat, id privilegii sibi profecto vindicant cognitio et caritas Dei, eaque proinde entia, quae hisce actibus exercendis naturâ sunt apta (2).

57. 2° Belluarum status et conditio, earumque vires sensitivae atque instinctivae inter se plane

(1) Apposite Addisonus in *Spectatore*: « Quis existimet, humanam mentem, tot perfectionibus innumerisque virtutibus et cognitionibus comparandis idoneam, fere ab ortu suo ad nihilum redigendam esse? An putabimus humanae menti has dotes inditas, quae nullum usum habiturae forent, nihilque in illis concedendis fuisse Conditori propositum? Brutum animal, sibi destinatum, perfectionis gradum assequitur ultra quem nequit progredi, sed paucissimis annis qualitates omnes adipiscitur naturae suae accommodatas, quibus partis qualitatibus, etiamsi decies centena annorum millia viveret, idem propemodum esset atque nunc est. Itaque mentem humanam arbitrarer sensim atteri, tum derepente interire, si modo haec, brutorum instar, angustis esset circumscripta limitibus, atque, intra definitum quoddam tempus, ejus facultates ita perficerentur, ut perfici ulterius nequeant. At vero credibile non est, cogitantem naturam singulisque diebus alias atque alias perfectiones assequentem, postquam sui Conditoris opera coepit contemplari, ejusque infinitam sapientiam, benignitatem potentiamque aliquantulum dignovit, vel primis initiis et vixdum inquisitionibus suis inchoatis, interire ».

Quae omnia ita strictim complectitur S. Augustinus: ***Numquam tanta et talia pro nobis divinitus agerentur, si morte corporis etiam vita animae consumeretur*** (Confess.).

(2) Gratum erit, haud dubito, eloquentissimum Bossuetum hac de re disserentem audire: « Il faut donc penser, chrétiens, qu'outre le rapport que nous avons du côté du corps, avec la nature changeante et mortelle, nous avons d'un autre côté un rapport intime, et une secrète affinité avec Dieu, parce que Dieu même a mis quelque chose en nous, qui peut confesser la vérité de son être, en adorer la perfection, en admirer la plénitude; quelque chose qui peut se soumettre à sa souveraine puissance, s'abandonner à sa haute et incompréhensible sagesse, se confier en sa bonté, craindre sa justice, espérer son éternité. De ce côté, Messieurs, si l'homme croit avoir en lui de l'élévation, il ne se trompera pas; car comme il est nécessaire que chaque chose soit réunie à son principe, et que c'est pour cette raison, dit l'Ecclesiaste, que le corps retourne à la terre, dont il a été tiré, - ***revertatur pulvis ad terram suam, unde erat*** -, il faut, par la suite du même raisonnement, que ce qui porte en nous la marque divine, ce qui est capable de s'unir à Dieu, y soit aussi rappelé, - ***spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum*** » (Oraison funèbre de Henriette - Anne d'Angleterre, duchesse d'Orléans).

conveniunt. Perpetua e contrario, inter rerum constitutionem in quibus homo versatur, ejusque facultates, affectiones et desideria contentio est et pugna. Ergone belluarum melior, quam hominum dicenda est sors (1)? Ob id igitur solum intelligentiam ac libertatem homini largitus est Deus, ut omnium, quae in terris sunt, miserrimum faceret (2)? Quis, talia mente revolvendo, non perhorrescat? At, ubi altera post hanc vita supersit, - si nempe, uti ait Apostolus, *non habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus* -, contradictiones hujusmodi omnino dissolvuntur (3).

(1) « Si l'homme, - ait alter inter Gallos eloquentia disertissimus, Massillonus -, n'est rien au-dessus de la bête, que ne coule-t-il ses jours comme elle, sans soucis, sans inquiétude, sans dégoûts, sans tristesse, dans la félicité des sens et de la chair? Si l'homme n'a point d'autre bonheur à espérer qu'un bonheur temporel, pourquoi ne le trouve-t-il nulle part sur la terre? D'où vient que les richesses l'inquiètent, que les honneurs le fatiguent, que les plaisirs le lassent, que les sciences le confondent et irritent sa curiosité, loin de la satisfaire; que la réputation le gêne et l'ambarrasse; que tout cela ensemble ne peut remplir l'immensité de son cœur, et lui laisse encore quelque chose à désirer? Tous les autres êtres, contens de leur destination, paraissent heureux à leur manière, dans la situation où l'auteur de la nature les a placés. Les astres, tranquilles dans le firmament, ne quittent pas leur séjour pour aller éclairer une autre terre; la terre, réglée dans ses mouvemens, ne s'élance pas en haut pour aller reprendre leur place; les animaux rampent dans les campagnes sans envier la destinée de l'homme qui habite les villes et les palais somptueux; les oiseaux se réjouissent dans les airs, sans penser s'il y a des créatures plus heureuses qu'eux sur la terre. Tout est heureux, pour ainsi dire, tout est à sa place dans la nature: l'homme seul est inquiet et mécontent; l'homme seul est en proie à ses désirs, se laisse déchirer par des craintes, trouve son supplice dans ses espérances, devient triste et malheureux au milieu de ses plaisirs; l'homme seul ne rencontre rien ici-bas où son cœur puisse se fixer ».

(2) «Si je dois finir avec mon corps, subdit I. Simonus, pourquoi Dieu m'a-t-il fait libre? Pourquoi s'est-il révélé à moi dans ma raison? Pourquoi a-t-il fait de l'immuable et de l'éternel l'objet constant de ma pensée? Pourquoi m'a-il donné un cœur qu'aucun amour humain ne peut assouvir? Cette puissance qui transforme le monde, cette pensée qui le mesure et le dépasse, ce cœur qui le dédaigne m'ont-ils été donnés pour mon désespoir »? (*Le Devoir*).

(3) « D'où vient cela, ô hommes! - sic sermonem modo memora-

58. 3° Justitiae lex existit sempiterna, evidens atque omnium mentibus splendescens, quae bonam voluntatem felicem esse: idest, *bono morali, eudaemonologicum bonum* necessario conjunctum iri jubet (1). Haec itidem lex praecipit, ut voluntas mala infelix sit, ut nempe *malum morale* post se, *malum eudaemonologicum* inseparabiliter trahat (2). Aliis verbis: Virtutem praemio affici, poena autem vitium multari necesse est.

Verum enimvero, longe secus sese in terris res habent. Dum enim in mundo physico concinnus ubique et sane mirus elucet ordo, mundus contra moralis magnam perturbationem atque confusionem prodit (3). Ibi namque, crebro heu nimium!

---

tum concludit Massillonus -, ne serait-ce point parce que vous êtes ici-bas déplacés, que vous êtes faits pour le ciel, que votre cœur est plus grand que le monde, que la terre n'est pas votre patrie, et que tout ce qui n'est pas Dieu n'est rien pour vous »?

(1) « La colleganza fra la virtù e il merito, inquit Giobertius, è razionale, apodittica, assoluta, come quella che corre tra l'effetto e la causa, la conseguenza e le premesse. Onde tanto è assurdo che la virtù perseverante sia fraudata della sua mercede, quanto che venga meno l'ordine universale e il fine ultimo di tutto il creato » (*Del Buono*).

(2) « Colui, scribit Rosminius, che ha fatto onta all'ordine dell'eterna giustizia acquista un *debito* di restituirle un onore corrispondente. Quest'ordine necessario della giustizia è ontologico; cioè egli è un ordine intrinseco all'essere, di modo che l'*università degli esseri* non può stare senza che quell'ordine sia reintegrato, senza che quel debito sia pagato » (*Teodicea*).

(3) « Que le monde est grand, exclamat Massillonus, qu'il est magnifique! que le gouvernement des États et des empires offre à nos yeux de sagesse, d'ordre et de magnificence, quand nous y voyons une Providence qui dispose de tout, depuis une extrémité jusqu'à l'autre, avec poids, avec nombre, avec mesure.... Mais si on en sépare la Providence, et qu'on le regarde tout seul; si l'on n'y voit plus que les passions humaines qui semblent mettre tout en mouvement, ce n'est plus qu'un chaos, qu'un théâtre de confusion et de troubles, où nul n'est à sa place; où l'impie jouit de la recompense de la vertu; où l'homme de bien a souvent pour partage l'abjection et les peines du vice; où les passions sont les seules lois consultées; où les hommes ne sont liés entre eux que par les intérêts même qui les divisent; où le hasard semble décider des plus grands

illud videre est, quod jandiu Claudianus lamentabatur.... *laetosque diu florere nocentes, - Vexarique pios* (1). At si sanctus, providens ac justus est Deus, una profecto eademque trutina virtutem et vitium pensare nequit: hoc scilicet inultum, illam vero absque mercede et omni spe orbatam deserere. Unicuique igitur, - quando hisce in terris non fit -, in altera post hanc vita, pro bene vel male actis, congrua praemia vel poenas promeritas Deus dispertietur: *Dii reservant poenas praesentis fraudis in diem*, uti ait Cicero (2);

événemens; où les bons succès sont rarement la preuve et la recompense de la bonne cause; où l'ambition et la témérité s'élèvent aux premières places que le mérite craint, et qu'on refuse au mérite; enfin, où l'on ne voit point d'ordre, parce que l'on n'y voit que l'irrégularité des mouvemens, sans en comprendre le secret et l'usage ».

(1) Quod quidem pluribus exemplis, lib. *De natura deorum* tertio, evincit Tullius: « Cur, *inquit*, duo Scipiones, fortissimos et optimos « viros, in Hispania Poenus oppressit? Cur Maximus extulit filium « consularem? Cur Marcellum Hannibal interemit? Cur Paullum Cannae sustulerunt? Cur Poenorum crudelitati Reguli corpus est praebitum? Cur Africanum domestici parietes non texerunt? Sed haec « vetera, et alia permulta: propiora videamus. Cur avunculus meus, « vir innocentissimus, idemque doctissimus, P. Rutilius in exsilio « est? Cur sodalis meus interfectus domi suae Drusus? Cur temperantiae prudentiaeque specimen ante simulacrum Vestae pontifex « maximus est Q. Scaevola trucidatus? Cur ante etiam tot civitatis « principes a Cinna interempti? Cur omnium perfidiosissimus, C. Marius, Q. Catulum, praestantissima dignitate virum, mori potuit jubere? Dies deficiat, si velim numerare, quibus bonis male evenerit; nec minus, si commemorem, quibus improbis optime. Cur enim Marius tam feliciter, septimum consul, domi suae senex est « mortuus? Cur omnium crudelissimus tandiu Cinna regnavit »?

Idem autem et exemplis recentioribus nullo negotio comprobari et confirmari posset.

(2) « Quand on voit, inquit summus Georgius Cuvierus, le malheur de la vertu et la prospérité du crime, c'est un besoin profondément senti que celui d'un ordre de choses à venir; car on ne voit point que l'Auteur de la nature ait soumis à un semblable désordre aucune autre partie de l'univers » (*Histoire des mammifères*). Vel, uti strictim ac valide argumentatur sacer concionator Beauregard: « Hérode est sur le trône, Jean-Baptiste dans les fers, Dieu est juste; il y a donc une autre vie ».

sicque praesens, - quam dolemus, cujusque Deum ipsum insipienter insimulamus -, inordinatio penitus evanescit (1).

Hoc autem, si sedulo expendas, de animae humanae immortalitate argumentum, adeo potens ac validum est, ut per se solum rem penitus conficere, nullumque de hac veritate dubitandi locum relinquere videatur (2).

ART. 3. — *Animam humanam immortalem esse, ex universali hominum consensione evincitur.*

59. Hactenus expositis, de animorum immortalitate, intrinsecis argumentis extrinsecum, vel, - uti etiam appellari consuevit -, *morale* adjungimus: quod scilicet universali, constanti ac perenni hominum consensu innititur.

Hujusce porro consensus plenam fidem faciunt

---

(1) « Je conçois, optime ait Cousinus, que cet ordre de choses est un état passager, et que l'ordre éternel que me révèlent les principes absolus de la justice et du mérite sera rétabli dans un autre monde ». Profecto, qui alterum hunc mundum negant, ideoque ad hanc vitam temporalem referunt omnia, quanta sit vis *justitiae* scire non possunt; atque illam cum Carneade, si sibi constare velint, plane ad *stultitiam* redigant necesse est.

(2) Praeclare et eloquentissime, ut solet, Russojus: « On dirait, aux murmures des impatients mortels, que Dieu leur doit la recompense avant le mérite, et qu'il est obligé de payer leur vertu d'avance. Oh! soyons bons premièrement, et puis nous serons heureux. N'exigeons pas le prix avant la victoire, ni le salaire avant le travail. Ce n'est point dans la lice, disait Plutarque, que les vainqueurs de nos jeux sacrés sont couronnés; c'est après qu'ils l'ont parcourue. Si l'âme est immatérielle, elle peut survivre au corps ; et si elle lui survit, la Providence est justifiée. Quand je n'aurais d'autres preuve de l'immatérialité de l'âme que le triomphe du méchant et l'oppression du juste en ce monde, cela seul m'empêcherait d'en douter. Une si choquante dissonance dans l'harmonie universelle me ferait chercher à la résoudre. Je me dirais: Tout ne finit pas pour nous avec la vie, tout rentre dans l'ordre à la mort » (*Émile*).

cuncta, quae supersunt, populorum monumenta et historiae; omnium, cum veterum tum recentiorum, sive agrestium sive excultarum gentium mores et instituta; apotheoses, justa funebria, neniae, preces, sepulcra, evocationes, sacrificia (1). Idem autem ex viatorum, qui maxime fide digni sunt, narrationibus luculentissime constat.

Atqui illud, de quo homines omnes, - etsi tanta in illis, ingenii, indolis, morum, opinionum inest diversitas -, plane ac constanter consentiunt, verissimum esse necesse est. Omnium namque consensus est vox naturae: haec autem, utpote quae a veritate ipsa formatur, est fallinescia (2).

---

(1) « Itaque, *ait Cic.*, unum illud erat insitum priscis illis, quos *Cascos* appellat Ennius, esse in morte sensum, neque excessu vitae sic deleri hominem, ut funditus interiret: idque cum multis aliis rebus, tum e pontificio jure et caerimoniis sepulcrorum intelligi licet; quas maximis ingeniis praediti nec tanta cura coluissent, nec violatas tam inexpiabili religione sanxissent, nisi haereret in eorum mentibus, mortem non interitum esse omnia tollentem atque delentem, sed quandam quasi migrationem commutationemque vitae, quae in claris viris et feminis dux in coelum soleret esse; in ceteris humi retineretur, et permaneret tamen .... Si vero scrutari vetera, et ex his ea, quae scriptores graeci prodiderunt, eruere coner; ipsi illi, majorum gentium dii qui habentur, hinc a nobis profecti in coelum reperientur. Quaere, quorum demonstrantur sepulcra in Graecia; reminiscere, quoniam es initiatus, quae tradantur mysteriis: tum denique, quam hoc late pateat, intelliges.... Quis est igitur, qui suorum mortem primum non eo lugeat, quod eos orbatos vitae commodis arbitretur? Tolle hanc opinionem: luctum sustuleris. Nemo enim moeret suo incommodo. Dolent fortasse et anguntur; sed illa lugubris lamentatio fletusque moerens ex eo est, quod eum quem diliximus, vitae commodis privatum arbitramur, idque sentire » (*Tusc. disp.*). Item, in lib. *De amicitia*: « Plus apud me antiquorum auctoritas valet, vel nostrorum majorum, qui mortuis tam religiosa jura tribuunt; quod non fecissent profecto, si nihil ad eos pertinere arbitrarentur ».

(2) Optime Tullius: *Omni in re*, inquit, *consensio omnium gentium lex naturae putanda est..... Maximum argumentum est, naturam ipsam de immortalitate animorum tacitam judicare... Si omnium consensus naturae vox est, omnesque qui ubique sunt, consentiunt esse aliquid, quod ad eos pertineat, qui e vita cesserint, nobis quoque idem existimandum est.* (Tusc. disp.).

60. Quod si morale hoc de animorum immortalitate argumentum nil superius expositis (a quibus enimvero vim omnem atque efficientiam suam ducit) firmitatis ac roboris addit, id saltem ostendit, insignem prorsus audacia et temeritate illum esse, qui, humana familia quasi posthabita, a communi hominum sententia recedit. Proh! quam omnia in illo ad perniciem profligata et perdita esse oportet, qui iis nequaquam tangitur, quae ceteri homines persentiunt, alteram videlicet, post hanc, nos vitam manere, in qua vix in terris inceptum curriculum persequi liceat; quem ardens haudamplius exstimulat desiderium, quo omnes tenemur, illos aliquando revisendi, quos nobis propinquitate vel amicitia conjunctos quondam habuimus (1): cum quibus, absentibus licet, mutua benevolentia et officiorum vicissitudine sumus devincti; ad quos crebro nos mente et cogitatione convertimus; quibuscum dulcia serimus colloquia: quippe illos adhuc vivere, et amicitiae vel grati animi significatione suaviter tangi credimus, proque certo putamus.

(1) *Equidem*, ait Cicero, *efferor studio patres vestros quos colui et dilexi, videndi; neque vero eos solum convenire aveo, quos ipse cognovi, sed illos etiam, de quibus audivi et legi et ipse conscripsi. Quo quidem me proficiscentem haud sane quis facile retraxerit, neque tamquam Peliam recoxerit.... O praeclarum diem, quum ad illud divinum animorum concilium coetumque proficiscar, quumque ex hac turba et colluvie discedam. Proficiscar enim non ad eos solum viros, de quibus ante dixi, sed etiam ad Catonem meum, quo nemo vir melior natus est, nemo pietate praestantior: cujus a me corpus crematum est; quod contra decuit ab illo meum* (De senect.). Item Socrates, apud eumdem Ciceronem: *Sin vera sunt, quae dicuntur, migrationem esse mortem in eas oras, quas, qui e vita excesserunt, incolunt; id multo jam beatius est, te, quum ab his, qui se judicum numero haberi volunt, evaseris, ad eos venire, qui vere judices appellentur, Minoem, Rhadamantum, Aeacum, Triptolemum; convenireque eos, qui juste et cum fide vixerint. Haec peregrinatio mediocris vobis videri potest? Ut vero colloqui cum Orpheo, Musaeo, Homero, Hesiodo liceat, quanti tandem aestimatis? Equidem saepe emori, si fieri posset, vellem, ut ea, quae dico, mihi liceret invenire* (Tusc. disp.).

61. Animae humanae immortalitatem invictissime, - uti cuilibet bonae fidei, neque misere cavillanti facile constat -, demonstravimus. Nobis attamen adolescentes christianos praesertim edocentibus silentio praeterire non licet argumentum a divina revelatione, ab ipsius nempe Dei verbo ac promissis depromptum: in his siquidem spes omnis *christiano* sita est. Jamvero Deus vitam aeternam diligentibus se pollicetur; improbis autem atque impiis aeternas, ad inferos luendas, minitatur poenas. Atqui verax, fidelis, firmus et constans est Deus (1). Hujusce porro veritatis certissima et perspicua in divinis, cum veteris tum novi Testamenti, libris prostant documenta (2).

(1) *Non est Deus*, uti in libro *Numerorum* legimus, *quasi homo, ut mentiatur; nec ut filius hominis, ut mutetur.*

(2) Inter multa, quae ad rem nostram e veteri Testamento in medium afferri possent, loca, potiora seligimus. In primisque memoratu digna haec est *Ecclesiastis* sententia: *Vidi sub sole in loco judicii impietatem, et in loco justitiae iniquitatem. Et dixi in corde meo: Justum et impium judicabit Deus, et tempus omnis rei tunc erit.* Item auctor libri *Sapientiae*, scelestis ac nequissimis impiorum relatis consiliis: *Haec*, inquit, *cogitaverunt, et erraverunt; excaecavit enim illos malitia eorum et nescierunt sacramenta Dei, neque mercedem speraverunt justitiae, nec judicaverunt honorem animarum sanctarum. Quoniam Deus creavit hominem inexterminabilem, et ad imaginem similitudinis suae fecit illum.* — In libro Tobiae legitur: *Quoniam filii sanctorum sumus et vitam illam expectamus, quam Deus daturus est his, qui fidem suam nunquam mutant ab eo. — Egredientur, et videbunt cadavera virorum, qui praevaricati sunt in me; vermis eorum non morietur, et ignis eorum non extinguetur; et erunt usque ad satietatem visionis omni carni:* sic explicit Isaiae prophetia. — Daniel: *Et multi de his qui dormiunt in terrae pulvere, evigilabunt; alii in vitam aeternam, et alii in opprobrium ut videant semper. — Unam*, ait Rex propheta (Ps. XXVI), *petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini, omnibus diebus vitae meae..... Credo videre bona Domini in terra viventium.* Iterum autem (Ps. CXLI): *Clamavi ad te, Domine; dixi: Tu es spes mea, portio mea in terra viventium... Educ de custodia animam meam ad confitendum nomini tuo; me expectant justi, donec retribuas mihi.*

Luculentiora tamen in novo Testamento habentur testimonia. Si ad evangelium S. Matthaei oculos convertimus, explicita haec occurrunt, quae discipulos suos docet Christus: *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere; sed potius timete*

62. Ex dictis manifesto patet, quum animam humanam immortalem affirmamus, id nos velle, non in aeternum solummodo substantiam illius perduraturam, sed suipsius insuper conscientiam habituram esse, semperque voluptatis ac doloris, miseriae atque beatitudinis capacem fore (1). Etenim, ubi anima corpori quidem superesset, at omni cogitatione, omni conscientia, memoria omni careret; si nulla ei inesset cognoscendi, perfruendi, patiendi facultas; nulla identitatis suae personalis conscientia, perinde tunc esset, respectu sui, ac si nullatenus existeret: non enim ab elementaribus materiei viribus differret, quae, ni Deus destruat, aeternum quoque perdurabunt.

Hae tres igitur immortalitatis conditiones statuendae esse videntur: Ut nempe 1° anima, a cor-

---

eum, qui potest et animam et corpus perdere in gehennam. Et rursus: *Quid prodest homini, si mundum universum lucretur, animae vero suae detrimentum patiatur? Aut quam dabit homo commutationem pro anima sua? Filius enim hominis venturus est in gloria Patris sui cum angelis suis: et tunc reddet uniquique secundum opera ejus*. Relata demum supremi Judicis de justis et iniquis sententia: *Et ibunt hi*, inquit, *in supplicium aeternum; justi autem in vitam aeternam. — Si pes tuus te scandalizat, amputa illum; bonum est tibi claudum introire in vitam aeternam, quam duos pedes habentem mitti in gehennam ignis inextinguibilis; ubi vermis eorum non moritur, et ignis non extinguitur* (Evang. sec. Marcum). — In evang. S. Lucae, parabolica mendici Lazari et divitis Epulonis enarrata historia: *Factum est autem*, ait Christus, *ut moreretur mendicus, et portaretur ab angelis in sinum Abrahae. Mortuus est autem et dives, et sepultus est in inferno. — Venit hora, in qua omnes qui in monumentis sunt, audient vocem filii Dei. Et procedent qui bona fecerunt, in resurrectionem vitae; qui vero mala egerunt, in resurrectionem judicii* (Evang. sec. Jo.). — Ad S. Paulum venio, cujus dignum omnino est, quod totum legatur, Cap. xv *Epist. primae*, et Cap. v *Epist. secundae ad Corinthios*. In qua postrema, pulcherrima haec et plane consolabilia leguntur: *Scimus, quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod aedificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, aeternam in coelis; nam et in hoc ingemiscimus, habitationem nostram quae de coelo est, superindui cupientes*.

Sed ad hanc rem plus etiam satis.

(1) Apposite Giobertius: « Quando si dice che l'anima è immortale, si vuol significare, ch'essa sarà sempre capace di piacere e di dolore,

pore sejuncta, existentiam suam continuet; 2° in distincta rerum perceptione et intelligentia perseveret; 3° sui conscientiam, statuumque praeteritorum recordationem retineat, eosque ad se pertinere agnoscat. Quod profecto ipsa praemii ac poenae ratio postulat; quid enim vere praemio aut poena affici dicendus est, qui vel non existit; vel nullam suipsius conscientiam habet; vel denique rerum a se gestarum oblivione capitur? Haec porro ad Pantheistas generatim (de quibus mox in parte altera dicemus) et Communistas nostri aevi praesertim (qui, duce Petro Leroux, metempsychosim quamdam seu humanam palyngenesiam in medium adduxerunt) spectant. Et revera, si nulla animae, ut hi quidem opinantur, post mortem personalitas et individualitas superest, jam de illius immortalitate omnino actum est (1).

---

di miseria e di beatitudine; giacchè il desiderio della felicità e di una vita perpetua, l'orror naturale della morte, la perfettibilità della nostra natura, l'esigenza apodittica del merito e del demerito, la sanzione necessaria della legge morale, la bontà, la giustizia, la provvidenza del Creatore, e tutti gli altri argomenti che dimostrano quella verità confortatrice, non si restringono a stabilire la mera durata dell'anima come sostanza, ma importano la perpetuità della coscienza; anzi non comprovano la prima, se non in quanto è necessaria a mettere in sicuro la seconda » (*Considerazioni sopra le dottrine religiose* di V. Cousin).

(1) « Que m'importe, egregie in rem Alphredus Sudre, que la force virtuelle qui est en moi subsiste après la mort, si elle cesse d'être moi, si elle ne se manifeste que sous la forme d'un être entièrement nouveau, sans aucun souvenir de son existence passée? A ce compte, mon corps aussi est immortel, car je sais que les molécules matérielles qui le constituent sont impérissables, et recomposeront dans la suite des siècles d'autres êtres animés. O philosophe, professez franchement la doctrine du néant, nous n'avons que faire de votre immortalité » (*Histoire du Communisme*).

Id autem vel ipse plane vidit Lucretius Carus, atque hisce versibus eleganter expressit:

> Nam si tantopere 'st Animi mutata potestas,
> Omnis ut actarum exciderit retinentia rerum:
> Non (ut opinor) id ab letho jam longiter errat.

ART. 4. — *Nonnullis adversariorum objectis occurritur.*

63. *Sed plurimi*, ait Cic. (Tusc. disp.), *contra nituntur, animosque quasi capite damnatos morte multant;* atque

Objiciunt 1°, nil pro vita futura, ex felicitatis desiderio, quo homines flagrant, inferri posse. Hujusmodi namque desiderium non est naturale, sed quid potius commentitium et imaginatione confictum; vel, si mavis, quaedam naturae ipsius illusio: humana quippe felicitas in spe unice sita est; quo fit, ut felix proprie dicendus sit ille, qui se felicitatem consecuturum jugiter sperat (1). Caeterum, pluribus aliis cupiditatibus ac desideriis urgentur homines, ut puta *gloriae, honorum, divitiarum*, et similium; quae profecto non semper, quin imo raro vel numquam explentur. Idem igitur et de *felicitatis* desiderio affirmare quid vetat?

Respondemus. Generale felicitatis desiderium (*desiderium*, inquam, *generale*, minime autem peculiaris cujuspiam boni appetitionem) vere homini naturale esse, ex eo patet, - uti jam diximus -, quod constans est, continuum et universale: *Beati certe*, inquit Cic., *omnes esse volunt*. Nec volunt solum, sed nolle non possunt; siquidem altis adeo in hominum animis hocce desiderium radicibus est defixum, ut si quis hinc fortasse exstirpare illud

(1) Sic nimirum, inter italos, Ugo Fuscolus opinatur; qui illusiones utpote unicum vitae pabulum habet, vetatque, « si rompa al popolo questo velo da cui traspare un mondo di belle e care imagini.... Misero l'uomo se vedesse il vero! Non troverebbe più forse ragione di vivere » (*Dell'origine e dell'uffizio della letteratura*). A qua tamen sententia, ingravescente aetate, expolitissimus scriptor admodum recessisse videtur.

velit, frustra omnino laboret (1). Naturam porro, seu potius naturae Auctorem, perpetuo hominem ludibrio habere, eumque ad felicitatem quamdam Tantaleam dumtaxat constituisse, nefas mehercule et impium est dictu.

At, quod de universali felicitatis desiderio verissimum est, de aliis supra memoratis cupiditatibus affirmare nullo pacto licet. Hae namque a natura minime inseruntur, sed ex ipso naturali felicitatis desiderio, veluti a radice, ortum ducunt: quia nempe, donec ad illius possessionem admittamur, inquieti illam anquirimus; unde fit, ut ad quamcumque boni speciem forte oblatam inclinemur, rati, beatitudinem studiose quaesitam ibi latere posse.

64. Ob. 2°. Anima, ad corpus informandum atque regendum a Deo condita est; vel, uti ajunt scholae, est *corporis forma substantialis*, eique *regendo accommodata*. Ergo, deficiente hujusmodi fine, cur pergat existere, nulla est ratio.

Resp., corporis informationem et regimen, *proximum* quidem et inadaequatum, minime vero supremum atque *ultimum* animae finem appellari posse; facultates enim quibus est praedita, finem longe nobilissimum praestitutum illi esse, apertissime ostendunt: ad veri scilicet cognitionem et boni amorem, ideoque ad moralem sui perfectionem esse factam.

(1) Praeclare atque eleganter Racinius:
Que dis-je! libre en tout, je fais ce que je veux;
Mais dépend-il de moi de vouloir être heureux?
Pour le vouloir, je sens que je ne suis plus libre.
C'est alors qu'en mon cœur il n'est plus d'équilibre,
Et qu'aspirant toujours à la félicité,
Dans mon ambition je suis nécessité.
Quoi! l'homme n'est-il pas l'ouvrage d'un bon maître?
Puisqu'il veut être heureux, il est donc fait pour l'être.

Quid autem, si animadvertimus, facultates hujuscemodi in infinitum tendere; proptereaque nonnisi summi Veri ac Boni cognitione atque amore, Dei nempe ipsius possessione, expleri posse? Cur, quaeso, tanta tamque excellens animi vis, soluto corpore, destrui et intercidere dicenda est? Atqui Deus nil unquam frustra molitur.

65. Ob. 3°. Anima tum a Deo creatur atque in corpus infunditur, cum organis affabre aptatum hoc est; ergo, quum corporis compages dissolvitur, et animam ipsam interire oportet.

Resp. Ab animae ortu, illius interitus inferri legitime nequit: nulla enim inter utrumque similitudinis ratio intercedit. Et revera, quando, inter caetera, ad corpus etiam informandum comparatur anima, facile intelligitur, cur a Deo tunc solum procreetur, quum ad illam quodammodo excipiendam, opportunum atque idoneum in promtu est corpus. At vero, quoniam non ad hoc solum regendum atque pro opportunitate adhibendum, sed ad alios quoque, - eosque, ut vidimus, longe nobilissimos fines - , condita est anima, manifestum est, pereunte corpore, illam quoque perire nullomodo consequi. « Anne artifex, uti ingeniose ait Herderus, desinit esse, quod de illius manibus instrumentum excidit »? Nonne rerum ordo postulare omnino videtur, ut eo corpus et anima, - quum alterius ab altero fit discessus -, quo cujusque natura fert, veluti ad terminum suum, perveniat (1)?

---

(1) *Revertatur pulvis*, ait Ecclesiastes, *in terram suam unde erat, et spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum*. Similiter Seneca: *Cum venerit dies ille, qui mixtum hoc divini humanique secernat, corpus hoc, ubi inveni, relinquam, ipse me diis reddam* (Epist. CII). Quid plura? vel ipse

66. Ob. 4°, pro diverso corporis statu, indesinenter animam mutari: perpetuis siquidem vicissitudinibus, - ex varia corporis aetate, constitutione, valetudine et similibus -, humanam sensibilitatem, intelligentiam et voluntatem affici, unicuique compertum est. Inde per analogiam inferunt, una cum corpore, interire atque evanescere animam quoque debere (1).

Resp., diversa prorsus ratione animam oriri ac corpus. Hoc enim per partium jam prius existentium coagmentationem ortum habet; illa e contrario per immediatam creationem e nihilo educitur. Haud eumdem igitur finem utrique esse decet. Quae autem inter utrumque similitudo et analogia intercedit, hoc intimo arctoque vinculo, quo simul, ut vidimus, copulantur, tribuenda omnino est. Ex hoc enim fit, ut nunc anima adolescere, nunc aegrotare, nunc recte valere, consenescere nunc videatur: quippe adolescit, aegrotat, bene valet aut consenescit corpus. Cum autem, in praesenti rerum statu, corpore tanquam instrumento,

---

Lucretius Carus, quasi sui immemor suamque materialismi doctrinam repudians, haec apertissime scribit:

Cedit item retro, de Terra quod fuit ante,
In terras; et quod missum 'st ex Aetheris oris,
Id rursum Coeli rellatum templa receptant.

(1) Huc spectat vulgatum illud Lucretii Cari:

Praeterea, gigni pariter cum Corpore, et una
Crescere sentimus, pariterque senescere Mentem.
Nam velut infirmo Pueri, teneroque vagantur
Corpore; sic Animi sequitur sententia tenuis.
Inde ubi robustis adolevit viribus aetas,
Consilium quoque majus, et auctior est Animi vis.
Post ubi jam validis quassatum 'st viribus aevi
Corpus et obtusis ceciderunt viribus artus:
Claudicat Ingenium, delirat Linguaque, Mensque,
Omnia deficiunt, atque uno tempore desunt.
Ergo dissolvi quoque convenit omnem Animaï
Naturam, ceu fumus in altas aëris auras.

ad naturales facultates suas evolvendas atque exercendas, animus utatur, alacriter profecto ac libere, vel aegre contra moroseque, pro bona vel mala corporis habitudine et conditione, exerceri atque evolvi illas oportet (1).

Quanquam, nonne fortem saepe ac virilem mentem in senili corpore admirari licet (2)? Nonne magna interdum intelligentiae vis in male affecto vel morbo laborante corpore se prodit? Pro omnibus sint eximius nostri aevi historicus, Augustinus Thierry (3); et prodigiosi ferme ingenii vir, Blasius Pascalius (4).

(1) *Et ipsi animi*, inquit Cic., *magni refert, quali in corpore locati sint: multa enim e corpore existunt, quae acuant mentem, multa, quae obtundant* (Tusc. disp.). Unde recte Anglus poëta: « Nonne, ait, experto musico injuria quis succenseret, quod, dissonis canens fidibus, discordes eliciat sonos »?

(2) Ad rem conficiendam sat esset Sophoclem in medium afferre; qui.- uti animadvertit Mamianius in Dialogo, cui titulus *Mario Pagano*-, senio confectus, « ebbe in sè tanta fiamma di poesia da scrivere Edipo Coloneo bella fra le belle tragedie sue »; vel M. Tullium, « li cui scritti filosofici furono la più gran parte e la migliore frutto degli anni senili ». Quibus, ut de aliis sileam, Wolphius, Franklinius, Kantius, atque, aetate nostra, Humboldus, inter nostrates Mannus et Tommaseus, necnon Adolphus Thiers adjungi possunt.

(3) De quo Joseph Massarius apte scribit,« in faccia alla morte del corpo sorgeva rinvigorita la vita dello spirito ».

(4) Notatu omnino dignissima sunt quae ad hanc rem insignis medicus, Leidenfrost, refert: *Saepe observavi in morbo phthiseos, dum homo omnem substantiam sui corporis sensim contabescere videt, solis organis sensoriis adhuc valentibus, si modo talis aeger sibi ab anxietate mentis et ab improbo vivendi desiderio cavere queat, mirabiles notitias nasci quae ab eo homine antea indocto et rudi exspectari nullomodo poterunt. Multo etiam magis in eo qui ex sphacelo internarum partium moritur, miram saepius festivitatem et sermones inexspectatos audivi. Cum corporis reliqui jam facta morte, plenario frigore, circuli sanguinis cessatione, modica respiratione superstite, mens adhuc sibi praesens suam a corpore independentiam manifeste probat, et quasi liberior facta alium cogitandi modum quam prius habuerat, adipiscitur* (De mente humana). Similia his habet Cicero: *Jacet*, inquit, *corpus dormientis, ut mortui, viget autem et vivit animus. Quod multo magis faciet post mortem, cum omnino corpore excesserit. Itaque appropinquante morte multo est divinior. Nam et id ipsum vident, qui sunt morbo gravi et mortifero affecti, instare mortem* (De divinatione). Item Seneca tragicus: *Magnifica verba mors prope admota excutit* (Troades).

Quae quidem omnia, si probe inspicias, cum in Brussaeum, - inter nuperos materialistas, opere praesertim quod *De irritatione et dementia* inscripsit, perquam notum -, optime valent (1); tum in Moleschottum, qui in aevo nostro, materialismum confidentissime atque in omnium ore et oculis docet, hoc potissimum fretus, quod illi est solemne: « Absque phosphoro cogitatio nulla esse potest » (2).

(1) Ex Brussaei namque doctrina id equidem colligi potest, cerebrum utpote intelligentiae et instinctus organum habendum esse; in quo ubi certa quaedam fiat mutatio, instinctus quoque et intelligentiae perturbatio exoriatur necesse est: hic autem, status *irritationis* dicitur. Quod si cerebralis irritatio, quibuscumque demum causis tribuendum id sit, immodice crescat, huic respondens intelligentiae et instinctus inordinatio subsequitur: quam, *dementiae* statum appellat. His porro omnibus, quae - de irritatione cerebrali, de conditionibus, quae huic praeludere videntur, deque causis quae ipsam eo urgent ut modum praetergrediatur -, copiose admodum ac scite tradit Brussaeus, libenti animo assentimur; at quid inde adversus animae immaterialitatem atque immortalitatem legitime inferri possit, haud profecto videmus.

(2) « Come io diceva: Senza fosforo non può darsi pensiero .... e meglio ancora avrei potuto dire, non v'ha pensiero senza cervello »: ita Moleschottus, in opere supra memorato, *La circolazione della vita*. Ad id autem tota ferme, - observationum, experimentorum atque factorum, quibus opus suum refersit -, farrago reducitur.

« Absque phosphoro, vel cerebro, ait noster, nulla esse potest cogitatio ». Esto; quid tum inde? Siquidem haud a nobis hic quaeritur, quid sit illud, *sine quo* cogitatio esse nequit; sed potius quid illud sit, *quod* cogitat. Aliis verbis: Quaeritur, quaenam sit cogitationis causa *efficiens*, nequaquam vero, causa illius *instrumentalis*, vel mere concomitans; quae duo profecto inter se quam maxime distant: aliud enim est vera rei alicujus causa; aliud autem illud quod requiritur, ut causa agere et rem perficere possit. Quae qui simul confundit, perinde est, ac qui Phidiae scalprum (propterea quod scalpro Phidias ad sculpendum opus haberet) Jovem olympicum sculpsisse diceret. Neque secus mehercule argumentatur, qui ait: « Absque phosphoro cogitari nequit; ergo phosphorus cogitat ». Puerile sane atque insulsum sophisma! quod jamdiu Socrates, in Platonis *Alcibiade primo* (V. *Logica*, n. 416), praesertim vero in *Phaedone*, irrisit atque comminuit; cujus locum, paullo licet prolixiorem, juvat integrum referre. Sic itaque Socrates, in carcere jamque morti proximus, Cebetem alloquitur: « Hac igitur spe ductus cum legere pergo, video hominem (Anaxagoram) mente quidem nullomodo utentem, nec causam ullam ad ipsum rerum ornatum referentem, sed aëreas naturas e

67. Ob. 5°. Nequicquam altera post hanc effingitur vita, in qua virtus sibi debito afficiatur praemio, et poena vitium multetur; quandoquidem in praesenti jam id manifesto contingit. Sufficiens quippe virtuti merces est pax et tranquillitas conscientiae, qua boni recreantur; hujus contra morsus et stimuli sat improbos torquent ac puniunt. Quid in altera vita inferos quaerimus, quos jam nunc impius in pectore suo gerit (1)?

Resp. 1° Si id fert moralis hominum constitutionis lex, ut ob bona opera gaudeat suavique laetitia perfruatur vir probus; scelestus, e contrario, propter commissa facinora, intus animo excrucietur, quid est, cur humani corporis dissolutio ejusmodi legem infringat? 2° Negamus, bonae

aethereas aqueasque et talia multa incredibilia pro rerum causis assignantem. Qua quidem in re ille mihi perinde visus est agere, ac si quis diceret Socratem quaecumque facit mente facere; deinde volens singulorum quae facio causas explicare, dicat primum quidem nunc me hic propterea sedere, quoniam corpus meum ex ossibus nervisque componitur: et ossa quidem solida sunt, et juncturarum intervalla invicem habent; nervi autem sic instituti, ut et extendi et contrahi valeant, complectantur ossa cum carnibus atque cute, quae res illas continet. Elatis igitur ossibus in suis conjunctionibus, nervi qui et intendunt et remittunt commode, faciunt ut flectendi cujusque membri habeam facultatem, atque hanc ob causam hic inflexus sedeam. Ac rursus disputationis meae alias quasdam ejusmodi causas assignaret, voces et aërem et auditum aliaque generis ejusdem quamplurima, causas verissimas negligens: videlicet quoniam Atheniensibus melius visum fuerit me condemnare, ideoque mihi etiam melius sit visum hic sedere, justiusque judicarim expectantem dare poenas quas illi jubeant.... Verum talia quaedam causas appellare a ratione est remotissimum. Siquis autem dixerit absque ossibus et nervis atque similibus non posse me quae mihi facienda videantur implere, vere utique dicet. Attamen asserere propter haec me facere quaecumque facio, dum ipsa mente ago, non autem ejus quod optimum sit optione, multa magnaque sermonis negligentia est. Nam qui sic est affectus, nequit discernere aliam quidem esse veram rei alicujus causam, aliud vero illud, sine quo ipsa causa esse non potest causa ». Quam quidem conclusionem, Moleschottianae doctrinae fautores serio expendant velim.

(1) « Qu'est-il besoin, inquit Russojus, d'aller chercher l'enfer dans l'autre vie? il est, dès celle-ci, dans le cœur du méchant ».

conscientiae testimonio sat virtutem remunerari; animi autem cruciatus et aegritudines idoneam scelerum poenam esse. Profecto, quaenam bono viro, - aerumnis ut plurimum, miseriis, rerum inopia, morbis vexato -, felicitas esse potest (1)? Ad haec, non raro insontes atque integros viros falsis criminationibus et calumniis petitos videre est; nonnumquam etiam evenit, ut hi vel carcere, vel ignominiosa morte poenas immeritas solvant, sicque una cum libertate vel vita, bonum nomen atque existimationem (quo nil hisce in terris excellentius est) apud suos amittant. Quamnam, amabo, hisce in adjunctis, mercedem obtinet virtus (2)? Quod si paucis mente praestantioribus, inter dedecus et infamiam, illud quandoque valet: *Conscia mens recti famae mendacia risit*, haec mehercule animi vis atque constantia certissimae spei innititur, futurum ali-

(1) Nec quicquam prodest, quod docet Stoicus, nihil esse malum, nisi quod turpe atque vitiosum est. Huic namque jamdiu responsum dedit Cicero: *Ad ineptias*, inquit, *redis; illud enim, quod ne angebat, non eximis. Scio dolorem non esse nequitiam; desine id me docere; hoc doce, doleam, necne doleam, nihil interesse* (Tusc. disp.). Quod clarius etiam postmodum explicat, ubi ait: *Neque ulla alia huic verbo, cum beatum dicimus, subjecta notio est, nisi, secretis malis omnibus, cumulata bonorum complexio.* Item Plinius: *Nulla est profecto solida felicitas, quam contumelia ulla vitae rumpit.*

(2) Huc plane facit Carneadis argumentum, quo graecus sophista virtutem, stultitiam esse probare contendit; quod Furius, apud Ciceronem (*De republ.*), referens, ait: *Quaero, si duo sint, quorum alter optimus vir, aequissimus, summa justitia, singulari fide; alter insignis scelere et audacia; et si in eo sit errore civitas, ut bonum illum virum, sceleratum, facinorosum, nefarium putet; contra autem qui sit improbissimus, existimet esse summa probitate ac fide; proque hac opinione omnium civium, bonus ille vexetur, rapiatur, manus ei denique auferantur, effodiantur oculi, damnetur, vinciatur, uratur, exterminetur, egeat, postremo jure, etiam optimo, omnibus miserrimus esse videatur; contra autem ille improbus laudetur, colatur, ab omnibus diligatur; omnes ad eum honores, omnia imperia, omnes opes, omnes undique copiae conferantur; vir denique optimus omnium existimatione et dignissimus omni fortuna optima judicetur: quis tandem erit tam demens qui dubitet utrum se esse malit?*

67. Ob. 5°. Nequicquam altera post hanc effingitur vita, in qua virtus sibi debito afficiatur praemio, et poena vitium multetur; quandoquidem in praesenti jam id manifesto contingit. Sufficiens quippe virtuti merces est pax et tranquillitas conscientiae, qua boni recreantur; hujus contra morsus et stimuli sat improbos torquent ac puniunt. Quid in altera vita inferos quaerimus, quos jam nunc impius in pectore suo gerit (1)?

Resp. 1° Si id fert moralis hominum constitutionis lex, ut ob bona opera gaudeat suavique laetitia perfruatur vir probus; scelestus, e contrario, propter commissa facinora, intus animo excrucietur, quid est, cur humani corporis dissolutio ejusmodi legem infringat? 2° Negamus, bonae

---

aethereas aqueasque et talia multa incredibilia pro rerum causis
assignantem. Qua quidem in re ille mihi perinde visus est agere, ac
si quis diceret Socratem quaecumque facit mente facere; deinde
volens singulorum quae facio causas explicare, dicat primum qui-
dem nunc me hic propterea sedere, quoniam corpus meum ex os-
sibus nervisque componitur: et ossa quidem solida sunt, et junctu-
rarum intervalla invicem habent; nervi autem sic instituti, ut et ex-
tendi et contrahi valeant, complectantur ossa cum carnibus atque
cute, quae res illas continet. Elatis igitur ossibus in suis conjunctio-
nibus, nervi qui et intendunt et remittunt commode, faciunt ut fle-
ctendi cujusque membri habeam facultatem, atque hanc ob causam
hic inflexus sedeam. Ac rursus disputationis meae alias quasdam
ejusmodi causas assignaret, voces et aërem et auditum aliaque ge-
neris ejusdem quamplurima, causas verissimas negligens: videlicet
quoniam Atheniensibus melius visum fuerit me condemnare, ideoque
mihi etiam melius sit visum hic sedere, justiusque judicarim expe-
ctantem dare poenas quas illi jubeant.... Verum talia quaedam cau-
sas appellare a ratione est remotissimum. Siquis autem dixerit absque
ossibus et nervis atque similibus non posse me quae mihi facienda
videantur implere, vere utique dicet. Attamen asserere propter haec
me facere quaecumque facio, dum ipsa mente ago, non autem ejus
quod optimum sit optione, multa magnaque sermonis negligentia
est. Nam qui sic est affectus, nequit discernere aliam quidem esse
veram rei alicujus causam, aliud vero illud, sine quo ipsa causa esse
non potest causa ». Quam quidem conclusionem, Moleschottianae doctrinae fautores serio expendant velim.

(1) « Qu'est-il besoin, inquit Russojus, d'aller chercher l'enfer dans l'autre vie? il est, dès celle-ci, dans le cœur du méchant ».

conscientiae testimonio sat virtutem remunerari; animi autem cruciatus et aegritudines idoneam scelerum poenam esse. Profecto, quaenam bono viro, - aerumnis ut plurimum, miseriis, rerum inopia, morbis vexato -, felicitas esse potest (1)? Ad haec, non raro insontes atque integros viros falsis criminationibus et calumniis petitos videre est; nonnumquam etiam evenit, ut hi vel carcere, vel ignominiosa morte poenas immeritas solvant, sicque una cum libertate vel vita, bonum nomen atque existimationem (quo nil hisce in terris excellentius est) apud suos amittant. Quamnam, amabo, hisce in adjunctis, mercedem obtinet virtus (2)? Quod si paucis mente praestantioribus, inter dedecus et infamiam, illud quandoque valet: *Conscia mens recti famae mendacia risit*, haec mehercule animi vis atque constantia certissimae spei innititur, futurum ali-

---

(1) Nec quicquam prodest, quod docet Stoicus, nihil esse malum, nisi quod turpe atque vitiosum est. Huic namque jamdiu responsum dedit Cicero: *Ad ineptias*, inquit, *redis; illud enim, quod ne angebat, non eximis. Scio dolorem non esse nequitiam; desine id me docere; hoc doce, doleam, necne doleam, nihil interesse* (Tusc. disp.). Quod clarius etiam postmodum explicat, ubi ait: *Neque ulla alia huic verbo, cum beatum dicimus, subjecta notio est, nisi, secretis malis omnibus, cumulata bonorum complexio.* Item Plinius: *Nulla est profecto solida felicitas, quam contumelia ulla vitae rumpit.*

(2) Huc plane facit Carneadis argumentum, quo graecus sophista virtutem, stultitiam esse probare contendit; quod Furius, apud Ciceronem (*De republ.*), referens, ait: *Quaero, si duo sint, quorum alter optimus vir, aequissimus, summa justitia, singulari fide; alter insignis scelere et audacia; et si in eo sit errore civitas, ut bonum illum virum, sceleratum, facinorosum, nefarium putet; contra autem qui sit improbissimus, existimet esse summa probitate ac fide; proque hac opinione omnium civium, bonus ille vexetur, rapiatur, manus ei denique auferantur, effodiantur oculi, damnetur, vinciatur, uratur, exterminetur, egeat, postremo jure, etiam optimo, omnibus miserrimus esse videatur; contra autem ille improbus laudetur, colatur, ab omnibus diligatur; omnes ad eum honores, omnia imperia, omnes opes, omnes undique copiae conferantur; vir denique optimus omnium existimatione et dignissimus omni fortuna optima judicetur: quis tandem erit tam demens qui dubitet utrum se esse malit?*

quando, ut rerum veritas coram omnibus elucescat (1). Qua certissima demta fiducia, nescio utrum tot tamque magnanimos, in hominibus, sui diligentes atque cultores virtus assequeretur.

Quod vero ad improbos spectat, animadvertimus, conscientiae morsus, ea nequaquam proportione semper augeri, qua crescunt scelera; quinimo inversam prope rationem sequi videntur. Quo enim vitiis magis assuescunt impii, eo minus ut plurimum conscientiae pondus persentiunt; quandoque illam omnino etiam comprimunt, juxta vulgatum, *Ab assuetis non fit passio* (2). Quod illis praesertim contingit, qui, perversis doctrinis imbuti, jam pene sibi persuasum habent, omnia perinde homini licere, virtutem et vitium, humani ingenii figmenta esse, nilque propterea, destructo corpore, homini sperandum vel pertimescendum. Hisce adde, moralis conscientiae vim ab interna cujusque sensibilitate aliquatenus etiam pendere; quae non eadem profecto in omnibus inest. Unde saepenumero, posita adversariorum sententia, fieret, ut, qui magis se vitiis et criminibus coinquinat, leviore poena multetur; qui vero minus, severiore: quod mehercule absurdissimum et nefas est dictu. Rectius igitur

---

(1) *Etsi coram hominibus*, uti legitur in libro Sapientiae, *tormenta passi sunt, spes illorum immortalitatis plena est* (V. n. 53). Huc etiam pertinet quod ait Boccaccius: « Là dove io onestamente viva, nè mi rimorda d'alcuna cosa la coscienza, parli chi vuole in contrario: Iddio e la verità per me l'arme prenderanno ».

(2) Quare acutissimus humani cordis speculator, Metastasius, sic impium Learcum - in dramate, *Issipile* inscripto -, impudenter loquentem inducit:

. . . . . . Si sgomenti al periglio
Chi comincia a fallir. Di colpa in colpa
Tanto il passo inoltrai,
Ch'ogni rimorso è intempestivo ormai.

conscientia, potiusquam mera peccatoris ultio atque supplicium, Dei misericordis vox quaedam appellanda est, quae illum ad poenitentiam vocat et urget; vel, uti perbelle ait Gallus poëta, Florianus, « ultima, quae superest, virtutum amica ».

Art. 5. — *De anima brutorum.*

68. Res ipsa monet, ut pauca modo de brutorum anima dicamus.

De qua variae sunt, imo inter se plane dissimiles, philosophorum sententiae. Belluas namque Cartesiani veluti automata, seu quasdam semoventes machinas sensuque omni carentes habent (1); contra vero non desunt, qui et ipsas intelligentia gaudere affirment (2).

69. At, neutri harum parti addicti et medium quiddam tenentes, nos animam quidem belluis, sed sensitivam tantum inesse contendimus; eamque solum vitam illas vivere, quam *animalem* nuncupavimus (V. *Logica*, n. 17). Quapropter, bruta animantia concedimus, sensu fundamentali - corporeo frui, externaque objecta sensitive per-

---

(1) De quibus venuste, uti solet, Lafontaine:

. . . . Ils disent donc
Que la bête est une machine;
Qu'en elle tout se fait sans choix et par ressorts:
Nul sentiment, point d'âme, en elle tout est corps.

(2) Longum esset omnes hac de re philosophorum opiniones in medium afferre. Aliquos tantum ex recentioribus juvat memorare. Bonnetus miros belluis tribuit instinctus, industriam et *intelligentiam*. Herderus *semi-intelligentiam*. Animantia, ait Reidius, specie quadam *intelligentiae*, - quantumvis nostra multo inferiore -, praedita esse, eorum actiones demonstrant. Melchior Gioia aliquibus belluarum speciebus sensibilitatem denegat, aliis vero et *intelligentiam* adscribit. Inter nostrates, acerrimo ingenio ac plane singulari doctrina vir, Th. Valperga Calusius, belluas asserit, non mediocrem ab experientia fructum percipere, atque innumera exinde, se aliquantulum etiam *ratiocinari*, argumenta praebere.

cipere; instinctu et appetitu physico duci; phantasia pollere, atque in his phantasmata certa lege consociari et, datis in adjunctis, instaurari: quod *vi* animantis *unitivae* seu *syntheticae* tribuendum est. At intelligentiam, proindeque voluntatem et moralitatem omnem, omnemque virtutis ac vitii notionem illis prorsus denegamus (1). Anima porro mere sensitiva nonnisi una cum corpore existens concipi potest: ergo simplex quidem est, minime vero spiritualis seu immaterialis (V. n. 14); nec quicquam idcirco per se subsistens (2). Quo fit, ut anima brutorum, subtracto corpore, haud - amplius existere queat (3). Quamvis enim et anima

(1) In quo magnum Tullium affatim nobis consentientem habemus. Qui talia memorat; quae, si minuti quidam nostrorum temporum philosophi secum in animo attente considerarent, eos profecto sui puderet! *Inter hominem et belluam*, ait Romanus philosophus, *hoc maxime interest, quod haec tantum, quantum sensu movetur, ad id solum, quod adest, quodque praesens est, se accommodat: homo autem, quod rationis est particeps, per quam consequentia cernit, causas rerum videt, earumque progressus et quasi antecessiones non ignorat, similitudines comparat, et rebus praesentibus adjungit atque annectit futuras; facile totius vitae cursum videt, ad eamque degendam praeparat res necessarias* (De off.). Item (*De legib.*), animadvertit, *Animal hoc providum, sagax, multiplex, acutum, memor, plenum rationis et consilii, quem vocamus Hominem, praeclara quadam conditione generatum esse a summo Deo. Solum est enim ex tot animantium generibus atque naturis, particeps rationis et cogitationis, cum caetera sint omnia expertia. Quid est autem, non dicam in homine, sed in omni coelo atque terra, ratione divinius? quae cum adolevit atque perfecta est, nominatur rite sapientia.*

(2) Profecto, *solum intelligere*, uti post Aristotelem ait Doctor angelicus, *inter opera animae sine organo corporeo exercetur. Sentire vero et consequentes operationes animae sensitivae manifeste accidunt cum aliqua corporis immutatione... Et sic manifestum est, quod anima sensitiva non habet aliquam operationem propriam per seipsam; sed omnis operatio sensitivae animae est conjuncti. Ex quo relinquitur, quod, cum animae brutorum animalium per se non operentur, non sint subsistentes* (Sum. theol.).

(3) *Ostensum est*, idem ait S. Thomas, *quod nulla operatio sensitivae partis esse sine corpore potest: in animabus autem brutorum non est invenire aliquam operationem superiorem operationibus sensitivae partis, non enim intelligunt neque ratiocinantur.... Nulla igitur operatio est animae brutorum, quae possit sine corpore esse. Cum igitur omnis substantia aliquam operationem habeat, non poterit anima bruti absque corpore esse: ergo, pereunte corpore, perit* (C. Gentes).

humana, qualenus *forma corporis*, materiae conjuncta sit, hujusmodi tamen conjunctio, uti superius diximus, nihil impedit, quominus illa suum *esse* idest existentiam propriam, a materia nullatenus pendentem, habeat; sicut reapse post mortem habere certum est. In quo a caeteris *formis* distinguitur: uti enimvero sunt animae brutorum, vel corporum principia; quae, destructo corpore quod informant, in nihilum abeunt.

70. Quae cum ita sint, facile intelligitur, quo demum *sensismus* adducat. Si namque homo corporeo tantum sensu donetur, - quodcumque sit sensus hujusce principium -, ejusmodi tamen hoc esse oportet, ut, pereunte organo corporeo, sensus et ipse pereat ac deleatur; unde illud, quod in *Ecclesiaste*, gestiens jactat impius: *Unus interitus est hominis et jumentorum, et aequa utriusque conditio..... nihil habet homo jumento amplius* (1).

Atqui anima humana, non sensibilitate solum, sed et intelligentia praedita est; quae, cum corpori nequaquam sit obnoxia, fit ut huic superesse debeat (2).

(1) Similiter Cicero, nonnullis materialistarum opinionibus in medium adductis: *His sententiis omnibus*, ait, *nihil post mortem pertinere ad quemquam potest; pariter enim cum vita sensus amittitur. Non sentientis autem nihil est ullam in partem, quod intersit* (Tusc. disp.).

(2) Multo autem belluina excellentiorem ac nobiliorem hominis animam esse, plane demonstrat S. Augustinus; cujus locum juvat integrum referre: « Sed quia, inquit acutissimus Ecclesiae doctor, irrationalia quoque animantia vivere atque sentire nemo ambigit; illud in animo humano praestantissimum est, non quo sentit sensibilia, sed quo judicat de sensibilibus. Nam et vident acutius, et ceteris corporis sensibus acrius corpora adtingunt pleraeque bestiae, quam homines; sed judicare de corporibus, non sentientis tantum vitae, sed etiam ratiocinantis est, qua illae carent, nos excellimus. Jam vero illud videre facillimum est, praestantiorem esse judicantem, quam illa res est, de qua judicatur. Non solum autem rationalis vita de sensibilibus, sed de ipsis quoque sensibus judicat:

71. Sed dum sensistae ac materialistae, hominem a belluis neutiquam secernentes, turpissime illum abjiciunt ac deprimunt (1), alii, e contrario (licet mehercule haud absimili consilio atque proposito) ad hominis conditionem belluas extollere non dubitant: his siquidem, uti paullo ante innuimus, intelligentiam attribuunt; vel hominem ipsum a belluis oriundum faciunt, quarum nil aliud nisi evolutionem et transformationem quamdam llum esse opinantur. Horum porro utrumque utpote absurdum rejicimus.

Et primo quidem, si aliquos, utut exiguos ac

« cur ita per oculos sentire necesse sit. Nam ipse adspectus oculorum « renuntiare id potest, judicare autem nullo modo. Quare manife- « stum est, ut sensualem vitam corpori, ita rationalem utrique prae- « stare » (*De vera religione*).

(1) In his memoratu praesertim digni sunt Diderotus, Helvetius et Brussaeus. Quorum priorem, infandam hanc sententiam expromere non puduit: « Un chien ne diffère de l'homme que par l'habit » (*Vie de Sénèque*). Helvetius, qui totum inter bruta animantia et homines discrimen in physica *organizzatione* ponit, haec aperte scribit: «Si la nature, au lieu de mains et de doigts fléxibles, eût terminé nos poignets par un pied de cheval, qui doute que les hommes, sans arts, sans habitations, sans défense contre les animaux, tout occupés des soins de pourvoir à leur nourriture et d'éviter les bêtes féroces, ne fussent encore errans dans les forêts comme des troupeaux fugitifs »? (*De l'esprit*). Brussaeus tandem: « Il est temps, inquit, que l'on fasse disparaître ce mur d'airain que les Metaphysiciens ont élevé entre les hommes et les animaux » (*Cours de cranologie*). His porro ad unguem illud quadrat, quod legitur in regio Psalte: *Homo cum in honore esset, non intellexit; comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis*; necnon in Ciceronis Paradoxis: *Tu, cum tibi.... Deus dederit animum, quo nihil est praestantius, nihil divinius, sic te ipsum abjicies atque prosternes, ut nihil inter te et quadrupedem aliquem putes interesse?* Quod autem ad Helvetium praesertim spectat, sic in illum graviter Russojus invehitur: « Quoi! je puis observer, connaître les êtres et leurs rapports; je puis sentir ce que c'est qu'ordre, beauté, vertu; je puis contempler l'univers, m'élever à la main qui le gouverne; je puis aimer le bien, le faire, et je me comparerais aux bêtes? Ame abjecte; c'est ta triste philosophie qui te rend semblable à elles; ou plutôt tu veux en vain t'avilir; ton génie dépose contre tes principes, ton cœur bienfaisant dément ta doctrine, et l'abus même de tes facultés prouve leur excellence en dépit de toi » (*Émile*, « Profession de foi » etc.).

tenues, intelligentiae gradus belluis concedimus, jam de essentiali inter illas et homines discrimine actum est. Quid enim vetat, si germen intelligentiae in belluis latet, pedetentim illud explicari et magis magisque adolescere? Quid tunc absurdi, si has ponamus, non secus atque homines, progressu temporis perfici, atque in scientiis et artibus inclarescere aliquando posse? Postremo quid est, cur brutorum anima, si intelligens, destrui debeat? Quod si intelligentia, quam belluis adjudicandam illi arbitrantur, diversae - uti Reidius innuere videtur -, quam humana, est naturae, quare non alio etiam nomine vocatur, sicque errori gravissimo via praecluditur (1)? Nil ceteroquin proficiunt, qui verae proprieque dictae intelligentiae signa belluas exhibere contendunt: quotquot enim, - etsi nonnunquam mira sanepol atque stupenda -, exsequuntur opera, haec ad rerum sensibilium ordinem omnino pertinent; et per naturalem, quo illae aguntur, instinctum, ac sentiendi vim (non raro hominum arte atque industria excultam et educatam) explicari commode possunt (2).

(1) Nam, uti sapienter animadvertit Cartesius, « après l'erreur de ceux qui nient Dieu, il n'y en a point qui éloigne plutôt les esprits faibles du droit chemin de la vertu que d'imaginer que l'âme des bêtes soit de même nature que la nôtre, et que par conséquent nous n'avons rien à craindre ni à espérer après cette vie, non plus que les mouches et les fourmis; au lieu que lorsqu'on sait combien elles diffèrent, on comprend beaucoup mieux les raisons qui prouvent que la nôtre est d'une nature entièrement indépendante du corps, et par conséquent qu'elle n'est point sujette à mourir avec lui ».

(2) *Ars* belluas *éducandi*, ut dicunt, seu potius, ad arbitrium nostrum eas flectendi, huic potissimum principio innititur: « Gratas sensationes iis operationibus adsociare, quas a bellua fieri cupimus; molestas e contrario illis, a quibus belluam abducere in animo est ». Haec porro adsociatio vim quidem animantis syntheticam seu unitivam, quam supra memoravimus, nequaquam vero intelligentiam requirit. Quare optime Leibnitius: « Les bêtes ne font rien qui nous oblige de croire qu'elles aient ce qui mérite d'être appelé proprement un *raisonnement* » (*Theodicée*).

72. Quod vero ad illos spectat, qui hominem ab alia animantium specie, - ab simia praesertim -, per insensibiles transformationes et gradatim increscentes perfectiones, oriri docent (1), nullas hi profecto, cur sic opinentur, sat solidas atque probandas subjiciunt rationes. Haud equidem inficiamur, inter hominem et quasdam brutorum species, - quod ad corporis structuram et organismum -, similitudinem intercedere (2) (quamquam, non ea profecto nec tanta est, quantam *transformistae*, doctrinae scilicet de specierum transformatione fautores, adeo confidenter jactant) (3); non inde

(1) Sententiam hanc, quae materialismum quammaxime olet, hoc ineunte saeculo in medium protulit atque in *Philosophia Zoologica* perspicue et ingeniose explanavit Lamarckius. Cui postmodum accedere visus est Gallus alter historiae naturalis professor, Geoffroy St. Hilaire; qui, - propterea quod in dissecto quodam *Orang-outang*, « vascula omnia, ut ipse ait, nervos, fibras musculares, cunctaque elementa ossea, et alia hujusmodi aeque in *orang*, atque in homine reperiri » animadverterit -, hominem, orang et simias universim, ad unam eamdemque speciem pertinere, seu idem propemodum animal esse concludit. Huic tandem opinioni, hac ipsa nostra aetate denuo excitae, magna doctrinae et argumentorum copia patrocinari, eamque acriter propugnare complures adgressi sunt; inter quos Carl Vogt in Helvetia, et Huxley, natione Britannus.

(2) Id quippe assiduus usus et consuetudo quae homini cum belluis est, postulare videtur; id non interrupta entium naturalium per gradus successio et quasi colligatio, quae ad mundi venustatem et elegantiam tantopere confert; id demum rerum *ordo*, qui in varietate ad unitatem redacta consistit. Acute in rem Rosminius: « Molte ragioni speciali possono dimostrare la convenienza, che, volendo Iddio creare più enti, li ponesse in relazione e comunicazione fra loro, sicchè, legati insieme, un solo tutto formassero; ma elle si possono ridurre tutte alla legge del minimo mezzo, od almeno egli è certo che questa gran legge dimanda la connessione e l'unità delle cose create (*Teodicea*).

(3) Quemadmodum aperte neque temere confirmat, nae summae hac in re auctoritatis vir, Quatrefages. Qui iccirco transformationem de qua hic agitur, penitus abnuit atque repellit: « L'homme et les singes, - ait celeber, Lutetiae Parisiorum, anthropologiae professor -, présentent un contraste des plus frappants et sur lequel Vicq-d'Azyr, Lawrence, M. Serres, etc., ont insisté depuis bien longtemps avec détail. Le premier est un *animal marcheur* et marcheur sur ses membres de derrière; tous les singes sont des *animaux grim-*

tamen, eamdem belluae atque hominis naturam esse, colligi potest. Verum namque et essentiale inter utrumque discrimen, uti jam supra monuimus, non ex corporis, sive externa sive interna, forma et structura, sed ex intelligentia, et iis quae intelligentiam consequuntur, petendum est (1). Quod si inter homines quosdam stolidos ac fatuos, et solertissimas nonnullas belluarum species, aegre fortasse nec prima fronte discrimen hocce dignoscitur, non est mehercule, quod in dubitationem adduci possit: inest enim, idque maximum et infinitum. Quandoquidem super hominem quemque, - tametsi adverso et infelicissimo casu in aliquibus forte obnubilatum -, signatum est lumen vultus Dei; quod belluis omnino denegatum est (2).

peurs. Dans les deux groupes tout l'appareil locomoteur porte l'empreinte de ces distinctions fort différentes: les deux types sont parfaitement distincts. Les travaux si remarquables de Duvernoy sur le Gorille, de MM. Gratiolet et Alix sur le Chimpansé, ont confirmé pleinement pour les singes anthromorphes ce résultat, très-important à quelque point de vue qu'on se place, mais qui a plus de valeur encore pour qui veut appliquer *logiquement* la doctrine de Darwin. Ces recherches modernes démontrent en effet que le type singe, en se perfectionnant, ne perd en rien son charactère fondamental et reste toujours parfaitement distinct du type humain. Celui-ci ne peut donc dériver de celui-là » (*Rapport sur le progrès de l'anthropologie*, 1868).

(1) Egregie in rem ac strenue vir cl., Aloysius Figuierus, auctor ceteroquin minime suspectus: « En vérité toute cette anatomie fait pitié. N'y a-t-il donc dans l'homme que des os? Le squelette, les viscères résument-ils l'être humain? Que faites vous donc, aveugles rhéteurs, de cette faculté de l'intelligence manifestée par la parole? L'intelligence et la parole, voilà ce qui constitue l'homme, voilà ce qui fait de lui l'être le plus achevé de la création, le privilegié de Dieu. Montrez-moi un singe qui parle, et alors je reconnaîtrai avec vous que l'homme est un singe perfectionné. Montrez-moi un singe qui fabrique avec du silex des hâches et des flèches, qui allume du feu, qui fasse cuire ses aliments, qui agisse, en un mot, comme une créature intelligente, et je confesserai que je ne suis qu'un orang-outang, revu et corrigé » (*L'homme primitif*).

(2) Scite ac naviter, consuetudine sua, Bossuetus: « Quand on entend dire à Montaigne qu'il y a plus de différence de tel homme à tel homme, que de tel homme à telle bête, on a pitié d'un si bel

Totam itaque hanc de specierum transformationem doctrinam, - quippe nullo sat firmo fundamento innixam, sed ad libidinem et inconsulte confictam -, jure amandandam putamus. Rerum siquidem species immutabiles esse, proindeque hominem integre atque absolute a Deo conditum, neque ulla ratione ab aliorum animantium generibus pendere, recta ratione, necnon gravium virorum auctoritate freti, pro certissimo habemus (1).

---

esprit, soit qu'il dise sérieusement une chose si ridicule, soit qu'il raille sur une matière qui, d'elle-même, est si sérieuse. Y a-t-il un homme si stupide qui n'invente du moins quelque signe pour se faire entendre? Y a-t-il une bête si rusée qui ait jamais rien trouvé? Et qui ne sait que la moindre des inventions est d'un ordre supérieur à tout ce qui ne fait que suivre? Et à propos du raisonnement qui compare les hommes stupides avec les animaux, il y a deux choses à remarquer: l'une, que les hommes les plus stupides ont des choses d'un ordre supérieur au plus parfait des animaux; l'autre, que tous les hommes étant, sans contestation, de même nature, la perfection de l'âme humaine doit être considérée dans toute la capacité où l'espèce peut s'étendre, et qu'au contraire, ce qu'on ne voit dans aucun des animaux n'a sou principe, ni dans aucune des espèces, ni dans tout le genre » (*De la connaissance* etc.).

(1) Apposite auctor egregius, Figuierus, quem supra memoravi: « Nous ajouterons, pour prendre la même question à un point de vue plus général, que la science plus éclairée nous déclare, nous crie, que l'espèce est immuable, qu'aucune espèce animale ne dérive d'une autre, qu'elle peut se transformer, mais que toutes reconnaissent une création indépendante. Cette vérité, que M. de Quatrefages a longuement développée dans plusieurs ouvrages, est le jugement définitif et scientifique qui doit trancher cette question pour tout esprit non prévenu ».

PARS ALTERA

THEOLOGIA NATURALIS

73. *Theologia*, a graecis vocabulis Θεός et λόγος, est « sermo, vel scientia de Deo».

Ea porro, quam hic pertractandam nos adgredimur quaeque Metaphysicae pars est, Theologia *naturalis* vel *rationalis* appellari consuevit; quippe quae de Deo agit ac disserit, quatenus naturali rationis lumine attingi et cognosci ille potest: ut a Theologia proprie dicta seu *revelata* distinguatur; quae a divina Revelatione argumenta petit, eique potissimum in suis ratiocinationibus innititur.

74. Tria maxime de Deo investigari possunt: *Quis* nempe sit Deus; *utrum* sit; et *qualis* sit.

Primum itaque de Dei *essentia* sive natura agemus; 2.° de illius *existentia;* postremo, de *attributis*. Quibus omnibus aliqua de *atheismo* addenda censemus: de illorum nempe doctrina, seu potius mentis hallucinatione, qui Deum in dubium incertumque revocant, vel omnino esse negant.

CAPUT I.

De Dei essentia.

75. Rei cujuspiam essentia definitione exprimitur. Quum porro Deus infinitus et, quemadmodum ait Apostolus, lucem inhabitet inaccessibilem, jam sequitur, comprehendi seu recte sciri *quis* sit, ab homine non posse; qui idcirco ad genuinam illius

Totam itaque hanc de specierum transformationem doctrinam, - quippe nullo sat firmo fundamento innixam, sed ad libidinem et inconsulte confictam -, jure amandandam putamus. Rerum siquidem species immutabiles esse, proindeque hominem integre atque absolute a Deo conditum, neque ulla ratione ab aliorum animantium generibus pendere, recta ratione, necnon gravium virorum auctoritate freti, pro certissimo habemus (1).

---

esprit, soit qu'il dise sérieusement une chose si ridicule, soit qu'il raille sur une matière qui, d'elle-même, est si sérieuse. Y a-t-il un homme si stupide qui n'invente du moins quelque signe pour se faire entendre? Y a-t-il une bête si rusée qui ait jamais rien trouvé? Et qui ne sait que la moindre des inventions est d'un ordre supérieur à tout ce qui ne fait que suivre? Et à propos du raisonnement qui compare les hommes stupides avec les animaux, il y a deux choses à remarquer: l'une, que les hommes les plus stupides ont des choses d'un ordre supérieur au plus parfait des animaux; l'autre, que tous les hommes étant, sans contestation, de même nature, la perfection de l'âme humaine doit être considérée dans toute la capacité où l'espèce peut s'étendre, et qu'au contraire, ce qu'on ne voit dans aucun des animaux n'a son principe, ni dans aucune des espèces, ni dans tout le genre » (*De la connaissance* etc.).

(1) Apposite auctor egregius, Figuierus, quem supra memoravi: « Nous ajouterons, pour prendre la même question à un point de vue plus général, que la science plus éclairée nous déclare, nous crie, que l'espèce est immuable, qu'aucune espèce animale ne dérive d'une autre, qu'elle peut se transformer, mais que toutes reconnaissent une création indépendante. Cette vérité, que M. de Quatrefages a longuement développée dans plusieurs ouvrages, est le jugement définitif et scientifique qui doit trancher cette question pour tout esprit non prévenu ».

PARS ALTERA

THEOLOGIA NATURALIS

73. *Theologia*, a graecis vocabulis Θεός et λόγος, est « sermo, vel scientia de Deo».

Ea porro, quam hic pertractandam nos adgredimur quaeque Metaphysicae pars est, Theologia *naturalis* vel *rationalis* appellari consuevit; quippe quae de Deo agit ac disserit, quatenus naturali rationis lumine attingi et cognosci ille potest: ut a Theologia proprie dicta seu *revelata* distinguatur; quae a divina Revelatione argumenta petit, eique potissimum in suis ratiocinationibus innititur.

74. Tria maxime de Deo investigari possunt: *Quis* nempe sit Deus; *utrum* sit; et *qualis* sit.

Primum itaque de Dei *essentia* sive natura agemus; 2.° de illius *existentia;* postremo, de *attributis*. Quibus omnibus aliqua de *atheismo* addenda censemus: de illorum nempe doctrina, seu potius mentis hallucinatione, qui Deum in dubium incertumque revocant, vel omnino esse negant.

CAPUT I.

De Dei essentia.

75. Rei cujuspiam essentia definitione exprimitur. Quum porro Deus infinitus et, quemadmodum ait Apostolus, lucem inhabitet inaccessibilem, jam sequitur, comprehendi seu recte sciri *quis* sit, ab homine non posse; qui idcirco ad genuinam illius

et proprie dictam definitionem pervenire nequicquam laboret. Quî enimvero *infinitum definire* licet?

Consuetudine nihilominus vulgo in scholis recepta, - ad quam et nos accommodare juvat -, vel ipsius *Dei definitionem* exhibere non dubitamus: quo nomine formulam quamdam intelligimus, cujus ope id consequimur, ut cogitatione ad Deum nos extollere, illiusque minus incongruum, quod fieri potest, minusque eo indignum conceptum comparare nobis possimus.

76. Dei essentiam in existendi necessitate ponunt metaphysici; proindeque illum definiunt «Ens necessarium». Quae tamen definitio ut probe animo percipiatur, nonnulla praemittenda sunt.

Necessarium generatim illud dicitur, quod nequit non esse: necessaria videlicet est res, cujus contraria est logice absurda. *Necessitas* igitur entis alicujus aliud non est, nisi relatio repugnantiae, quae inter ens illud et ejus non existentiam inest. Jamvero, si hujusmodi relatio utpote mere possibilis (seu intelligibilis) consideretur, necessitas *logica* (V. *Logica*, n. 232); si vero tamquam subsistens et realis, necessitas *metaphysica* nuncupatur. Ex quo manifestum est, necessitatem metaphysicam ab principio contradictionis, seu necessitate ipsa logica manare: quae propterea non binas inter se distinctas, sed unam tantum necessitatem constituunt.

77. Quapropter *Ens necessarium* vocatur illud, quod in se ipso propriae existentiae rationem habet: quod nimirum naturae suae vi ita subsistit, ut omnino repugnet non subsistere; quodque idcirco, absque contradictione, utpote non subsistens concipi nequit. Ens contra, cujus essentia subsistentiam haudquaquam complectitur, - cui nempe subsistentia necessaria non est, ac proinde veluti subsistens aut non subsistens, sine contradictione, concipi potest -, *contingens* appellatur.

Hinc nullo negotio intelligitur, quaenam huic propositioni sive definitioni, «Deus est Ens necessarium», subjicienda res sit: id nimirum haec sibi vult, essentiam Dei re ipsa necessario esse («è necessariamente realizzata»); idest, in Dei conceptu, ejus subsistentiam essentialiter contineri; vel etiam, fieri non posse, ut Deus mente concipiatur, nisi quatenus revera existit. *Hominem* quidem, ex. gr., utpote animal rationale, - ab reali ejus existentia abstractione facta -, cogitatione complecti possumus; quod autem de homine, et de alio quolibet ente contingente dicatur. At longe secus est res, ubi de Deo sit sermo: Deus siquidem, cujus existentia in mente nostra tantummodo insit, verus edepol Deus ille non est, quem homines adorant et colunt. Ut vere sit Deus, illius essentia reapse et actu sit oportet. Aliis verbis: Deum mere *possibilem* dicere nefas est; de eo, *esse* tantum absolute affirmari potest (1).

78. Ex his porro hanc aliam, eamque simpliciorem, Dei definitionem eruere licet, nempe «Deus

(1) *Dei* itaque *possibilitas* concipi nequit: *existentia* enim Dei, ut diximus, ab illius *essentia* minime distinguitur. « Ma pure, hac de re animadvertit Rosminius, la nostra mente, per l'abito che ha di concepire i contingenti ne' quali altro è l'esistenza, ed altro l'essenza, applica la stessa forma di concepire anche a Dio, e così *opina* di pensarne la possibilità» (*Teosofia*). Alibi autem apertius: « La mente umana concepisce la possibilità di Dio per una sua limitazione; con una riflessione più elevata poi s'accorge, che di Dio non si può dire che è possibile, ma solo assolutamente che è » (*Logica*).

est *Ens* ». Quaecumque enim a Deo sunt condita, haec vel illa peculiaria entia sunt: solus Deus proprie et absoluto modo est *Ens;* quidquid autem verbo huic adjungitur, ejus quodammodo significationem contrahere ac minuere videtur (1). Cuncta quae in hac rerum universitate sunt, *esse* quidem habent, sed per participationem tantum; unus Deus, in suo principio et essentialiter illud habet ac possidet (2). Caetera *existunt*, - quasi diceres, sunt *ex* alio, *ex - sistunt*, *prodeunt* (3); Deus solus *est*. Neque aliter profecto de se loquutus est Deus; qui sublimissimis hisce usus est verbis, quum se Moysi manifestum fecit: *Ego sum qui sum* (4).

---

(1) Apte in rem Fenelonus: « Quand je dis de l'être infini qu'il est l'Être simplement, sans rien ajouter, j'ai tout dit. Sa différence c'est de n'en avoir point. Le mot d'infini, que j'ai ajouté, ne lui donne rien d'effectif; c'est un terme presque superflu, que je donne à la coutume et à l'imagination des hommes. Les mots ne doivent être ajoutés que pour ajouter au sens des choses. Ici, qui ajoute au mot d'être diminue le sens, bien loin de l'augmenter: plus on ajoute, plus on diminue; car ce qu'on ajoute ne fait que limiter ce qui était dans sa première simplicité sans restriction. Qui dit l'Être sans restriction emporte l'infini; et il est inutile de dire l'infini, quand on n'a ajouté aucune différence au genre universel, pour le restreindre à une espèce, ou à un genre inférieur. Dieu est donc l'Être » (*De l'existence de Dieu*).

(2) *Non aliquo modo est*, inquit S. Augustinus, *sed quod est, est* (Confess.).

(3) Quare optime Forcellinus, in Lexico, ad vocem *existo*: « Saepe, » ait, ponitur pro *esse*, ita tamen, ut aliquem semper motum adsigni» ficet exeuntis apparentisve ».

(4) Quam sententiam interpretans S. Augustinus, stupenda haec habet: « *Ego sum qui sum*; et repetivit, dicens filiis Israël, Qui est » misit me ad vos. Non ait et ibi, Ego sum Deus; aut, Ego sum » mundi fabricator; aut, Ego sum omnium rerum creator; aut, Ego » sum ipsius populi liberandi propagator; sed hoc tantum, Ego sum » qui sum..... Quid enim non est eorum quae fecisti? Numquid coe» lum non est? numquid terra non est? numquid non sunt ea quae » in coelo et in terra sunt? numquid homo ipse cui loqueris » non est? numquid angelus quem mittis non est? Si omnia sunt » haec quae per te facta sunt, quid est quod tibi proprium quid-

At ens, uti suo loco diximus (*Logica*, n. 170), cum vero, bono et pulcro, - quae tres sunt primigeniae entis formae -, convertitur. Deus itaque, excellenter ac singulari ratione, veritas, bonitas et pulcritudo dicendus est: vel rectius etiam, *Verum*, *Bonum* et *Pulcrum* ipsum reale atque subsistens (1).

79. Quae si penitus inspiciantur, liquido patet, ideam, quam homini hisce in terris de Deo habere datum est, nonnisi negativam esse (V. *Logica*, n. 145). Deum scilicet haud vere in seipso (ens quippe, in perfectione et plenitudine sua, illi naturaliter inaccessum est), sed in suis tantum *relationibus* novit. Triplici autem Deus relatione tenetur: 1.° nempe ad *ideas* nostras, utpote ens absolutum et per se intelligibile, idest summum *Verum*; 2.° ad naturales animi nostri *sensus* et propensiones, quatenus summum *Bonum*, a quo solum expleri omnino possunt; 3.° demum ad *res*, quippe suprema earum *Causa*. Hinc enimvero argumenta, - de quibus mox paulo -, quae illius existentiam demonstrant, ducuntur.

De Deo igitur, uti S. Thomas animadvertit, *nos non scimus*, *quid est;* sed *esse* tantum intelligimus, atque talem esse, ut humanae intelligentiae captum prorsus excedat: aliud nimirum atque illud quod

---

» dam tenuisti ipsum esse, quod aliis non dedisti, ut tu solus esses: » Nam quomodo audio, Ego sum qui sum, quasi alia non sint?..... » Res enim quaelibet, prorsus qualicumque excellentia, si mutabilis est, non vero est: non enim est ibi verum esse, ubi est et » non esse » (*Tract. in Johan. Evangelium*).

(1) Quapropter Deus (ubi explicitior, sin minus, uti dudum proposita, sublimis et grandis, definitio placeat) definiri quoque potest « Ens essentiale, in triplici categorica sua forma, - ideali, reali ac morali -, unum et idem ».

cognoscimus, idest finitum, esse (1). Quare, per finiti ipsius exclusionem, seu *negative*, infinitum cogitamus (2).

CAPUT II.

De Dei existentia.

80. Quid Dei nomine intelligendum sit, declaravimus; illius modo existentia demonstranda nobis est.

At hic advertet fortasse quispiam, Deum existere, evidens, perinde ut axioma, atque per se certissimum esse; ad quod propterea demonstrandum aggredi, - etiamsi fieri posset -, inutile omnino ac supervacaneum foret (V. *Logica*, n. 404). Et revera, nonne propositio hujusmodi *Deus est*, - non secus atque haec alia *Ens est* -, vera est propositio identica (V. *Logica*, n. 335), proindeque indemonstrabilis?

(1) « Tutto ciò, inquit Rosminius, che noi conosciamo di Dio, non è Dio: Dio sta al di là di tutta la natural cognizione che crediamo aver di lui; la potenza, la sapienza, la virtù da noi concepita, è tutt'altro dalla potenza, dalla sapienza, dalla virtù di Dio: queste cose in Dio hanno tutt'altra natura, che a noi naturalmente non si manifesta. Di Dio noi non conosciamo che l'esistenza, e questa esistenza possiamo determinarla mediante certe *relazioni* colle opere sue, cioè con questo universo contingente e finito da lui creato e conservato, e tutt'al più colle idee: in una parola, la nostra cognizione di Dio naturale è *ideale-negativa* » (*Storia comparativa* ecc.).

(2) *Tunc maxime*, ad rem S. Thomas, *mens in Dei cognitione perfectissime invenitur, quando cognoscitur, ejus essentiam esse supra omne id, quod apprehendere potest in statu hujus vitae; et sic, quamvis maneat ignotum quid est, scitur tamen quia est* (« Super Boëtium », *De Trinitate*). Itidem Tommaseus: « Di Dio sappiamo ch'egli è; poi sappiamo quel ch'egli non è, non quel ch'è. Di lui abbiamo idea per tre modi: per modo di negazione, escludendo dal suo concetto le imperfezioni a noi note; per modo di eminenza, aggiungendo alle perfezioni a noi note; per modo di causalità, argomentando dagli effetti alla causa » (*Studi critici*).

Ita profecto se res haberet, ubi quisque plane intelligeret, quaenam verbi *Deus* sit vis, et quid per ipsum significetur: hoc quippe nomine, ut nuper vidimus (n. 78), vocatur *Ille qui est*, nimirum *Ens*. Allata igitur propositio *Deus est*, per se manifesta liquet, vix dum intelliguntur termini quibus exprimitur: hi namque illius veritatem implicite continent, quippe praedicatum idem est ac subjectum. At quum id omnes cognitum perspectumque non habeamus, fit, ut propositio illa per se nota non sit, ideoque per alias, clariores quod ad nos atque manifestiores, notiones explicari et demonstrari debeat (1).

Duplici porro ratione existentia Dei demonstrari potest: *a priori*, et *a posteriori*.

Art. 1. — *Demonstratio* a priori *existentiae Dei*.

81. Quisquis intelligit, quid sibi velit demonstratio *a priori* (V. *Logica*, n. 405), facile videt, puerile nulliusque prorsus momenti illud esse, quod a nonnullis objici solet, Deum scilicet *a priori*

(1) Apposite S. Thomas: *Dico ergo, quod haec propositio*, Deus est, *quantum in se est, per se nota est: quia praedicatum est idem cum subjecto. Sed quia nos non scimus de Deo quid est, non est nobis per se nota, sed indiget demonstrari per ea quae sunt magis nota quoad nos* (Sum. theol.). Item, alio loco, haec sibi objicit Aquinates: *Veritatem esse est per se notum, quia qui negat veritatem non esse, concedit veritatem non esse; si enim veritas non est, verum est veritatem non esse; si autem est aliquid verum, oportet quod veritas sit. Deus autem est ipsa veritas, Joan. 14, 6:* Ego sum via, veritas et vita. *Ergo Deum esse est per se notum.* Quibus respondet: *Dicendum quod veritatem esse in communi, est per se notum; sed primam veritatem esse, hoc non est per se notum quoad nos.*

demonstrari nullomodo posse: quid enim, ajunt, est supra Deum? quid Deo *prius* est, a quo illius existentia deduci queat? Ambiguitate nominis manifesto hi errant: quod enim in *reali*, ut dicunt, seu rerum subsistentium ordine verissimum est, ad ordinem idearum sive *intelligibilem*, arbitrio suo perperam transferunt. Quin imo, cum Rosminio affirmare haud dubitamus, nonnisi realitatem supremam et perfectam (Dei nempe subsistentiam) nequaquam vero contingentem, *a priori* demonstrari posse (1).

Haec itaque vera est et omnium efficacissima, Dei existentiae demonstratio; ad eamque omnino respexisse videntur, quotquot ingenio ac doctrina praestantissimi,- Plato, S. Augustinus, S. Anselmus, S. Thomas, Cartesius, Clarkius, Bossuetus, Fenelonus, Leibnitius,..... Dei existentiam ex veritatibus aeternis, vel ex ideis, quemadmodum vocant, *intellectualibus*, infinitis atque absolutis inferre ac deducere adgressi sunt.

82. Ejusmodi porro demonstratio, ad simplicissimam formulam redacta, ita strictim exhiberi potest: *Rationis lumen*, uti appellant, humanae menti jugiter adest atque splendescit: solemne factum hoc est, caeterorumque factorum intellectualium fundamentum atque conditio. Hoc autem lumen, (sive *ens ideale - indeterminatum*) utpote neces-

(1) « La ragione *a priori*, ait Roboretanus philosophus, non è capace di dimostrare per sè sola alcuna realità, meno l'esistenza di Dio. Perocchè essendo Iddio la *realità necessaria*, non è assurdo che si trovi nella ragione un principio necessario, onde dedurla » (V. *Saggio* ecc.). Hoc autem principium reapse existit. Item in opere, *Il Rinnovamento* ecc.: « *A priori* non può essere dimostrata verun'altra realità: perchè tutte le altre sono *contingenti*, e non *necessarie*; ed essendo contingenti, esse non possono venir da noi conosciute che mediante una cognizione acquisita, e non necessaria ».

sarium, universale, infinitum se nobis prodit. Ex quo colligimus, ipsius humanae mentis,- quippe contingentis et finitae -, procreationem non esse. Mens humana e contrario ab lumine ipso formatur atque procreatur (V. *Logica*, n. 214).

Atqui ens,- quatenus naturaliter a mente nostra concipitur-, *ideale* tantum est, nullaque proinde sibi propria et distincta subsistentia donatum; ens igitur *reale* existit, quo veluti fundamento illud innititur, et cui,- perinde atque accidens, si ita loqui fas est, substantiae suae -, inhaeret. Infinita videlicet existit *Mens*, per se intelligibilis atque humanae se menti manifestandi,- sicque illam intelligentem et rationalem efficiendi -, vi pollens, quaeque proinde totius nostrae cognitionis est *causa;* vel, aliis verbis: *Ens reale - infinitum* necessario existit, in quo *ens ideale* desinit ac, paene dixerim, absolvitur et completur. Sed Ens necessarium, infinitum et absolutum est Deus; ergo Deus existit (1).

83. Quod si altera, idest moralis, forma consideretur quam nobis exhibet ens, quum in rationis lumine naturaliter se prodit, ad eamdem conclusionem pervenire licet (2).

(1) « L'essere ideale, inquit Rosminius, esige un'attuazione infinita, sostanziale, per la quale egli abbia non solo l'esistenza *logica*, davanti alla mente, ma altresì l'esistenza assoluta, e, come la chiamano, *metafisica* ed essenziale; e un tal essere è l'essenza divina » (V. *Saggio* ecc.).

(2) Ad rem egregius, nostra aetate, rerum moralium et politicarum scriptor, H. Ahrens: « Des preuves de l'existence de Dieu ont été établies sur les idées de l'infini, de l'absolu qui existent dans notre esprit et qui renvoient à un être absolu comme à leur cause. Or, il en est de même de l'idée du bien; son caractère absolu serait une énigme sans l'existence de Dieu. Ainsi les idées du bien, de la vérité, enfin toutes les idées absolues sont autant de voies qui régulièrement poursuivies, conduisent infailliblement à la certitude de l'existence de Dieu » (*Cours de droit naturel*).

Profecto, *lex moralis*, uti fusius in ethica dicemus, infinita atque insuperabili vi et auctoritate viget; infinitum est pretium virtutis, infinita vitii turpitudo. Sed haec imperandi atque obligandi vis, haec boni moralis dignitas aliquid certo est: immo aliquid aeternum, immutabile, necessarium. At nihil omnino esset, ubi in ente absoluto reipsa non existeret: sanctitatis enim essentia ad essentiam quoque entis pertinet, cujus ultimum est complementum. *Ens* igitur *reale - absolutum*, nempe Deus, existit.

84. Ex his autem aperte conficitur, ut hic obiter dicam, mentem humanam haud Deum ipsum, seu reale - absolutum, in praesenti rerum conditione, intueri, quemadmodum S. Bonaventurae, Malebranchio, aliisque nuperrime,- inter nostrates Giobertio praesertim -, visum est; sed aliquid potius ad Deum ipsum pertinens («un'appartenenza di Dio»): ens scilicet *ideale* et indeterminatum, quod tamen in ente *reali* necessarie absolvi et compleri ratiocinando novimus.

Deus nimirum illud non est, quod primo a mente humana cognoscitur: siquidem lumen rationis, seu ens, quod naturaliter mens videt, uti liquido unicuique conscientia testatur, aliquid sane *divinum* est,- a Deo namque ipso, tamquam a fonte, dimanat, ad eumque recta nos ducit -; sed Deus proprie dici nequit. Dei quippe nomine illud significari consuevit, quod non aliquo tantum sub respectu (hujusmodi enimvero est *ens ideale*), sed sub quolibet omnino, infinitum sit; adeo ut totum ens, - omnem videlicet entitatem, quae est a se et per se -, complectatur.

85. Quae quidem doctrina, sacrarum Litterarum

auctoritate plane fulcitur. Sic Deus, in *Exodo*, Moysi petenti: *Ostende mihi gloriam tuam*, respondet: *Non poteris videre faciem meam: non enim videbit me homo et vivet.* Similiter S. Joannes (in Evang. et in Ep. 1[a]): *Deum*, inquit, *nemo vidit unquam.* Et Apostolus gentium ad Timotheum: *Quem* (Deum) *nullus hominum vidit, sed nec videre potest.* Quod si naturale rationis lumen ipse Deus esset, omnes profecto homines naturaliter Deum viderent; ideoque perfecta vel nunc felicitate fruerentur. At e contrario: *Beati mundo corde*, inquit Christus, *quoniam ipsi Deum videbunt* (Evang. S. Matth.). Item, Deus *veritas* et *lux* esse dicitur (Verbum Dei *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*); at nullibi scriptum invenies (error quippe Platonicorum hic esset), veritatem, lucem, lumen quo homo quilibet in hunc mundum veniens illuminatur, esse *Deum*. Deus namque *veritas* quidem est; haud tamen veritas solum, sed *realitas* insuper et *amor* (1). Si itaque veritatem, in abstracto consideratam, Deum esse dicas, jam una ex entis formis pro toto ente absoluto et completo, nempe Deo, acciperetur: quod profecto ad ideam, quae de Deo nobis impraesentiarum inest, nullomodo convenit.

Cum divinis tandem libris, hac de re, plane concinunt Ecclesiae Patres atque Doctores (2).

---

(1) Quare vel ipse Malebranchius, rei veritate quodammodo victus, haec aperte scribit: « Selon notre sentiment, nous voyons Dieu lorsque nous voyons des vérités éternelles: non que ces vérités soient Dieu, mais parce que les idées dont ces vérités dépendent sont en Dieu » (*Recherche de la vérité*). Similiter Giobertius, parum equidem sibi constans, ait: « Come l'idea è Dio, in quanto risplende all'intelletto, la legge è parimente Dio, in quanto comanda alla volontà » (*Del Buono*).

(2) Inter quos S. Thomam memorare sat est; cujus perspicua haec

Art. 2. — *Demonstratio* a posteriori *existentiae Dei.*

86. Deum existere, triplici potissimum argumentorum genere, *a posteriori* demonstrari potest: metaphysico nempe, physico et morali.

87. Argumentum metaphysicum. *Metaphysicum*, vel *ontologicum*, existentiae Dei argumentum dicitur illud, quod ex mera et simplici rerum seu mundi *existentia* eruitur.

Sic enimvero argumentari licet: Ens quodlibet existens, vel *a se* existit, vel *ab alio;* idest sufficientem existentiae suae rationem, vel in se ipso, vel extra se habet. Sed existit mundus, cujus nos ipsi pars quaedam sumus; ergo sufficiens ratio esse debet, cur ille existat. Atqui mundus est ens contingens, utpote qui, absque ulla contradictione, tamquam non existens concipi potest (V. n. 77); ergo in se

et decretoria sunt verba: *Unde cum ipsum tamen intellectus nostri non se habeat ad intellectum nostrum, sicut quod intelligitur, sed sicut quo intelligitur, multo minus Deus est id, quod primo a nostro intellectu intelligitur* (Sum. theol.). In libro autem « Super Boëtium » « De Trinitate », sententia illorum exposita, qui Deum illud esse putant, quod vel hic in terris ab humana mente primo cognoscitur »: *Hoc aperte est falsum*, respondet, *quia cognoscere Deum per essentiam est hominis beatitudo; unde sequeretur, omnem hominem beatum esse*. Quod si qui ex SS. Patribus ideam Dei in animis nostris naturâ insitam affirmare non dubitarunt (quemadmodum et Cic., « De natura deorum »: *Omnibus innatum est, et quasi insculptum, esse Deum*), quo sensu intelligendum id sit, vel ipse Angelicus Doctor ita explicat: *Cognitio existendi Deum dicitur omnibus naturaliter inserta, quia omnibus insertum est aliquid, unde potest pervenire ad cognoscendum Deum esse* (De verit.). Rursus autem, in memorata opella « Super Boëtium »: *Deum esse quantum in se est, est per se notum, quia sua essentia est suum esse, et hoc modo loquitur Anselmus (« non potest Deus cogitari non esse »); non autem nobis qui ejus essentiam non videmus. Sed tamen ejus cognitio nobis innata dicitur esse, in quantum per principia nobis innata de facili percipere possumus Deum esse.* Cum his porro omnino consentit quod idem habet Cicero: *Habemus in animis insitam informationem quandam Dei* (De nat. deor.).

ipso sufficientem existentiae suae rationem non habet; ergo habet in alio: in causa nimirum prima et necessaria, sive in ente necessario et a se existente. Sed Ens necessarium et a se existens est Deus; Deus itaque existit (1).

88. Quae demonstratio hoc etiam pacto exhiberi potest: Aliquid actu existit; semper igitur et ab aeterno aliquid extitisse necesse est (2). Atqui Ens, necessario et ab aeterno existens, Dei nomine vocatur; Deus ergo existit. At mundus, utpote ens contingens, necessario non existit; ergo mundus non est Deus. Ergo, praeter mundum ab eoque distinctum, est Ens a se et in se necessario existens; et a quo mundus ipse existentiam suam accepit, idest, ex nihilo confectus sive creatus est. Ens autem contingens non quondam solum ac semel creari debuit, sed quolibet temporis puncto e nihilo quodammodo educitur, seu creatur: rerum

(1) *Videmus*, ait S. Thomas, *in mundo quaedam, quae sunt possibilia esse et non esse, sicut generabilia et corruptibilia. Omne autem quod est possibile esse, causam habet; quia cum de se aequaliter se habeat ad duo, scilicet esse et non esse, oportet, si ei appropriatur esse, quod hoc sit ex aliqua causa.... Ergo oportet ponere aliquid, quod sit necesse esse.... Et hoc est Deus, cum sit prima causa* (C. Gentes). Item Rosminius: « Io vedo che tutte le cose dell'Universo possono essere o non essere. Non v'ha dunque in esse una ragione, dalla quale sieno determinate piuttosto all'esistenza, che alla non esistenza. Qual è dunque la ragione, per la quale esistono? e perchè piuttosto non esistono? Essendo possibile ugualmente l'una e l'altra cosa, la mente non può concepire che il mondo piuttosto esista che non esista, senza ammettere una causa necessaria. Questo è intrinseco all'essere, io ne sento la necessità. — L'essere di natura sua è necessario, un essere dunque non necessario o non esiste o ha bisogno del necessario per esistere. Ma il mondo esiste, dunque c'è un altro ente necessario, che ne spiega l'esistenza » (*Logica*).

(2) Profecto, « qu'il y ait un seul moment, uti Bossuetus animadvertit, où rien ne soit, éternellement rien ne sera. Ainsi le néant sera à jamais toute vérité, et rien ne sera vrai que le néant; chose absurde et contradictoire » (*De la connaissance etc.*).

enim *conservatio*, uti verissime docet Cartesius quaedam est continuata creatio (1).

Sed quum mundum a Deo creatum dicimus, non modo quod ad *formam*, verum etiam quod ad illius *substantiam* intelligendum id est: utraque enim est quid contingens. Absurdum igitur, quod inter veteres quidam et Manichaei opinabantur, mundum scilicet ex praeexistente materia a Deo confectum fuisse (2).

---

(1) Cartesiana haec de creatione doctrina Leibnitio plane probatur; etsi rationibus, quibus a Cartesianis fulciri solet, penitus ille non acquiescit. Qua de re, perspicua haec, itemque solidissima, scribit Lipsiensis philosophus: « Ce qu'on peut dire d'assuré sur le présent sujet, est que la créature dépend continuellement de l'opération divine, et qu'elle n'en dépend pas moins depuis qu'elle a commencé que dans le commencement. Cette dépendance porte qu'elle ne continuerait pas d'exister, si Dieu ne continuerait pas d'agir; enfin que cette action de Dieu est libre. Car si c'était une émanation nécessaire, comme celle des propriétés du cercle qui coulent de son essence, il faudrait dire que Dieu a produit d'abord la créature nécessairement; ou bien il faudrait faire voir comment, en la créant une fois, il s'est imposé la nécessité de la conserver. Or rien n'empêche que cette action conservatrice ne soit appelée production et même création, si l'on veut. Car, la dépendance étant aussi grande dans la suite que dans le commencement, la dénomination extrinsèque, d'être nouvelle ou non, n'en change point la nature » (*Théodicée*).

(2) *De nihilo enim*, - quemadmodum, ad Deum conversus, ait S. Augustinus -, *a te, non de te facta sunt, non de aliqua non tua, vel quae antea fuerit, sed de concreata, id est, simul a te creata materia, quia ejus informitatem sine ulla temporis interpositione formasti* (Confess.). Itidem eloquentissimus Bossuetus ita stricte ratiocinatur: « J'ouvre votre écriture, et j'y trouve d'abord: Au commencement Dieu a créé le ciel et la terre. Je ne trouve point que Dieu, qui a créé toute chose, ait eu besoin comme un ouvrier vulgaire de trouver une matière préparée sur laquelle il travaillât, et de laquelle il fît son ouvrage; mais, n'ayant besoin pour agir que de lui-même et de sa propre puissance, il a fait tout son ouvrage. Il n'est point un simple faiseur de formes et de figures dans une matière préexistante; il a fait et la matière et la forme, c'est-à-dire son ouvrage dans son tout. Autrement son ouvrage ne lui doit pas tout, et dans son fond il est indépendamment de son ouvrier. Mais il n'en est pas ainsi d'un ouvrier aussi parfait que Dieu. Lui qui est la forme des formes et l'acte des actes, il a fait tout ce qui est selon ce qu'il est, et autant qu'il est; c'est-à-dire que, comme il a fait la forme, il a fait aussi ce qui était capable d'être formé, parce que cela même c'est quelque chose qui, ne pouvant avoir de soi-même d'être formé, ne peut non plus avoir de soi-même d'être *formable* » (*Élévations à Dieu sur les mystères*).

89. Sed his nonnulla opponunt athei. Et primum: Quamvis, ajunt, singula quibus mundus constat entia, si seorsim spectentur, contingentia sint, universa tamen simul collecta, totum fortasse aliquod necessarium efficiunt.

Respondemus, assertum hoc prorsus negando: plurium quippe rerum collectio, harum essentiam nequaquam immutat. Anne, quaeso, ens rationale, ex quantovis irrationalium entium numero: vel ex finitorum congerie, quid infinitum prodire unquam videas? Sic profecto, ne quaelibet quidem entium contingentium complexio ens necessarium gignere potest.

90. Objiciunt 2°. Non habemus necesse ad Deum, tamquam ad causam primam, confugere, ut rerum existentiae sufficiens afferatur ratio: sat quippe est, infinitam ponere causarum seriem, idest infinitam successionem entium, quorum alterum ab altero, per quamdam progressionem ad infinitum, exoriatur, absque eo quod originaria sit aliqua et prima eorumdem causa.

Resp., absurdissimam prorsus esse infinitam causarum seriem, quae initio careat; utcumque enim hanc longissime productam putes, ad aliquod tandem principium deveniendum est, a quo series hujusmodi determinata fuerit; secus namque esset effectus absque causa, quod omnino repugnat: eadem ferme ratione, qua ab alto suspensae catenae anuli se mutuo sustinere nequeunt, ni horum aliquis, - qua magis libet ab anulo extremo distantia -, firmo atque immoto cuipiam puncto adnexus sit. « Progressus in infinitum, optime animadvertit Ancillonus, veluti quid chimaericum haberi debet: nil siquidem aliud demum est, quam

effectuum sine causa, idest *nullitatum*, connexio; quibus nonnulli, eo solum quod illas multiplicant, existentiam tribuere arbitrantur ».

Ens igitur aliquod ex omni aeternitate, necessario et naturae suae vi existit, a quo haec rerum contingentium series sive mundus originem duxerit; ni id fortasse velint adversarii nostri, hunc aliquando ex nihilo derepente prodiisse, sibique existentiam quodammodo dedisse: quod profecto nemo sanae mentis affirmaverit (1).

91. Postrema haec libenti animo arripiunt athei, atque

Ob. 3°. Vulgatissimum, post Lucretium Carum, hoc est: *Ex nihilo nihil fit* (2). Falso itaque mundus a Deo creatus seu e nihilo eductus perhibetur; quem potius semper extitisse dicendum est. Quid ergo Deo indigemus?

Resp. in primis, - etiamsi materia, ex qua spectabilis hic mundus conflatus est, ab aeterno existeret -, Deo nihilominus semper opus fuisse, qui in ordinem illam redigeret, illique tam varias atque elegantes formas tribueret, uti mox dicemus. Quamquam, aeternam esse materiam, adversariis nostris minime concedimus: haec siquidem, ut vidimus, contingens est, nullamque in se existentiae suae rationem habet.

(1) Quid igitur, siquis monstrum hoc, - nedum cogitatione finxerit -, utpote philosophicae doctrinae totiusque humanae scientiae fundamentum posuerit? Id enimvero, hoc ineunte saeculo, perfecit Hegelius, inter Germanos philosophos fama notissimus. Qui *esse* et *non-esse* idem esse; et quod non est, aliquid per se ipsum fieri, docet. Uno verbo, *Non-esse*, Hegelii sententia, fit *esse*. Nonne, Dii immortales: portenta haec, non disserentis philosophi, sed somniantis esse videntur? At verissime, vel aetate sua, scribebat Cicero: *Nescio quomodo, nihil tam absurde dici potest, quod non dicatur ab aliquo philosophorum* (De divinat.).

(2) Nunc age, res quoniam docui non posse creari
De nihilo, neque item genitas ad nil revocari.
(Lucretius Carus, *De rerum natura*).

Item Persius (*Sat.* 3):

. . . . gigni
De nihilo nihil, in nihilum nil posse reverti.

Quod vero ad Lucretianum spectat effatum, reponimus, verissimum quidem esse, *ex nihilo nihil fieri*, hoc sensu, quod ens non existens, existere nequeat, absque efficientia causae alicujus; vel quod, a *nihilo*, tamquam a causa, *nihil* effici possit. At falsum hoc esse principium, si ita intelligatur, ut *nihil* eorum, quae prius non erant, ad existentiam adduci queat. Hoc itaque pro certo constituendum est, sine efficiente causa, ex nihilo nihil oriri posse, quia rei non existentis nulla est efficientia. Ex quo id etiam conficitur, nunquam fuisse merum *nihil*, seu non omnia entia esse facta; sed naturam aliquam sive substantiam, *a se* et *necessario* ab aeterno existere: quae quidem substantia, uti supra animadvertimus, et mox fusius in pantheistas dicemus, alia omnino, atque hic mundus, est.

92. Argumentum physicum. Argumentum existentiae Dei *physicum*, vel, uti etiam appellari consuevit, *causarum finalium* seu *teleologicum*, illud est, quod elicitur ex *modo existentiae* rerum: quo nempe Deum existere, ex mundi ordine et pulcritudine demonstratur. Haec porro demonstratio in necessario et universali nititur causalitatis principio (V. *Logica*, n. 55).

Profecto, ex principio, « Nullus est effectus sine causa », hoc aliud legitime consequitur: « Effectus sua causa major esse nequit »; vel aliter: « Causam effectui suo proportione respondere oportet »; proindeque: « Si effectus indubia praebeat consilii et

intelligentiae indicia, et illius causa intelligens esse debet »; eo autem intelligentiâ praestantior atque excellentior, quo majora intelligentiae indicia et signa in effectu deprehenduntur. Hoc porro dicitur principium *causarum finalium;* quod sic etiam simpliciter efferri solet: « Medium quodlibet finem arguit » (*ogni mezzo suppone un fine*).

Atqui in hac rerum universitate, evidentissima se produnt intelligentiae signa et argumenta, quae finitam quamcumque vim et intelligentiam longe longeque exsuperant.

Mens igitur aliqua, seu Ens supremum, infinita vi et sapientia pollens, nempe Deus, existit, qui mundo universo praesit atque moderetur.

93. Re quidem vera, quocumque oculos et animi attentionem convertimus, eximius ubique partium concentus et harmonia, pene dixerim; apta et elegantissima rerum omnium dispositio se nobis admirandam praebet. Complura videlicet *media*, ad peculiarem quemdam consequendum *finem*, simul collata videmus; hos autem fines particulares, - licet innumeros, atque naturâ, necnon temporum et locorum distantia, inter se omnino dissimiles -, omnes tamen in unum eumdemque finem atque exitum, in mundi nempe *ordinem*, quem certo atque constanter attingunt, spectare: adeo nimirum *omnia*, ut auctor libri *Sapientiae* loquitur, *in mensura, et numero, et pondere* disposita sunt (1)!

94. In primisque, sat est oculos ad coelum tol-

(1) *Nec vero*, ad rem Tullius, *haec solum admirabilia, sed nihil majus, quam quod ita stabilis est mundus, atque ita cohaeret ad permanendum, ut nihil ne excogitari quidem possit aptius* (De nat. deor.). Similiter vir cl., Ad. Thiers: « Dans l'univers tout se tient, se soutient, contraste sans se contredire, forme mille reflets harmonieux, comme dans un tableau coloré par une main habile et savante » (*De la propriété*).

lere, ut et nobis cum regio Psalte exclamare liceat: *Coeli enarrant gloriam Dei, et operà manuum ejus annuntiat firmamentum* (1). Et merito: innumera enim ferme corpora in spatio intuemur, eaque molis ingentis, maximo locorum intervallo ab invicem dirempta; quorum nonnulla (quin omnia fortasse) pernicissimis, aliorum circum alia, feruntur motibus; qui nihilominus adamussim ita perficiuntur, ut tot ab hinc saeculis, licet implicatissimis obstricti legibus constantissime perdurent. Inter has enim leges, ex magno Keplero, haec est: « Quadrata temporum periodicorum sunt ubi cubi distantiarum ». Quam qui consideret, jam non miretur, Keplerum ipsum, qui legem hanc omnium primus vidit, adeo magnitudine rei commotum fuisse, ut a se subducti calculi veritas sibi dubia primo videretur (2).

95. Hoc autem argumentum magis etiam evolvi et ulterius produci posset, ubi per vastum astronomiae campum exspatiari, et nuperorum praesertim memoranda inventa pertentare nobis liceret. Ex his nihilominus quae obiter delibavimus, satis liquet, illum penitus desipere, qui, - cum tantam in corporum coelestium motibus constantiam, tan-

(1) Hoc eodem argumento usus est et Cicero: *Esse*, inquit, *praestantem aliquam aeternamque naturam, et eam suspiciendam admirandamque hominum generi, pulchritudo mundi, ordoque rerum coelestium cogit confiteri* (De divinatione). Et iterum (De nat. deor.): *Quid potest esse tam apertum, tamque perspicuum, cum coelum suspeximus, coelestiaque contemplati sumus, quam esse aliquod numen praestantissimae mentis, quo haec regantur?* De quo vel ipse ait Voltaire: « Cet argument est vieux, mais il n'en est pas plus mauvais ».

(2) Hinc sublime illud Platonis dictum: « Deus omnia *geometrizans* fecit ». Cum quo emphatica haec, in quae postmodum erupit Keplerus, verba plane consentiunt: *Geometria, ante rerum ortum, menti divinae coaeterna, Deus ipse (quid enim in Deo quod non sit ipse Deus?) exempla Deo creandi mundi suppeditavit, et cum imagine Dei transivit in hominem.*

tamque in his varietatem, elegantiam et harmoniam satis admirari non possit (ejus quippe captum omnino exsuperant) -, Mentem haec omnia dirigentem esse neget (1).

96. Quod si e coelo ad terrae orbem oculos dejicimus, haud minora profecto (quamvis inter angustiores limites) se nobis demiranda objiciunt, - sive ratio animadvertatur, quae cum coelestibus corporibus telluri nostrae intercedit; sive ingens ac mira prorsus, quae haec ipsa continet, entium multitudo ac varietas consideretur: ut nempe omnia, etsi continuis mutationibus obnoxia, conserventur; ut animantia procreatione perennent: quin tamen praeter modum, mutua sane punicie, crescant, sed alterum alteri prosit, seque invicem juvent; ut cuilibet animantium generi, quae ad vitam alendam et sustentandam sunt necessaria, abunde natura suppeditet; aliaque innumera.

97. Peculiari nihilo secius animadversione digni videntur belluarum instinctus, necnon stupenda omnino opificia, quae ab illarum quibusdam perficiuntur: avium nidi, ex. gr., aranearum opera, formicarum atque castorum casae, apum alvearia.

Quod autem ad alvearia praesertim spectat, tanta haec sollertia sunt et arte constructa, quemadmodum celeber Maclaurinus demonstravit, ut sublimioribus quibusdam matheseos quaestionibus (quas *de maximis et minimis* appellant) adamussim respondeant, atque non mediocriter implicatum problema persolvant, cujusmodi hoc est: « In dato spatio figuras regulares describere, quo majores numero fieri possit; una simul minore, quod liceat, opera impensa atque adhibita materia ». Ad quae ubi animum advertamus, haud mirum sane videbitur, tantopere genus apum veteres extulisse (1). Quanquam, quisnam, bone Deus! mathematicen apes; quisnam belluas architecturam, quis artes edocuit? Quum igitur animantium instinctus nullam sibi rationis vim adnexam habeat, jam sequitur, supremam necessario Rationem esse, nempe Deum, a quo ille statis legibus dirigatur (2).

98. Ad haec, quis plantarum structuram, evolutionem, incrementum, propagationem satis mirari queat (3)? quid vero de animantium corpore dicen-

(1) *Quis enim*, vel suo tempore ajebat Cicero, *hunc hominem dixerit, qui cum tam certos coeli motus, tam ratos astrorum ordines, tamque omnia inter se connexa et apta viderit, neget in his ullam inesse rationem?... An cum machinatione quadam moveri aliquid videmus, ut sphaeram, ut horas, ut alia permulta, non dubitamus, quin illa opera sint rationis; cum autem impetum coeli admirabili cum celeritate moveri vertique videamus, constantissime conficientem vicissitudines anniversarias, cum summa salute et conservatione rerum omnium, dubitamus, quin ea non solum ratione fiant, sed etiam excellenti quadam divinaque ratione?* (De nat. deor.).

(1) Hi siquidem, innuente Virgilio (in *Georg.*).

Esse apibus partem divinae mentis et haustus
Aethereos dixere.

(2) Namque, ut ingeniose, in *Antilucretio*, cecinit cardinalis de Polignac:

Arguit in fabro, non in se machina mentem.

Quamobrem egregie Fridericus Cuvierus: « L'industrie des insectes a dû devenir, pour tous les esprits portés à la réflexion, un profond sujet de méditation et de recherches. On ne pouvait l'attribuer à la raison de ces faibles animaux qu'à la condition de les placer, sous ce rapport, au-dessus de l'espèce humaine.... On fut dès lors naturellement conduit à l'attribuer à une cause providentielle et toute puissante, car elle en réglait d'avance toutes les conditions relatives aux temps, aux lieux, et aux autres êtres, de quelque nature qu'ils fussent, et elle les réglait pour toujours » (*Rapport* sur « La Providence manifestée » etc., par V. Rendu). Profecto, « quanto manca (l'istinto) di ragione propria, inquit Giobertius, tanto più risplende in esso di ragion divina, rispetto alla quale solamente il termine del moto istintivo ha ragion di fine; non potendosi dar fine senza una mente che lo conosca e miri ad ottenerlo » (*Del Buono*).

(3) Apposite Eulerus: « On découvre une perfection semblable dans les plantes: tout y concourt à leur formation, à leur accroissement,

dum? quid de partibus, - cum externis tum internis -, quibus illud conditum est, deque iis maxime, quorum vi humorum secretio, ciborum digestio, respiratio et admiranda sanguinis circuitio perficitur? quid tandem de organis sensoriis, de oculis praesertim et auribus, excellenti plane artificio, - sive internarum partium dispositionem, sive extimam eorumdem circumtexturam consideres -, elaboratis, ad naturae leges ac vires omnino exactis, atque ad proprios cujusque usus et fines accommodatissimis? Quomodo autem horum unumquodque apte ac scite dispositum (1)!

Quae quidem omnia, - nedum finitam quamcumque vim -, vel ipsum intelligentiae nostrae captum adeo excedunt ac superant, ut per se sola supremi Numinis existentiam satis superque evincant. Hinc magnum Galenum (etsi rudis admodum

---

et à la production de leurs fleurs, de leurs fruits ou de leurs semences. Quel prodige de voir naître, d'un petit grain mis dans la terre, une plante ou un arbre, et cela du seul suc nourricier que la terre fournit!.... On se perd ensuite entièrement si l'on considère comment toutes les matières, la terre, l'eau, l'air et la chaleur, concourent à produire tous les corps organisés, et comme enfin l'arrangement de tous les corps célestes ne pouvait être mieux fait pour remplir tous ces desseins particuliers » (*Lettres à une Princesse d'Allemagne*).

(1) Qua de re nil profecto concinnius et elegantius, quam quod habet Cicero (De nat. Deor.): *Sensus*, ait, *interpretes ac nuntii rerum, in capite, tamquam in arce, mirifice ad usus necessarios et facti et collocati sunt. Nam oculi, tamquam speculatores, altissimum locum obtinent: ex quo plurima conspicientes fungantur suo munere. Et aures cum sonum percipere debeant, qui natura in sublime fertur, recte in altis corporum partibus collocatae sunt. Itemque nares, eo quod omnis odor ad supera fertur, recte sursum sunt; et quod cibi et potionis judicium magnum earum est, non sine causa vicinitatem oris secutae sunt. Jam gustatus, qui sentire eorum, quibus vescimur, genera deberet, habitat in ea parte oris, qua esculentis et potulentis iter natura patefecit. Tactus autem toto corpore aequabiliter fusus est, ut omnes ictus, omnesque nimios et frigoris et caloris appulsus sentire possimus. Atque, ut in aedificiis architecti avertunt ab oculis et naribus dominorum, quae profluentia necessario tetri essent aliquid habitura; sic natura res similes procul amandavit a sensibus* (De nat. deor.).

et inchoata tunc temporis erat anatome) libro, quem *De usu partium corporis humani* inscripsit, absoluto, in admirationem raptum, exclamavisse ferunt, hymnum se Deo, magis quam thus et hecatombas acceptum et jucundum cecinisse (1).

99. Luculentissimum denique existentiae Dei argumentum ex animi nostri consideratione eruitur; quin etiam nullibi fortasse, quam in mundo interno seu spirituali, infinita Dei sapientia magis splendescit. Profecto: *mens*, quae ad sublimia et altissima percipienda capax est; quae plurima et inter se diversa incredibili celeritate percurrit; occulta investigat; praeterita reminiscitur; futura prospicit; quae unico veluti intuitu rerum universitatem totam amplectitur; quae ad infinitum usque se tollit: ad infinitum, inquam, ad quod naturâ tendit, quodque jugiter inhiat..., nonne, amabo, infinitam haec atque divinam *Mentem*, a qua ortum duxerit, postulare manifesto videtur (2)?

---

(1) Unde merito Rosminius: « Per chi medita gli esseri naturali con cuor puro e con mente illuminata, questa scienza della natura diventa una scienza sacra: ella favella di Dio; ella appalesa un intelletto ed una forza infinita; ella confonde il filosofo, e così l'ammaestra; somministra allo animo sincero argomenti di cantici al loro Creatore, per le infinite maraviglie che contiene, tanto nel più piccolo de' vermi, che nel più vasto degli astri » (*Apologetica*). Quo illud pertinet, quod legitur in libro Sapientiae: *Pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos.*

(2) *Ex ipsa hominum solertia*, inquit Cicero, *esse aliquam mentem, et eam quidem acriorem et divinam, existimare debemus.* Unde enim hanc homo arripuit? *ut ait apud Xenophontem Socrates.... Rationem et, si placet pluribus verbis, mentem, consilium, cogitationem, prudentiam, ubi invenimus? unde sustulimus?* (De nat. deor.). Ex quibus recte concludit: *Jam vero animum ipsum mentemque hominis, rationem, consilium, prudentiam, qui non divina cura perfecta esse perspicit, is his ipsis rebus mihi videtur carere.* Item S. Basilius: « Si, ait, ab externis objectis ad « nos ipsos cogitationem convertamus, nihil opus habemus ex universitatis structura opificem indagare, sed in nobis ipsis, velut « exiguo quodam mundo, magnam Conditoris nostri sapientiam intuemur ».

100. Sed haec atheis nequaquam arrident. Qui, - ad ejusmodi argumentorum vim eludendam -, contendunt, fieri sane potuisse, ut haec rerum compages, casu aliquo et sine ulla Dei opera: per fortuitum nempe materialium particularum sive atomorum concursum, et mutuam alterius in alterum impactionem atque collisionem, aliquando prodierit.

Resp., multiplici hanc atheorum argumentationem vitio laborare. Praeterquamquod enim materiam a se et necessario existentem ponunt, quod, uti vidimus, absurdissimum est; eidemque essentialem esse motum affirmant, quod omnino etiam negamus, - essentialis quippe rei proprietas illa dici nequit, sine qua res ipsa esse vel saltem concipi nullo negotio potest, cujusmodi enimvero est *motus* (1) -, qui, si diis placet, fieri unquam potuisset, ut ex caeca et fortuita atomorum concursione mirus adeo atque stupendus rerum ordo emergeret? Nonne, quaeso, risum moveret, qui affabre confectum signum, pictum aut sculptum, vel aliud opus quodcumque, puta horologium, numeris omnibus absolutum, casui tribuendum censeret? qui Iliadem, v. gr., vel Aeneidem ex litteris temere projectis ortam arbitra-

(1) Quod argumentum egregie atque eleganter, ex more, in *Anti-lucretio* sic profert Polignacus:

Si nativus erit per sese in corpore motus
Ut des materiae, qualis, quantusve rogabo?
Quam versus mundi partem? lentusne? citusne?
Rectus, an obliquus? forsan curvatus in orbem?
Nam cuncti esse simul nequeunt; unum esse necesse est.
. . . .
Sed motus nullae species cum corpore pugnant.
. . . .
Sed motum semper variari posse videmus.
Ergo materiae nativum haud esse fatendum est.

retur (1)? Et revera, ad praesentem rerum ordinationem ejusque conservationem, haud motus quoslibet sufficere manifestum est: certae siquidem motus leges requiruntur, quas profecto sibi atomi praescribere minime possunt. Necessariae sunt leges gravitatis seu attractionis mutuae, repulsionis, cohaesionis; quod autem ad plantas et animantia speciatim attinet, leges generationis et nutritionis. Has porro omnes aliasque hujuscemodi leges, ex mutua et fortuita atomorum collisione atque percussione oriri, quis dixerit?

101. Atqui, reponunt athei, - quasi triumphum de theistis agentes -, modo memorata, gravitatis sive attractionis vi materia pollet: vi nimirum, quae, - juxta Neutonum, a quo primum reperta est -, admirabiles coelestium corporum motus, quin ad Deum confugere opus sit, dirigit ac moderatur.

Respondemus, qui tam confidenter haec jactant, quid verbum *attractio* sibi velit, omnino illos nescire: mera quippe voce contenti, rem penitius investigare omittunt. Nil aliud porro, attractionis nomine, intelligendum est, nisi norma seu lex quaedam, a Deo ipso constituta et coelestibus corporibus quodammodo imposita, et a qua in suis motibus haec assidue reguntur; minime vero utpote aliquid ad materiam ipsam, tamquam essentialis

(1) *Quidquam potest*, sciscitatur Cicero, *casu esse factum, quod omnes habet in se numeros veritatis?.... Adspersa temere pigmenta in tabula, oris lineamenta effingere possunt: num etiam Veneris Coae pulcritudinem effingi posse adspersione fortuita putas? Sus rostro si humi A litteram impresserit, num propterea suspicari poteris, Andromacham Ennii ab ea posse describi?* (De divinatione). Et alibi: *Si mundum*, inquit, *efficere potest concursus atomorum, cur porticum, cur templum, cur domum, cur urbem non potest? quae sunt minus operosa, et multo quidem faciliora. Certe ita temere de mundo effutiunt, ut mihi quidem numquam hunc admirabilem coeli ornatum, qui locus est proximus, suspexisse videantur* (De nat. deor.).

ejus proprietas, pertinens: quemadmodum vel ipse Neutonus, - cujus auctoritatem adversarii nostri profecto non abnuent -, aperte declarat (1).

At licet gravitatis seu attractionis vim essentialiter materiae inesse, atque, illius ope, in praesenti rerum conditione, corporum coelestium motuum rationem facile reddi concedamus, ad aliquam nihilominus causam, a materia ipsa omnino distinctam, confugiendum esset, quae propria unicuique horum corporum loca certasque abinvicem distantias statueret, quo ordinatim et uti par est, in se mutuo agere possent; neque ulla, in tanta motuum pernicitate ac diversitate, perturbatio contingeret (2).

Quamvis demum, - ut liberalius adversarios nostros tractemus -, loca haec propriumque sibi situm corpora coelestia per vim gravitatis acquisivissent, inde tamen haud sequeretur, curvilineo motu alia circum alia volvi haec oportere. Ut enim corpus circa punctum aliquod curvam lineam describat, - praeter vim, quae corpus ad punctum illud versus trahat -, vis alia requiritur, quae ipsum propter ejusdem curvae tangentem urgeat. Haec autem attractionis vi proportione respondere debet, ut illam potius quam aliam curvam corpus percurrat.

Sed longius adhuc progredimur. Id probe comper-

---

(1) *Voces autem attractionis*, ait summus vir, *impulsus vel propensionis cujuscunque in centrum, indifferenter et pro se mutuo promiscue usurpo; has voces non physice sed mathematice considerando. Unde caveat lector, ne per hujusmodi voces cogitet me speciem vel modum actionis, causamve aut rationem physicam alicubi definire; vel centris (quae sunt puncta mathematica) vires vere et physice tribuere, si forte centra trahere, aut vires centrorum esse dixero* (Philosophiae natur. Principia mathem.).

(2) Neutonum rursus ad rem audiamus: *Perseverabunt quidem* (corpora coelestia) *in orbibus suis per vim gravitatis; sed regularem orbium situm primitus acquirere per leges hasce minime poterant.*

tum est, tellurem, - necnon alia complura coelestia corpora, ne sole quidem excepto -, praeterquamquod motu translationis de loco ad locum in spatio, alio insuper motu provehi, quo nimirum in se certis temporis intervallis citissime volvuntur. Jamvero, ut circa suum axem corpus aliquod moveatur, vi opus est, quemadmodum docet mechanice, quae, per impulsionem extra centrum inflexam, illud propellat. An dices fortasse, et vim *attractionis* et *tangentialem* et *excentricam*, - quae adeo inter se conspirant et concinunt, ut illi adamussim exsistant motus, unde tantus mundi spectabilis ordo, tantaque venustas et harmonia exoritur -, casui omnino tribuendas esse? Vide, sodes, ne Anticyram naviges.

102. Ob. 3ª. Ex humani corporis structura, neque ab sensuum organis, iisque plane accommodata rerum externarum natura et vi, quidpiam pro Dei existentia concludi potest. Rebus enim, uti animadvertit Lucretius, quia existunt, utimur, nequaquam vero, ut iis utamur, conditae sunt (1). Ne-

---

(1) Haec siquidem, *De rerum natura* lib. IV, legimus:

Lumina ne facias Oculorum clara creata,
Prospicere ut possimus; et, ut proferre viai
Proceros passus, ideo fastigia posse
Surarum, ac Feminum pedibus fundata plicari
. . . .
Omnia perversa praepostera sunt ratione.
Nil adeo quoniam natum 'st in Corpore, ut uti
Possemus, sed quod natum 'st, id procreat usum.

Cujus asserti hanc atheus poëta, lepidissimam edepol! rationem affert:

Nec fuit ante Videre Oculorum lumina nata;
Nec dictis Orare prius, quam Lingua creata 'st:
Sed potius longe Linguae praecessit origo
Sermonem, multoque creatae sunt prius Aures,
Quam Sonus est auditus; et omnia denique membra
Ante fuere (ut opinor) eorum quam foret usus.
Haud igitur potuere utendi crescere causa.

que alia, penes nuperos *positivistas*, uti appellant, viget opinio: qui, non secus atque Lucretius et Epicurei, omnem omnino in natura *finalitatem* et *intentionalitatem* inficiantur, omniaque casu fieri contendunt.

Respondemus, nil hujuscemodi argumentatione ineptius atque absurdius excogitari posse. Quid, quaeso, non conditi sunt oculi, ut videremus? cur ergo nil habent, quod ad visionem non referatur? Haud nobis aures ad audiendum sunt datae? quid igitur est causae, cur in illis nil insit, sono excipiendo non accommodatum? Quod si ita Lucretio argumentari licet, cur non aeque navim ad navigandum, ad horas indicandas solarium factum non esse, dicere fas erit?.... At non plura: sat nugas jam egimus (1).

103. Argumentum morale. Quisquis seipsum resque humanas paullo attentius et animo perversis opinionibus vacuo considerat, Deum, cum privato homini, tum societati necessarium esse, facile intelligit (2). Deus quippe solus innocentiae ac virtutis consolator est atque subsidium; solus Deus, cui nihil est opertum, judex incorruptissimus, facinorum et scelerum vindex. Profecto, quis jam

(1) Lucretianam hanc philosophandi rationem vel ipse Volterius merito irridens, ait : « En philosophie Lucrèce me paraît, je l'avoue, fort au-dessous d'un portier de collége et d'un bedeau de paroisse. Affirmer que ni l'œil n'est fait pour voir, ni l'oreille pour entendre, ni l'estomac pour digérer, n'est-ce pas là la plus énorme des absurdités, la plus révoltante folie qui soit jamais tombée dans l'esprit humain? Tout douteur que je suis, cette démence me paraît évidente et je le dis » (*Diction. philos.*, art. DIEU). Quis porro non miretur, in tanto scientiarum progressu, futilia haec et inepta vel nostris temporibus dictitari et publice etiam doceri? (nec deesse qui, utpote subtilia et memoranda inventa, ea praedicent atque ad sidera extollant?

(2) Quo spectat pervulgatum illud Volterii:

Si Dieu n'existait pas, il faudrait l'inventer.

erit, si Deum auferas, ad quem adversa fortuna jactatus, miseriis et aerumnis pressus confugiat, a quo opem petat? Quaenam summa rerum omnium inopia, vel misero diuturnoque morbo circumvento; quaenam aliorum fraude ac superbia inique vexato, sublato Deo, spes superest (1)?

Quod autem ad humanam societatem spectat, hujus vinculum, - tum boni malique discrimine, tum legibus, aequitate, necnon stricta, ad officia sibi invicem praestanda, obligatione necessario contineri -, in medio omnino positum est (2): haec porro omnia atheistica impietas penitus aufert ac diruit. Quae enim, in atheorum civitate, sive legum sive magistratuum auctoritas esse potest? Anne bona fides, animi integritas, justitia, caeteraeque virtutes? quae profecto, aut nihil sunt apud atheos, aut mero eoque specioso virtutis nomine decorantur (3). Inde manifesto consequitur, praecipuum civilis status fundamentum, Dei cultum esse; et

(1) Quare vel ipse, heu nimium! fama notus, Maximilianus Robespierus, sceleratos illos, qui impias doctrinas in vulgus proferrent, sic vehementer insectatur: « Malheureux sophiste, de quel droit viens-tu arracher à l'innocence le sceptre de la raison pour le mettre dans les mains du crime, jeter un voile funèbre sur la nature, désespérer le malheur, réjouir le vice, attrister la vertu, dégrader l'humanité!... Si l'existence de Dieu, si l'immortalité de l'âme, n'étaient que des songes, elles seraient encore la plus belle de toutes les conceptions de l'esprit humain » (*Rapport fait au nom du Comité de salut public*).

(2) Quis non intelligit, inquit Cicero, *quam multa firmentur jurejurando; quantae saluti sint foederum religiones; quam multos divini supplicii metus a scelere revocarit; quamque sancta sit societas civium inter ipsos, diis immortalibus interpositis tum judicibus, tum testibus?* (De legib.)

(3) Juvat hic referre quae ad rem habet Tocquevillus: « Pendant que j'étais en Amérique, inquit egregius vir, un témoin se présenta aux assises du comté de Charlestown, et déclara qu'il ne croyait pas à l'existence de Dieu et à l'immortalité de l'âme. Le président refusa de recevoir son serment, attendu, dit-il, que le témoin avait détruit d'avance toute la foi qu'on pouvait ajouter à ses paroles ».

nullam proinde, absque Deo, societatem iniri, multo autem minus consistere posse (1).

104. Quae cum ita sint, et quidam veluti instinctus, quaedam humanae naturae necessitas Deum postulet, quid mirum, si, in eo affirmando colendoque, omnes generatim homines, semper et ubique consenserint?

Hic porro « universalis hominum consensus », vel rectius, « humanae naturae testimonium », *morale*, uti vocant, existentiae Dei *argumentum* proprie constituit.

In quo evolvendo, duo maxime nobis praestanda sunt: Primum nempe hujusce consensus veritatem adstruere; exinde vero, quaenam et quanta illius sit vis atque auctoritas, declarare.

105. Quod itaque ad primum attinet, haud sane aliunde, - nam de facto agitur -, quam ab traditione, monumentis et historia probationes erui possunt. Atqui certissime ex his constat, nullam unquam, inter antiquiores, gentem exstitisse, quae Dei notione omnino destitueretur. Hebraei namque, Chaldaei, Aegyptii, Indi, Persae, Arabes, Galli, Germani, Graeci, Romanique Numen aliquod omnes agnovere; quemadmodum, - praeter traditiones

(1) « Omnis, ait Plato, humanae societatis fundamentum convellit, qui religionem convellit » (*De legibus*). Cui omnino consentit Vicus, summae equidem auctoritatis vir. Cujus, *De uno universi juris principio*, liber hac memoratu dignissima sententia explicit: *Sine Deo in terris nullas leges, nullas respublicas, nullam societatem, sed solitudinem, feritatem et foeditatem et nefas esse.* Quod et ipse Volterius plane confirmat: « Telle est, inquit, la faiblesse du genre humain, et telle est sa perversité, qu'il vaut mieux sans doute pour lui d'être subjugué par toutes les superstitions possibles, pourvu qu'elles ne soient meurtrières, que de vivre sans religion.... Un athée qui serait raisonneur, violent et puissant, serait un fléau aussi funeste qu'un superstitieux sanguinaire.... Par-tout où il y a une société établie, une religion est nécessaire. Les lois veillent sur les crimes publics, et la religion sur les crimes secrets » (*Traité de la tolérance*).

et monumenta -, apertissime testantur qui horum populorum historias conscripserunt: Moses, Herodotus, Thucidides, Xenophon, Strabo, Diodorus Siculus, Dionysius Halicarnasseus, T. Livius, Caesar, C. Tacitus, aliique.

Historicis poëtas addimus, quorum princeps Homerus, cui coaevus, vel proximus saltem Hesiodus. Complures autem alios, cum graecos tum latinos, praetereo; ex quibus omnibus manifestissime infertur, communem quibusvis hominum generibus, quovis tempore et ubique terrarum Dei ideam fuisse (1).

106. Quanquam, nulla est causa, cur in hoc facto stabiliendo allaboremus: quandoquidem de eo vel ipsi plane consentiunt Religionis hostes infensissimi; inter quos Lucretius praesertim et Lucianus. Quorum alter hanc Epicuro, magistro suo, laudem tribuit, quod, - cum universum genus humanum saeva crudaque deorum tyrannide premeretur -, primus impavide neque illorum minis perterritus, insurgere eisque bellum indicere non

(1) Hac enimvero universali consensione adductus Cicero, - licet in affirmando consideratissimus, utpote sectae Academicae addictus -, haec aperte et asseveranter scribit: *Itaque ex tot generibus nullum est animal, praeter hominem, quod habeat notitiam aliquam Dei. Ipsisque in hominibus nulla gens est, neque tam mansueta, neque tam fera, quae non, etiamsi ignoret qualem habere Deum deceat, tamen habendum sciat.* (De legib.). Rursus autem in Tuscul. disputationibus: *Ut porro firmissimum hoc afferri videtur, cur deos esse credamus, quod nulla gens est tam fera, nemo omnium tam sit immanis, cujus mentem non imbuerit deorum opinio.* — Item Seneca expressa haec habet in Epist. CXVII: *Nec ulla gens usquam est, adeo extra leges moresque projecta, ut non aliquos deos credat.* — Nota demum est et pervulgata Plutarchi sententia; qui, adversus Colothen epicureum disputans: « Si terras obeas, inquit, invenire possis urbes muris, litteris, legibus, domibus, opibus, numismate carentes; gymnasiorum et theatrorum nescias. Urbem templis diisque carentem, quae precibus, jurejurando, oraculo non utatur, non bonorum causa sacrificet, non mala sacris avertere tentatur, nemo unquam vidit ».

dubitaverit (1). Alter vero, Lucianus, in dialogo, qui *Jupiter tragoedus* inscribitur, Timoclem (Religionis patronum) haec Damidi, adversario suo, opponentem inducit: « Igitur omnes homines et populi decepti sunt, qui deos esse putent ac celebrent ». Cui Damides respondens, hujusce quidem argumenti vim infirmare nititur, factum tamen ipsum haud negat, sed tamquam certissimum admittit.

107. Quod autem de veteribus populis diximus, et de recentioribus affirmare licet: nulla quippe gens cognita, nullus exploratus hominum coetus, nullaque tribus, utut inculta et agrestis, reperta est, quae notione Dei penitus careret; quemadmodum testimonio sunt narrationes viatorum, qui maxime fide sunt digni, quique terras vel insulas recens detectas ingenue ac sedulo inviserunt.

108. Hisce constitutis, ut ad alteram argumenti partem proficiscamur, maximi omnino ponderis ac momenti universalem hanc atque constantem hominum de Dei existentia consensionem esse manifestissime patet (2).

Profecto, quis totum genus humanum in judicium arcessere, eique reclamare ausus fuerit? « Hic procul dubio, inquit Aristoteles, ridiculae temeri-

(1) Humana ante oculos foede cum vita jaceret
In terris oppressa gravi sub Religione,
Quae caput a coeli regionibus ostendebat,
Horribili super aspectu mortalibus instans;
Primum Grajus homo mortaleis tollere contra
Est oculos ausus, primusque obsistere contra;
Quem nec fama Deûm, nec fulmina, nec minitanti
Murmure compressit Coelum, sed etc. (*De rerum natura*, lib. I).

(2) *De quo*, ait Tullius, *omnium natura consentit, id verum esse necesse est* (De nat. deor.); et alio loco: *Omni in re consensio omnium gentium lex naturae putanda est* (Tuscul. disp.). Similiter Seneca, paullo ante memorata Epist. CXVII: *Multum dare solemus praesumptioni omnium hominum. Apud nos veritatis argumentum est aliquid omnibus videri. Tamquam deos esse sic colligimus, quod omnibus de diis opinio insita sit.*

tatis atque insignis pervicaciae notam haud posset effugere ». Et merito: nam « veritas una est, ut ipse scepticus Humius animadvertit, multiplex contra error; quisque autem suis urgetur ». Ubi itaque, inter tot tamque secum dissidentes hominum opiniones, aliqua omnibus communis deprehendatur, nae hanc ea certitudine pollere atque fulciri putandum est, qua nulla major excogitari possit.

109. Quod si ejusmodi de Dei existentia persuasio quoddam humanae mentis praejudicium (ut impii effutiunt) ac figmentum esset, nec certe tam stabilis permaneret, nec confirmaretur diuturnitate temporis, nec una cum saeculis aetatibusque inveterare potuisset (1).

Quod equidem de hac persuasione omnino dicendum est; quae tot jam saeculorum aetates sustinuit, quin vel paullulum imminui ac deteri visa sit. Quo imo scientiae sunt magis excultae, eo magis illa inter homines invaluit; quo quispiam in naturae studio majores fecit progressus, eo acrius eam defendit (2). Hinc enimvero, siquis uspiam est atheus, hic fortasse inter stupidos et agrestes homines omnique cultu atque humanitate carentes, vel potius in epicureorum grege reperiri poterit; ast Galenum, Cartesium, Keplerum, Galileum, Neutonum, Boe-

(1) *Etenim videmus*, inquit Cicero, *caeteras opiniones fictas atque vanas diuturnitate extabuisse.... Opinionum enim commenta delet dies, naturae judicia confirmat* (De nat. deor.). Et Seneca: *Veritatis una vis, una facies est.... Nunquam autem falsis constantia est: variantur et dissident* (Epist. CII).

(2) Optime ad rem nostram I. Herschelius, clarus astronomus, magni astronomi filius: « Più s'allarga il campo della scienza, e più le dimostrazioni dell'esistenza eterna d'una intelligenza creatrice e onnipotente divengon numerose e irrecusabili. Geologi, matematici, astronomi, naturalisti, tutti hanno recato la loro pietra a questo gran tempio della scienza, tempio innalzato a Dio medesimo » (*Discorso* ecc.).

rhaavium, Linnaeum, Hallerum, Leibnitium, Buffonum, Eulerum, Franklinium, Herschelium, Cuvierum, Amperium, Cauchyum, Dumasium, Liebigum, aliosque summos viros, in naturae investigatione sollertissimos, quis, amabo, in atheorum numerum referre ausus fuerit? Quî autem his, quos modo memorari, homunciones quosdam conferre fas erit, qui scientiae cultores videri potius, quam revera esse, volunt; quique se putant esse rem, quum se atheos et materialistas jactant?

110. Abs re non erit hic animadvertere, morale, quod exposuimus, existentiae Dei argumentum, idem omnino atque illud esse, quo animae humanae immortalitatem demonstravimus (n. 59). Namque: « Altera, post hanc, vita »; et, « Supremi Numinis existentia », binae veritates sunt, quae ab se invicem dissociari nequeunt; quaeque una simul totius Religionis fundamentum constituunt (1).

111. Gravissima profecto et valide firmata haec sunt; adversariis tamen nostris nequaquam probantur. Qui primum opinionem de Dei existentia universalem esse negant; atque complures aetate omni atheos, quin solidas etiam et integras nationes sine religione fuisse, vel nunc quoque esse, contendunt.

Resp. Siqui aperte a communi hominum opinione dissenserunt, paucissimi et, reliquo humano generi comparati, ferme nulli hi fuisse videntur; iique ut plurimum flagitiosissimi, qui optarent potius,

(1) Quod eleganter, more suo, sic Polignacus in *Antilucretio* expressit:

> Quapropter geminis fundatur nostra columnis
> Relligio . . . .
> Esse Deum auctorem rerum, justique tenacem;
> Esse animos nullo perituros temporis aevo.

quam vere nullum esse Deum crederent. Jamporro ad opinionem, omnium consensione confirmatam, labefactandam, a paucis nulliusque ponderis hominibus argumentum duci nequit. Quod vero ad solidas nationes pertinet, haud sane cuique, atheismi notam iis infligenti, fides statim adjungenda est; siquidem non defuerunt, qui populos a se male vexatos rebusque suis spoliatos, eos exinde per nefas calumniantes, tamquam ab omni humanitate et religione alienos exhiberent, ne in se bonorum omnium indignationem converterent. Constat praeterea, nonnullos, - vel ob linguae ignorationem qua populi illi uterentur, vel ob exiguissimam eorumdem culturam, vel quod publica templa et solemnes caeremonias, in colendo Deo ab illis adhibitas, non deprehenderent, nullam apud ipsos religionem vigere, leviter ac falso collegisse. Postremo animadvertimus, aliquos etiam de industria fortasse hujusmodi fabulas narrationibus suis inseruisse, quo rei insolentia majorem apud imperitos et rerum novarum studiosos, uti plerique sunt, libellis suis existimationem conciliarent. Quocirca merito populos quosdam ab atheismi accusatione postmodum vindicarunt viatores gravissimi, qui, prima impietatis fronte minime decepti, diutius apud illos commorantes, eorum ritus, mores et instituta, ut honestis hominibus par erat, attente atque simpliciter investigarunt.

Caeterum, si aliqua forte gens fuit vel est, quae omni prorsus Dei notitia careat, hanc profecto miseram adeo et abjectam esse oportet, ut in ea vix aliqua intelligentiae signa deprehendi possint. « Videsis, ait anglus scriptor, utrum aliquis sine religione sit populus; si revera est, parum belluis

absimilem illum habeto. » Atqui ad homines, nequaquam vero ad belluas nos provocamus (1).

112. At perfracte insistunt athei atque reponunt, multas, easque inter se diversas et nonnunquam etiam ridiculas, de Deo sententias in hominibus vigere; uti apud Ciceronem praesertim (*De natura deorum*) videre est. Quid est igitur, quod universalis et unanimus, de supremi Numinis existentia, eorumdem consensus tantopere jactatur?

Ad haec jamdiu et Tullius ipse respondit, eaque inconsulto blaterantes paucis confecit: *Multi*, inquit, *de diis prava sentiunt: id enim vitioso more effici solet; omnes tamen esse vim et naturam divinam arbitrantur* (Tuscul. disp.). Expressius autem et ad unguem, in sua *Physica*, Gassendus; cujus locum placet integrum referre: *Siquidem*, ait vir doctissimus, *quod variae de Deo opiniones fuerint et sint, hoc arguit plerumque et intervenisse et intervenire hominum commenta; at quod omnes interim, quicumque de Deo varia sentiunt, in eo consenserint quod Deus sit, ipsa opinio quod Deus sit, naturae judicium declaratur. Idem nempe est ac si requiratur, sit ne sol in mundo, an non. Quippe quantumvis variae fuerint ac sint de sole opiniones, dum aliqui faciunt lapidem ardentem,*

(1) Ad rem eximie, uti semper, Degerandus : « Que sert d'aller laborieusement explorer si, dans quelque coin du globe, se trouve encore une peuplade ignorée, qui, dans l'abrutissement auquel la condamne la privation des premières nécessités de la vie, n'a encore que des notions plus ou moins confuses du suprême bienfaiteur et du culte qui lui est dû? Et quelle est donc l'importance qu'on attache à ces vagues récits des voyageurs? Oui, les idées religieuses croissent et se développent avec la civilisation, parce qu'elles ne peuvent germer que dans les moeurs, et c'est là ce qui prouve leur affinité avec le sentiment moral. Elles acquièrent d'autant plus de grandeur et de vérité, que ce sentiment a plus de pureté et d'énergie. » (*Du perfectionnement moral*).

aliqui scapham lucis plenam... sexcentaque similia; cum in eo tamen omnes consentiant, quod sol sit, illa opinionum varietas solis existentiam non tollit etc. (1).

113. Huc athei adducti, alio se convertunt: ad alteram scilicet moralis argumenti partem impugnandam se accingunt. Ajunt enim, quaecumque sit et utcumque inter homines diffusa de Deo opinio, nil inde legitime de reali illius existentia colligi posse. Quandoquidem satis constat, unde opinio haec, seu potius praejudicium, ortum duxerit et penes homines invaluerit; tres nempe hujus potissimum sunt causae:

1ª *Principum* et *legumlatorum calliditas;* qui, ut facilius homines in officio continerent, Dei, qui omnia novit et occulta etiam scelera punit, opinionem imbuere optimum duxerunt. Quam sententiam sic refert Plato: « Deos, o beate vir, primum affirmant non natura, sed arte unice ac legibus constitutos » (*De legib.*).

2ª *Naturalium causarum ignoratio;* quemadmodum docet Lucretius:

.... propterea quod
Ignorantia causarum conferre Deorum
Cogit ad imperium res, et concedere regnum; et
Quorum operum causas nulla ratione videre
Possunt, haec fieri Divino numine rentur.

(1) « Que sert, prosequitur paullo ante citato loco Degerandus, d'accumuler tant de malheureux exemples de superstitions aveugles ou cruelles qui ont souillé le culte de la divinité sur la terre? L'homme ne pouvait-il pas y porter ses passions et ses erreurs? En l'adoptant, ne pouvait-il pas le corrompre? Ce n'est plus le culte de la divinité; c'est le produit adultère de nos propres vices; c'est la profanation, et rien ne prouve mieux combien la pureté du cœur et l'innocence de la vie sont une préparation naturelle aux véritables sentimens religieux ».

3ª *Metus;* uti fert pervulgatissimum illud, quod Petronio tribuitur:

> Primus in orbe deos fecit timor, ardua coelo
> Fulmina cum caderent.

Resp. ad 1ᵐ. Si Dei opinio est politicorum et principum inventum, ostendant adversarii nostri quo id tempore, et quorum praesertim opera contigerit: quae profecto inquisitio, quum de factis agatur, praepostera dicenda non est. Legibus autem et institutis opinionem de Deo introductam non fuisse, ex eo patet, quod apud humaniores non solum et excultas, sed etiam apud barbaras nationes haec vigeat. Quomodo autem hujusmodi fabula per tot saecula perdurare, et tam late propagari potuit? Caeteras namque opiniones, fictas atque vanas videmus diuturnitate extabuisse; haec stabilis permansit, et cum saeculis aetatibusque inveteravit. Praeterea, qui factum est, ut talis fraus et mendacium non rudes tantum et imperitos, sed doctissimos quoque omnium temporum atque sapientissimos arbitrio suo subjecerit (1)?

Quod si legumlatores et politici, ad cives in officio retinendos et a sceleribus deterrendos, religione usi sunt, id nihil atheis prodest: ita quippe agere debuerunt, ubi naturalis hominibus sit Dei cognitio.

Ad 2ᵐ. Si soli causarum naturalium ignorationi

(1) Acute Lactantius: *Si fallendi nostri, atque adeo totius generis humani causa commenti sunt religionem, quae tanta felicitas mentiendi, ut non tantummodo indoctos, sed Platonem quoque ac Socratem fallerent; et Pythagoram, Zenonem, Aristotelem, magnarum sectarum principes, tam facile deluderent?* (De ira Dei).

supremi Numinis idea adscribenda esset, jam sequeretur, illa sublata vel imminuta, hanc quoque auferri aut saltem minui debere. Atqui, e contrario, quo magis in causarum, seu melius, legum naturalium cognitione progrediuntur homines atque naturae arcana reserantur, eo majora illis et graviora existentiae Dei patefiunt argumenta, uti supra dictum est (n. 109). Hinc vel ipsi adversarii nostri, cum gentes aliquas sine Deo esse autumant, nonnisi silvestres quasdam omnique doctrina et civili cultu carentes in medium adducunt.

Ad 3ᵐ, quaerimus, utrum metus, de quo agitur, in omnium omnino animos aeque invaserit; an aliqui tantum eo fuerint perculsi? Si primum, - cum timor communis omnibus, in ipsa natura omnibus communi fundamentum habeat -, judicium quoque ac persuasio inde genita, ex communi naturae sensu proficiscitur, proindeque vera est; si alterum: qui, quaeso, factum est ut pauci meticulosi aliis, magna animi fortitudine praeditis, inanem fabulam persuaderent? Quomodo commentum, hac ratione confectum, per totum orbem diffundi, et constantissime ab omnibus teneri potuit; etiam cum nulla amplius, vel levis timendi causa fuit? Postremo, si Dei notio a metu fuisset profecta, nonnisi rem quamdam formidolosam et truculentam, sibique infensam cogitatione fingerent homines. Atqui contrarium plerumque sibi persuadent; Deum siquidem naturam putant amabilem, bene de hominum genere meritam, cultuque nostro dignissimam; quo fit, ut *Deus*, una voce, *Optimus*, *Maximus* appellari consueverit.

Quare Deum potius sustulit timor, quam fecit; quemadmodum vel athei ipsi plane confiten-

tur (1). Verissime namque ait S. Augustinus: *Nemo Deum negat, nisi cui expedit Deum non esse* (2). Boni contra et religiosi viri Deum quidem submissi verentur; at una simul utpote summe bonum atque humani generis amantissimum diligunt, in eoque spem omnem suam ac fiduciam ponunt (3).

---

(1) Inter quos, atheorum choripheus, Lucretius, perspicua haec habet:

Praeterea, cui non animus formidine Divûm
Contrahitur? cui non conrepunt membra pavore,
Fulminis horribili cum plaga torrida Tellus
Contremit, et magnum percurrunt Murmura coelum?
Non populi, Gentesque tremunt? Regesque superbi
Conripiunt Divûm perculsi membra timore,
Ne quod ob admissum foede, dictumve superbe
Poenarum grave sit solvendi tempus adactum?

Sed, ab hoc metu recreatus, ad Epicurum conversus, sic eum alloquitur:

Nam simul ac Ratio tua coepit vociferari,
Naturam rerum haud Divina mente coortam,
Diffugiunt animi terrores . . . .
. . . .
Et metus ille foras procul Acheruntis agendus
Funditus, humanam qui vitam turbat ab imo;
Omnia suffundens mortis nigrore, neque ullam
Esse voluptatem liquidam puramque relinquit.

Item Vellejus, apud Ciceronem (De nat. deor.): *Imposuistis*, ait, *in cervicibus nostris sempiternum dominum, quem dies et noctes timeremus. Quis enim non timeat omnia providentem, et cogitantem, et animadvertentem, et omnia ad se pertinere putantem, curiosum et plenum negotii Deum?* Mox tamen paullo gaudet, quod *his terroribus ab Epicuro soluti, et in libertatem vindicati, nec metuimus eos, quos intelligimus nec sibi fingere ullam molestiam, nec alteri quaerere; et pie sancteque colimus naturam excellentem atque praestantem.*

(2) Unde saluberrima Russoji admonitio: « Tenez toujours votre âme en état de désirer qu'il y ait un Dieu, et vous n'en douterez jamais » (*Émile*).

(3) « Anche presso i Gentili, inquit Rosminius, si sapea, Iddio non temersi che dai cattivi; e Darcillida, come narra Plutarco, mandato dagli Spartani ambasciadore a Pirro, che già, invasi i confini di Sparta, volea far prepotenza, gli diceva: Se tu se' Dio, non ti temiamo, non avendo tu ricevuta ingiuria alcuna da noi; e se uomo, niente sei più di noi » (*Apologetica*).

CAPUT III.

De Dei attributis.

114. Jam praecipua Dei attributa, quum de illius essentia et existentia sermo esset, passim commemoravimus; neque secus profecto fieri poterat: Dei namque attributa ab ejus essentia dissociari nequeunt; nec *Deum* nominare licet, quin eo ipso *aeternum*, *infinitum*, *mundi conditorem*..... dicamus (1).

At singula nunc Dei attributa seorsum et ordinatim consideranda sunt, ut pleniorem illius notitiam nobis comparare et, prout homini hisce in terris datum est, *qualis* revera sit Deus, intelligere possimus.

115. *Attributa* Dei vocantur essentiales illius proprietates ac dotes; seu propriae illi ab ejusque essentia inseparabiles qualitates (2).

Jamvero, ea ferme ratione, qua geometrae ex trianguli vel circuli definitione, omnes illorum proprietates eliciunt; ita, ex simplici Dei conceptu, - Entis nimirum absoluti et necessarii -, cuncta illius attributa eruere licet (V. *Logica*, n. 406).

116. Deus est Ens *a se;* idest in seipso, existentiae suae rationem necessario habet. Ergo est:

1° *Aeternus*. Et revera, quum naturae suae necessitate existat, illumque non existere repugnet,

---

(1) Unde illud Galli poëtae:

L'Éternel est son nom, le monde est son ouvrage.

(2) Sed hic recolere opus est, quae jam alias hac de re cum Cartesio animadvertimus (*Logica*, n. 62): in Deo nempe *attributa* quidem, nequaquam vero *qualitates* aut modos proprie inesse.

sequitur semper extitisse, semperque extiturum esse: nempe esse aeternum. Quanquam improprie, Deum semper fuisse et semper futurum esse dicimus: in eo siquidem nulla, uti in creaturis, est successio; sed vere, proprie ac simpliciter Deus *esse* dicendus est; vel, quemadmodum ait S. Thomas, est *actus immanens* (1). Quare *aeternitas* praeclare a Boëtio definitur *interminabilis vitae tota simul et perfecta possessio* (De consolat. philosophiae).

2° *Independens:* in se enim solo rationem habet suae existentiae. A nulla igitur pendet re; quin omnia potius ab eo pendent, in quo sufficiens et adaequata est ratio cur sint.

3° *Immutabilis.* Quod namque necessarium est, aliter esse nequit; necessario itaque est id quod est, ergo immutabile (2).

4° *Infinitus* et *immensus.* Nam omne finitum et limitibus circumscriptum, augeri vel minui, proindeque mutari potest.

5° *Perfectissimus.* Nulla quippe illi enti deesse potest perfectio, quod, quum a se ipso existat, plenitudinem entis necessario et essentialiter com-

(1) « O veritas, exclamat S. Augustinus, quae vere es! Nam in omnibus actionibus et motibus nostris, et in omni prorsus agitatione creaturae duo tempora invenio, praeteritum et futurum. Praesens quaero, nihil stat: quod dixi, jam non est; quod dicturus sum, nondum est. Quod feci, jam non est; quod facturus sum, nondum est. Quod vixi, jam non est; quod victurus sum, nondum est. Praeteritum et futurum invenio in omni motu rerum: in veritate quae manet, praeteritum et futurum non invenio, sed solum praesens, et hoc incorruptibiliter, quod in creatura non est » (*Tract. in Joan. evangel.*).

(2) *Id enim*, inquit S. Augustinus, *vere est, quod incommutabiliter manet* (Confess.). Et rursum: *Nam sicut omnino tu es, tu scis solus, qui es incommutabiliter, et vis incommutabiliter. Et essentia tua scit et vult incommutabiliter, et scientia tua est et vult incommutabiliter, et voluntas tua est et scit incommutabiliter.*

plectitur, neque ullis potest finibus ac limitibus circumscribi (1).

6° *Simplicissimus:* quidquid enim ex partibus concretum est, in *partibus* ipsis imperfectionem; proindeque *totius* limitationem ac dependentiam arguit. Praeterquamquod, - quum partes hujuscemodi sese mutuo coërceant, atque, respectu ad totum, certis limitibus definiantur -, fit, ut totum ipsum quaquaversus infinitum esse nequeat. Ergo Deus est simplicissimus. Incorporea insuper et simplicissima Dei natura iisdem ferme argumentis evinci potest, quibus in *Psychologia* animam humanam immaterialem esse demonstravimus: ex infinita videlicet ejus intelligentia, de qua mox paulo dicemus (2).

Deus itaque est natura, partium expers, neque ex rebus diversis concreta aut conflata. *Dii non continentur venis, et nervis, et ossibus:* ait Cic. *(De nat. deor.)*. Ergo non implet spatium, neque dirimi ac in partes distrahi potest; non habet magnitudinem et figuram, ut impie atque insipienter effutiunt *Anthropomorphitae.*

(1) Duo tamen divinarum perfectionum genera distinguenda sunt: aliae nimirum sunt simplices, aliae mixtae. Perfectiones *simplices* illae dicuntur, in quarum conceptu nullus est defectus, quaeque majori perfectioni haud opponuntur: uti *sapientia*, *bonitas* etc. *Mixtae* vero sunt illae, quae in conceptu suo defectum aliquem comprehendunt, vel majorem ab subjecto, in quo insunt, perfectionem excludunt: hujusmodi est *ratiocinium* (quod ignorantiam arguit), *memoria* (quae ideas latentes supponit) et similia. Jamvero perfectiones simplices de Deo *formaliter* sive directe praedicari solent; mixtae autem nonnisi *eminenter* seu virtualiter in Deo esse dicuntur: quatenus nempe Deus perfectiones hujuscemodi in creaturis gignit, in eoque attributum inest, quod eas quam longissime vel potius immensum exsuperat. Sic, pro humana ratiocinatione, in Deo est *omniscientia*.

(2) *Nec vero*, ad rem Cicero, *Deus ipse qui intelligitur a nobis, alio modo intelligi potest, nisi mens soluta quaedam et libera, segregata ab omni concretione mortali* (Tusc. disp.).

sequitur semper extitisse, semperque extiturum esse: nempe esse aeternum. Quanquam improprie, Deum semper fuisse et semper futurum esse dicimus: in eo siquidem nulla, uti in creaturis, est successio; sed vere, proprie ac simpliciter Deus *esse* dicendus est; vel, quemadmodum ait S. Thomas, est *actus immanens* (1). Quare *aeternitas* praeclare a Boëtio definitur *interminabilis vitae tota simul et perfecta possessio* (De consolat. philosophiae).

2° *Independens:* in se enim solo rationem habet suae existentiae. A nulla igitur pendet re; quin omnia potius ab eo pendent, in quo sufficiens et adaequata est ratio cur sint.

3° *Immutabilis.* Quod namque necessarium est, aliter esse nequit; necessario itaque est id quod est, ergo immutabile (2).

4° *Infinitus* et *immensus.* Nam omne finitum et limitibus circumscriptum, augeri vel minui, proindeque mutari potest.

5° *Perfectissimus.* Nulla quippe illi enti deesse potest perfectio, quod, quum a se ipso existat, plenitudinem entis necessario et essentialiter com-

---

(1) « O veritas, exclamat S. Augustinus, quae vere es! Nam in omnibus actionibus et motibus nostris, et in omni prorsus agitatione creaturae duo tempora invenio, praeteritum et futurum. Praesens quaero, nihil stat: quod dixi, jam non est; quod dicturus sum, nondum est. Quod feci, jam non est; quod facturus sum, nondum est. Quod vixi, jam non est; quod victurus sum, nondum est. Praeteritum et futurum invenio in omni motu rerum: in veritate quae manet, praeteritum et futurum non invenio, sed solum praesens, et hoc incorruptibiliter, quod in creatura non est » (*Tract. in Joan. evangel.*).

(2) *Id enim*, inquit S. Augustinus, *vere est, quod incommutabiliter manet* (Confess.). Et rursum: *Nam sicut omnino tu es, tu scis solus, qui es incommutabiliter, et vis incommutabiliter. Et essentia tua scit et vult incommutabiliter, et scientia tua est et vult incommutabiliter, et voluntas tua est et scit incommutabiliter.*

plectitur, neque ullis potest finibus ac limitibus circumscribi (1).

6° *Simplicissimus:* quidquid enim ex partibus concretum est, in *partibus* ipsis imperfectionem; proindeque *totius* limitationem ac dependentiam arguit. Praeterquamquod, - quum partes hujuscemodi sese mutuo coërceant, atque, respectu ad totum, certis limitibus definiantur -, fit, ut totum ipsum quaquaversus infinitum esse nequeat. Ergo Deus est simplicissimus. Incorporea insuper et simplicissima Dei natura iisdem ferme argumentis evinci potest, quibus in *Psychologia* animam humanam immaterialem esse demonstravimus: ex infinita videlicet ejus intelligentia, de qua mox paulo dicemus (2).

Deus itaque est natura, partium expers, neque ex rebus diversis concreta aut conflata. *Dii non continentur venis, et nervis, et ossibus:* ait Cic. (*De nat. deor.*). Ergo non implet spatium, neque dirimi ac in partes distrahi potest; non habet magnitudinem et figuram, ut impie atque insipienter effutiunt *Anthropomorphitae.*

---

(1) Duo tamen divinarum perfectionum genera distinguenda sunt: aliae nimirum sunt simplices, aliae mixtae. Perfectiones *simplices* illae dicuntur, in quarum conceptu nullus est defectus, quaeque majori perfectioni haud opponuntur: uti *sapientia*, *bonitas* etc. *Mixtae* vero sunt illae, quae in conceptu suo defectum aliquem comprehendunt, vel majorem ab subjecto, in quo insunt, perfectionem excludunt: hujusmodi est *ratiocinium* (quod ignorantiam arguit), *memoria* (quae ideas latentes supponit) et similia. Jamvero perfectiones simplices de Deo *formaliter* sive directe praedicari solent; mixtae autem nonnisi *eminenter* seu virtualiter in Deo esse dicuntur: quatenus nempe Deus perfectiones hujuscemodi in creaturis gignit, in eoque attributum inest, quod eas quam longissime vel potius immensum exsuperat. Sic, pro humana ratiocinatione, in Deo est *omniscientia*.

(2) *Nec vero*, ad rem Cicero, *Deus ipse qui intelligitur a nobis, alio modo intelligi potest, nisi mens soluta quaedam et libera, segregata ab omni concretione mortali* (Tusc. disp.).

7° *Unus* est Deus: Ens namque infinitum et perfectissimum necessario est unum. Profecto, quum enti infinito nil deesse possit, si plura essent infinita (venia sit dicto) eorum unumquodque, - saltem quod ad perfectionum extensionem -, illis deficeretur, quae ad alia pertinerent, nec proinde infinitum esset (1). Deus itaque est unus.

Ad haec, mirus adeo in mundo elucet ordo, tanta legum harmonia atque consilii unitas, ut omnino repugnet, plures mundi ordinatores esse (2).

117. De hac consilii unitate, quae in creatis rebus manifesta undique apparet, jam nonnulla superius disputavimus (n. 92...). Quibus haec potissimum adjungi possunt: 1° Plane admiranda, quae inter corpoream animantium structuram eorumque instinctus, et leges physicas necnon terrae regiones in quibus vitam haec transigunt, inest relatio. 2° Relationes itidem, quae inter animantia et vegetabilia quaedam intercedunt; vel quae inter multiplices naturae operationes, - in regnis, cum animali tum vegetali -, deprehenduntur; vel demum, quae inter varias animantium species existunt. 3° Vinculum, quo hominis natura et creatae res ceterae inter se quodammodo cohaerent: intellectuales illius facultates, ex. gr., et rerum dispositio legesque universales quibus

(1) Apte Fenelonus: « Il ne peut pas y avoir deux infinis; car les deux, mis ensemble, seraient sans doute plus grands que chacun d'eux pris séparément, par conséquent ni l'un ni l'autre ne serait véritablement infini » (*Lettres sur la métaphysique*).

(2) Ita nimirum, contra Celsum, argumentatur Origenes. *Quanto praestabilius est*, inquit, *ea credere, quae perfecta mundi hujus harmonia credere nos jubet, unumque mundi hujus, qui unus est, Fabricatorem venerari! Fieri enim omnino nequit, ut tale opus, cujus partes tam apte inter se cohaerent et concinunt, ortum suum multis architectis debeat: quemadmodum incredibile est, ut coeli motus a multis animis dirigantur.*

mundus regitur; appetitus physicaeque necessitates, et, quae circumstant, objecta.

118. Neque minus profecto hunc consilii consensum et unitatem palam facit ac prodit mundus internus seu moralis: dulcissimi praesertim, - cum benevolentiae, tum amicitiae et existimationis -, quibus invicem homines devinciuntur, nexus; et vehemens, quo hi naturaliter flagrant, societatis desiderium (de quo fusius in *Ethica* dicemus): unde fit, ut alteri alter auxilio sit atque praesidio, necnon opportuno ad suae naturae perfectionem vitaeque felicitatem consequendam adjumento.

119. Quamobrem *politheismum*, utpote absurdissimum et a communi sensu abhorrentem, omnino expungimus. Politheistae porro (a christianis scriptoribus *ethnici* seu gentiles) generatim vocantur, qui plures agnoscunt et fatentur deos, qui mundo praesint resque humanas pro se quisque et arbitrio suo administrent.

Quanquam, si rem penitius inspicimus, unum et ipsi omnium supremum Deum profitentur: nonnisi unum videlicet venerantur Ens, omnimoda perfectione praeditum, independens, rerum hominumque dominum, et cujus imperio minores quoque dii subjiciuntur et parent (1). Eadem quippe naturae vox quae Deum esse clamat, *unius* Dei opinionem insinuare videtur (2). Verisimile etiam

(1) Jovem siquidem *Patrem divumque hominumque* appellat Ennius. *Ipsum enim*, subdit S. Augustinus, *deorum omnium dearumque regem esse voluerunt* (De civ. Dei). Quo illud spectat Aristotelis effatum: « Omnes dicunt, deos sub rege vivere » (*Politic.*).

(2) *Cum jurant*, inquit Lactantius, *et cum optant, et cum gratias agunt, non Jovem, aut deos multos, sed Deum nominant: adeo ipsa veritas, cogente natura, etiam ab invitis pectoribus erumpit.* Item Tertullianus:

est, ethnicos, deorum nomine, - veluti totidem symbolis -, diversa et singula supremi Numinis attributa; vel, si mavis, naturas quasdam, - quae hominibus quidem praestant, sed, summo Deo minores, tamquam illius mandatorum executores et administri, ei famulantur -, exprimere voluisse (1).

120. Quod autem de politheismo, et de *dualismo* dicendum est: quo nomine, illorum doctrinam, vel potius commentum, intelligimus, qui *duo* rerum *principia*, aeterna, necessaria et a se existentia admittunt; quorum alterum essentiâ et naturâ suâ *bonum*, alterum vero *malum* est; illud proinde bonorum omnium, hoc autem malorum, quae in mundo sunt, auctor et causa: siquidem sub uno Deo, tot bonorum malorumque hisce in terris mixturam impossibilem esse arbitrantur (2).

Quae anima, licet carcere corporis pressa, licet institutionibus pravis circumscripta, licet libidinibus et concupiscentiis evigorata, licet falsis diis exancillata; cum tamen resipiscit vel ex crapula, vel ex aliqua valetudine, Deum nominat, hoc solo, quia proprie verus hic unus Deus, bonus et magnus. Et quod Deus dederit, omnium vox est. Judicem quoque contestatur illum. Deus videt, et Deo commendo..... O testimonium animae naturaliter christianae! (Apolog.).

(1) Quam quidem sententiam eleganter sic refert Prudentius in *Apotheosi*:

Ecquis in idolio recubans inter sacra, mille
Ridiculosque deos venerans sale, cespite, thure,
Non putat esse Deum summum et super omnia solum?
Quamvis Saturnis, Junonibus et Cytheraeis,
Portentisque aliis fumantes consecret aras;
Attamen in coelo quoties suspexit, in uno
Constituit jus omne Deo, cui serviat ingens
Virtutum ratio variis instructa ministris.

(2) Bina haec Principia, *Oromazes* et *Arimanes* a Persis; ab Aegyptiis *Osirides* et *Typho* olim appellabantur; generatim autem apud veteres, ejusmodi erant *Deus* et *materia*. In dualistarum tandem numerum referri debent *Manichaei*, quorum sectae primum addictus S. Augustinus, iis exinde, ad bonam frugem rediens, acerrimum bellum indixit. Ad hos porro in *Confessionibus* suis respicit; ubi, Deum alloquens: *Sunt quidam*, ait, *quibus displicent opera tua, et multa eorum dicunt te*

Praeterquamquod enim absurdum est, uti jam supra diximus, plura esse entia suprema et infinita (1), ordo, harmonia et consilii *unitas*, quae undique versum demirandam se praebet, dualistarum doctrinam penitus convellit (2). Quare vel ipse scepticus Humius dualismum repulit, «quod cum phaenomenis naturalibus manifestissime pugnet».

Ceterum hoc dilemmate constringi ac subigi possunt dualistae: Vel duobus, quae ipsi ponunt, coaeternis Principiis par est vis et potentia, vel impar. Si primum, - quum vires, uti docent mechanici, aequales et oppositae sese librent ac mutuo conficiant -, nil inde nec bonum nec malum consequeretur. Si alterum, nonnisi bona vel mala esse oporteret in mundo, prout Principiorum alterutrum viribus praevalens esset sibique adversarium subigeret (3).

121. Quae hactenus exposuimus Dei attributa, *metaphysica* appellari consueverunt. Eadem porro via incedentes, attributa illius, cum *intellectualia*

---

fecisse necessitate compulsum... Alia vero nec fecisse te nec omnino compegisse... sed ostilem mentem naturamque aliam, non abs te conditam, tibique contrariam..... Insani dicunt haec.

(1) Quod et Baylius ipse plane perspexit: «Les idées, inquit, les plus sûres et les plus claires de l'ordre nous apprennent, qu'un être qui existe par lui-même, qui est nécessaire, qui est éternel, doit être unique, infini, tout-puissant, et doué de toutes sortes de perfections» («Dictionnaire», art. *Manichéens*).

(2) «Les cieux, ait Baylius citato loco, et tout le reste de l'univers prêchent la gloire, la puissance, l'unité de Dieu».

(3) Novi equidem, Petrum Baylium, ad paradoxata projectissimum, ut hujusce dilemmatis vim eluderet, hoc fuisse commentum: duos scilicet sibi adversos deos de pace quondam inter se hac conditione convenisse, ut eorum quisque arbitratu proprio ac libere negotium suum ageret, quin ab altero molestia afficeretur. At, bona Baylii pace, - Principium, essentiâ et naturâ suâ bonum, quod malum libens perfert ac patitur; vicissim autem, Principium naturaliter malum, quod in bonum ultro consentit -, quis unquam adprobet? Quid hoc, amabo, magis absonum et absurdum excogitari potest?

tum *moralia*, ex conceptu *Entis perfectissimi* facile eruimus: in Deum videlicet animi nostri perfectiones simpliciter transferendo, limitibus tamen ac terminis ab iis omnino detractis (V. n. 116, 5°) (1).

122. Et primum, intelligentia est quaedam hominis perfectio; ergo Deus est *intelligens* (2). Sed Deus est infinitus; ergo infinita quoque illius intelligentia esse debet (3): cuncta nimirum, nedum praeterita et praesentia, futura etiam novit (4); seu rectius, omnia omnino quae sunt, quae fuerint aut futura sint, uno et simplici intuitu immutabiliter complectitur ac videt (V. n. 116, 1°); vel, quemadmodum ait poëta: *Quidquid tempora volvunt, — Praesens semper habet*. Paucis: Deus est *sapientissimus* (5).

---

(1) « Les perfections de Dieu, ait Leibnitius, sont celles de nos âmes, mais il les possède sans bornes.... Sa bonté et sa justice, aussi bien que sa sagesse, ne diffèrent des nôtres que parce qu'elles sont infiniment plus parfaites » (*Théodicée*). Generatim autem, uti monet doctissimus Leibnitii interpres, Dutens, « via haec investigandi attri- « buta divina dicitur *eminentiae* et *perfectionis*, qua perfectiones in « entibus finitis obvias, liberamus limitibus, et Deo tribuimus, adeo- « que a perfectionibus finitis argumentamur ad perfectiones Dei in- « finitas ». Quare S. Thomas: *Deus*, inquit, *est infinitus. Unde etiam apparet, quod omnes perfectiones in quibuscumque rebus invenias, necesse est originaliter et superabundanter in Deo esse* (Opusc.).

(2) *Ostensum est*, citato loco scribit S. Thomas, *quod in ipso* (Deo) *praeexistunt omnes perfectiones quorumlibet entium superabundanter..... Igitur oportet Deum esse intelligentem.*

(3) Quod et Ciceroni probe fuit perspectum: *Cumque*, ait, *sit in nobis consilium, ratio, prudentia, necesse est, deos haec ipsa habere majora* (De nat. deor.).

(4) *Deus aeterne*, sic ad Deum Susanna, *qui absconditorum es cognitor, qui nostri omnia antequam fiant.....* (Prophet. Daniel.). Profecto, *confiteri Deum esse*, inquit S. Augustinus, *et negare praescium futurorum, apertissima insania est*. Hinc futuri praescitum, uti Tertullianus animadvertit, verus est et indubius divinitatis character: *Idoneum testimonium Divinitatis, veritas divinationis*. Quare Isaias propheta, ad quosdam conversus: *Annuntiate*, ait, *quae ventura sunt in futurum, et scimus quod dii estis.*

(5) Infinitam Dei sapientiam ex admirandis ejus operibus infert Cicero: *An*, inquit, *natura mentis et cogitationis expers haec efficere po-*

123. Quod vero ad attributa moralia spectat:

1° Hominis propria est voluntas; *voluntatem* igitur et in Deo, eamque infinitam, inesse opus est. Humanam porro voluntatem sequitur potentia; quae duo suos habent, - utut minime constantes et invariabiles -, proportionis commensus. At in Deo unum idemque sunt: *velle* est *posse*. Deus igitur, quidquid vult, potest efficere; nempe est *omnipotens*.

2° Deus est *bonus*; 3° est *justus*, et quidem infinite: haec namque attributa ad Ens perfectissimum necessario pertinent.

4° Homo libertate pollet; ergo et Deus est *liber*. At inter humanam et divinam libertatem hoc maxime interest, quod illa, finita et imperfecta: haec contra, perfecta et infinita est. Homo, libertatis suae vi, ad bonum vel ad malum inclinare potest; quod de Deo nefas est dicere: Deus etenim, utpote perfectissimus (V. n. 30), delinquere et peccare nequit (1).

---

tuit, quae non modo ut fierent ratione eguerunt, sed intelligi qualia sint, sine summa ratione non possunt? (De nat. deor.). Et iterum (De legibus): *Quid est enim verius, quam neminem esse oportere tam stulte arrogantem, ut in se rationem et mentem putet inesse, in coelo mundoque non putet? aut ea, quae vix summa ingenii ratione comprehendat, nulla ratione moveri putet?* Quae omnia paucis et magnifice ita exprimit Rex propheta: *Qui plantavit aurem non audiet? aut qui finxit oculum non considerat?*

(1) « L'avantage de la liberté qui est dans la créature, inquit Leibnitius, est sans doute éminemment en Dieu; mais cela se doit entendre autant qu'il est véritablement un avantage et autant qu'il ne présuppose point une imperfection; car de pouvoir se tromper et s'égarer est un désavantage, et d'avoir un empire sur les passions est un avantage, à la vérité, mais qui présuppose une imperfection, savoir la passion même, dont Dieu est incapable..... Dieu est incapable d'être indéterminé en quoi que se soit: il ne saurait ignorer, il ne saurait douter, il ne saurait suspendre son jugement; sa volonté est toujours arrêtée; et elle ne le saurait être que par le meilleur » (*Théodicée*).

5° Deus est *verax*. Veritas enim est « id quod est », seu *ens* (V. *Logica*, n. 212); ergo Ens necessarium et absolutum, Deus, est veritas ipsa realis atque subsistens. Sed bonus insuper et essentialiter sanctus est Deus; neminem igitur decipere aut in errorem inducere potest, idest summe verax est.

6° *Beatus*. Deus seipsum, utpote infinitum Verum atque infinitum Bonum cognoscit et amat. Ex hac porro cognitione et amore infinitum emanat gaudium: in quo vera beatitudo consistit. Deus ergo essentialiter et infinite beatus est (1). Non sibi tamen solum et in seipso beatus est Deus; verum rationalium etiam creaturarum, quippe ultimus illarum finis, *beatitudinem* constituit; quemadmodum jam alias innuimus (n. 54), et copiosius dicemus in *Ethica*.

124. Sed hic roget fortasse quispiam : Nonne, inter Dei attributa, *creatio* recenseri etiam debet? Sanepol , et quidem inter praecipua (V. n. 87); sicuti vel a teneris unguiculis didicimus. Quotidie namque, cum Deum precamur, utpote mundi Creatorem in primis illum profitemur: *Credo in Deum, Patrem omnipotentem*, *Creatorem coeli et terrae.* At valde cavendum, ne, cum Deum Creatorem dicimus, talem necessario et essentialiter esse intelligamus, - eadem ferme ratione, qua necessario aeternus et infinitus est - , adeo ut aliquid extra se non creare non possit: gravis quippe error hic

(1) Hinc S. Paulus, in *Epist.* 1.a ad Timotheum, sanam doctrinam commemorat: *Quae est*, inquit, *secundum evangelium gloriae beati Dei, quod creditum est mihi.* Et paullo post: *Quem suis temporibus ostendet beatus et solus potens, Rex regum, et Dominus dominantium ; qui solus habet immortalitatem, et lucem inhabitat inaccessibilem... cui honor et imperium sempiternum.*

esset, qui gravissimo alii et teterrimo proxime accedit, idest *pantheismo* (de quo mox in sequenti cap. agemus) ; qui Deum, mundi *Creatorem* cum mundo ipso *creato* confundit (1). Re enim vera, quum mundus existere vel non existere indifferenter possit, nihil in eo est, a quo Deus, ad illum a mero statu possibilitatis ad realis existentiae statum reducendum, sive creandum, determinetur. Deus itaque mundum voluntate sua ac liberrime creavit, quin eo vel minimum indigeret, vel inde aliquid ad utilitatem suam arriperet. Deus erat , proindeque sibi sufficiens, antequam quippiam crearet; et aeque foret Deus, etiamsi nil omnino creavisset (2).

(1) Inter recentiores, qui creationem *necessariam* professi sunt, memorari praesertim debet Cousinus. Qui de Deo sic loquitur : « Le Dieu de la conscience n'est pas un Dieu abstrait ; un roi solitaire relégué par-delà la création sur le trône désert d'une éternité silencieuse et d'une existence absolue qui ressemble au néant même de l'existence. C'est un Dieu à la fois vrai et réel, à la fois substance et cause, toujours substance et toujours cause, n'étant substance qu'en tant que cause, c'est-à-dire étant cause absolue, un et plusieurs, éternité et temps, espace et nombre, essence et vie, indivisibilité et totalité, principe, fin et milieu, au sommet de l'être et à son plus humble degré, infini et fini tout ensemble ».... Quam sententiam quum nonnulli, - inter nostrates potissimum Giobertius -, pantheismum Spinosianum haud indubie redolere merito animadvertissent; ut se sibi inustae pantheismi notae eximeret : « En vérité, indignans exclamat Gallus philosophus, je ne croyais pas avoir jamais à me défendre d'un pareil reproche.... Chose admirable! c'est de ce passage que l'on a conclu que mon système n'était que celui de Spinosa et des Eléates. Il n'y a qu'une petite difficulté à cela, c'est que précisément ce passage est dirigé contre toute spéculation métaphysique dans l'esprit de Spinosa et des Eléates..... La substance de Spinosa a des attributs plutôt que des effets. Dans le système de Spinosa, la création est impossible ; dans le mien, elle est nécessaire » (*Fragmens philos.*). At quid multis opus est? quandoquidem necessariam mundi creationem, - quidquid contra moveat ac moliatur Cousinus -, pantheismus inevitabiliter consequitur.

(2) *Quid ergo tibi deesset*, sic Deum alloquitur S. Augustinus, *ad bonum quod tu tibi es, etiam si ista vel omnino nulla essent, vel informia remanerent, quae non ex indigentia fecisti, sed ex plenitudine bonitatis tuae, cohibens atque convertens ad formam, non ut tamquam tuum gaudium compleatur ex eis?* (Confess.).

125. Quaerenti porro, cur Deus et quemnam ob finem, mundum creare constituerit, respondemus, finem hunc nonnisi Deum ipsum esse posse. Divinae siquidem operationis finis, Deo ipso dignus omnino esse debet; atqui nil hujusmodi absolute extra Deum est. Inde sequitur, Deum propter semetipsum tantummodo operari, juxta illud scholasticorum: *Universa propter semetipsum operatus est Dominus:* ut nempe naturae suae excellentiam suasque perfectiones manifestaret; in qua manifestatione, *externa*, ut ajunt, Dei *gloria* sita est.

126. At quum Deum, ad perfectiones suas manifestandas, mundum condidisse affirmamus, id profecto ita accipiendum non est, quasi nulla rerum ipsarum creatarum earumqne boni habenda sit ratio. Namque, uti Rosminius animadvertit, « la sola natura del bene ha in sè la ragion del diffondersi, e, per questo suo istinto diffusivo, Iddio dà sussistenza all'universo » (*Introduzione*, ecc.). Hic nihilominus nonnisi secundarius quidam ac veluti subjectus creationis est finis: ab bono quippe creaturarum, plena emergit atque emanat divinarum perfectionum manifestatio; qui, uti innuimus, directus ac praecipuus ipsius creationis finis dicendus est (1).

(1) Rem totam docte atque subtiliter ita explicat Rosminius: « *Iddio ama se stesso*, ossia: l'Essere assoluto nella sua forma subiettiva ama infinitamente se stesso inteso nella sua forma obiettiva: l'Essere ama infinitamente l'Essere. Quest'amore lo porta ad amar l'Essere in tutti i modi, ne' quali può essere amato. Per amarlo in tutti i modi egli l'ama non solo come Essere assoluto ed infinito, ma anche come Essere relativo e finito: quest'amore è l'atto creativo. Crea adunque a se stesso un oggetto finito amabile, per l'espansione dell'amore, e questo è il Mondo. Per crearlo deve: 1° *concepirlo*, sì perchè questo principio creativo è intelligenza, sì perchè non si può amare quello che non s'intende; 2° *realizzarlo*, perchè se non fosse realmente in sè, l'oggetto dell'amore non esisterebbe, ma solo sarebbe possibile, e

Mundum a Deo libere creatum fuisse animadvertimus. Sed creaturarum, quas mundus complexu suo continet, aliae intelligentes sunt, aliae vero intelligentia expertes. Hae autem postremae, - utpote quae Auctorem suum agnoscere et laudare, eique grates habere nequeunt -, tamquam media solummodo seu instrumenta considerari debent, quae ad entium rationalium, sive hominis, usus et utilitatem a Deo sunt condita (1): siquidem, homine e terris ablato, jam neque mineralium, neque vegetabilium, neque animantium existentia intelligi ullomodo posset; nulla proinde, cur ipsa tellus existat, esset ratio. Merito igitur rerum creatarum (terrestrium)

ciò che si ama, visto nella sua possibilità, si vuole che esista. Quindi i due elementi dell'*essenza* e del *reale* nati ad un parto e formanti gli enti mondiali » (*Teosofia*).

(1) Haud me latet, sententiam hanc a minutis quibusdam philosophis, - qui nil aliud in rerum natura, praeter materiam, vident, neque hominem a pecude distinguunt (V. n. 69) -, per jocum irrideri. Ast non ita sane, doctrina ac sapientia praestantiores, non christiani tantum, verum etiam ethnici; inter quos mihi Tullium praesertim commemorare gratissimum est semper. Qui, lib. 1° *De nat. deorum*, perspicua haec habet: « Sunt philosophi, et fuerunt, qui omnino nul- « lam habere censerent humanarum rerum procurationem deos.... « Sunt autem alii philosophi, et hi quidem magni atque nobiles, qui « deorum mente atque ratione omnem mundum administrari et regi « censeant: neque vero id solum, sed etiam ab iisdem vitae homi- « num consuli et provideri. Nam et fruges, et reliqua, quae terra pa- « riat, et tempestates, ac temporum varietates, coelique mutationes, « quibus omnia, quae terra gignat, maturata pubescant, a diis im- « mortalibus tribui generi humano putant ». Expressius autem lib. 2°; ubi, - de hominis excellentia mentione injecta, et quanto ejus natura omnes anteiret animantes: « Restat, inquit, ut doceam atque ali- « quando perorem, omnia, quae sint in hoc mundo, quibus utantur « homines, hominum causa facta esse et parata. Principio ipse mun- « dus hominum causa factus est; quaeque in eo sunt omnia, ea pa- « rata ad fructum hominum et inventa sunt..... Soli enim ratione uten- « tes, jure ac lege vivunt. Ut igitur Athenas et Lacedaemonem, « Atheniensium Lacedaemoniorumque causa putandum est conditas « esse; omniaque, quae sint in his urbibus, eorum populorum recte « esse dicuntur: sic quaecumque sunt in omni mundo, hominum « putanda sunt ».

princeps homo ducitur; quem solum propter seipsum, ad sui videlicet possessionem, Deus immediate creavit. Quisnam, peto, haec satis admirari queat (1)? Quem autem haec omnia non gratum esse cogant, *hunc hominem omnino*, ait Cicero, *numerare quî decet?*

127. Posita mundi creatione, jam illius cura et gubernatio necessario consequitur, seu *providentia*. Quod enimvero, inter attributa divina, praeclarissimum et praestantissimum habendum est; atque adeo cum Dei idea connexum eique proprium, ut pro ipso Deo, cum a philosophis tum in communi hominum sermone, vox *Providentia* usurpari consueverit. Quapropter Dei providentiam,

---

(1) Mirificum hunc divinae Providentiae ordinem scite et elegantissime, ut solet, sic effatur Bossuetus: « Toute cause intelligente se propose une fin de son ouvrage. Or, la fin de Dieu ne peut être que lui-même; et, comme il est souverainement abondant, il ne peut retirer aucun profit de l'action qu'il exerce, autre que la gloire qu'il a de faire du bien aux autres et de manifester l'excellence de sa nature; et cela parce qu'il est bien digne de sa grandeur de faire largesse de ses trésors, et que d'autres se ressentent de son abondance. Que s'il est vrai qu'il soit de la grandeur de Dieu de se répandre, sans doute son plus grand plaisir ne doit pas être de se communiquer aux créatures insensibles. Elles ne sont pas capables de reconnaître ses faveurs, ni de regarder la main de qui elles tirent leur perfection. Elles reçoivent, mais elles ne savent pas remercier. C'est pourquoi quand il leur donne, ce n'est pas tant à elles q'il veut donner qu'aux natures intelligentes à qui il les destine. Il n'y a que celles-ci à qui il ait donné l'adresse d'en savoir user. Elles seules en connaissent le prix; il n'y a qu'elles qui en puissent bénir l'auteur. Puis donc que Dieu n'a donné qu'aux natures intelligentes la puissance de s'en servir, sans doute ce n'est que pour elles qu'il les a faites..... Dieu donc a fait pour les créatures raisonnables les natures inférieures; et, quant aux créatures intelligentes, il les a destinées à la souveraine béatitude, qui regarde la possession du souverain bien; il les a faites immédiatement pour soi-même. Voilà donc l'ordre de la Providence divine, de faire les choses insensibles et privées de connaissance pour les intelligentes et raisonnables, et les raisonnables pour la possession de sa propre essence » (*Sermon pour la fête de tous les Saints*),

uti *Deistis* est mos (1), infitias ire, idem est ac Deum ipsum de medio tollere (2).

Absurdum quippe est, Deum, postquam mundum, libero voluntatis suae actu, e nihilo eduxit, hunc omnino dimittere et pro derelicto habere; ab ejus bonitate, sanctitate, justitia prorsus alienum, nullam rerum a se creatarum, et hominum praesertim, curam gerere (3).

Ne quis itaque admiretur, homines generatim

---

(1) Deistarum nomine minutos illos philosophos intelligimus, qui, uti ait Tullius, *omnino nullam habere censerent humanarum rerum pro-curationem deos.* Ad deistas etiam pertinent, tum qui mundum a Deo factum negant, sicuti Epicurei; tum qui fatalem rerum omnium necessitatem inducunt. Si enim mundus casu coaluit, etiam casu et fortuito illum regi necesse est; quod si fatum regnat, jam nullus providentiae locus esse potest. In horum tandem numero ducendus videtur Aristoteles; qui, S. Ambrosio innuente, *usque ad lunam descen-dere Dei providentiam, Deumque suis contentum finibus, regni modo degere*, opinabatur.

(2) Quare Lactantius, Epicureum urgens, ait: « Quid repugnantius « dici possit, non video; etenim, si est Deus, utique providens est « Deus; nec aliter ei potest Divinitas attribui, nisi et praeterita « teneat, et praesentia sciat, et futura prospiciat. Cum igitur Pro- « videntiam sustulit, etiam Deum negavit esse; cum autem Deum « esse persuasus est, et Providentiam simul esse concessit; alterum « enim sine altero nec esse prorsus, nec intelligi potest ». Id autem probe vidit et Cicero. Qui, Epicuri libro *De sanctitate* memorato: « Ludimur, *inquit*, ab homine non tam faceto, quam ad scribendi li- « centiam libero. Quae enim potest esse sanctitas, si dii humana non « curant?.... Verius est igitur nimirum illud, quod familiaris omnium « nostrum Possidonius disseruit in libro quinto de Natura deorum, « nullos esse deos Epicuro videri; quaeque is de diis immortalibus « dixerit, invidiae detestandae gratia dixisse. Neque enim tam desi- « piens fuisset, ut homunculi similem deum fingeret, lineamentis dun- « taxat extremis, non habitu solido; membris hominis praeditum « omnibus, usu membrorum ne minimo quidem; exilem quendam « atque perlucidum, nihil cuiquam tribuentem, nihil gratificantem, « omnino nihil curantem, nihil agentem. Quae natura primum nulla « esse potest: idque videns Epicurus, re tollit, oratione relinquit « deos. Deinde, si maxime talis est deus, ut nulla gratia, nulla ho- « minum caritate teneatur: valeat » (*De nat. deor.*).

(3) *Quis operatur*, apte animadvertit S. Ambrosius, *et negligat operis sui curam? Quis deserat et destituat quod ipse condendum putavit? Si injuria est regere, nonne major injuria est fecisse: cum aliquid non fecisse, nulla injustitia sit; non curare quod feceris, summa inclementia?* (De officiis).

omnes hac de re concordi animo assentiri; et *neminem esse inter barbaros*, ut Elianus animadvertit, *qui non et deos esse, et res humanas curare agnoverit*. Eadem quippe naturae vox, quae Deum esse praedicat, providentem conclamat. Quod satis declarant aedes sacrae, divinus cultus, praesertim vero preces, quibus Deum assidue oramus et obtestamur; quid est enim, quamobrem Deum precemur, si hunc nobis in precibus occurrere persuasissimum non esset (1)? si omnibus praesto esse ac singulis facilem se praebere, pro certo non haberemus (2)?

Haud equidem inficiamur, non raro homines, quum praesertim prospero fortunae flatu utuntur, - sibi unice, perinde ac sibi sufficiant, confisos -, Dei ipsius memoriam quodammodo abjicere: *Si qua tamen*, uti eloquenter scribit Lactantius, *gravior necessitas presserit, si belli terror infremuerit, si frugibus imbres coelum negaverit, si saeva tempestas, si fames, si pestis subito exstiterit; tum*

(1) *Sin autem dii*, inquit Cicero, *nec possunt nos juvare, nec volunt; nec omnino curant; nec, quid agamus, animadvertunt, nec est quod ab his ad hominum vitam permanare possit: quid est, quod ullos diis immortalibus cultus, honores, preces adhibeamus?* Et rursus: *Hominibus* (dii) *consulunt. Quod ni ita sit, quid veneramur, cur precamur deos? Cur sacris pontifices, cur auspiciis augures praesunt? Quid optamus a diis immortalibus? Quid vovemus?* (De nat. deor.).

(2) *Nempe singuli vovent*, ut idem ait Cicero; *audit igitur mens divina etiam de singulis*.

Huc etiam magnifica spectant carmina, quibus celeber Gallus poëta, Lamartinus, Dei laudes canit, atque *Meditationem* suam concludit:

Seul, invoquant ici son regard paternel,
Je remplis le désert du nom de l'Éternel;
Et celui qui du sein de sa gloire infinie,
Des sphères qu'il ordonne écoute l'harmonie,
Écoute aussi la voix de mon humble raison,
Qui contemple sa gloire et murmure en son nom.

(*Méditations poëtiques*, « La prière »).

demum ad Deum confugimus, tum opem exsposcimus.

128. Dei providentiam solidissimis, nostra quidem sententia, argumentis demonstravimus. Sed quod ratione evincitur, res ipsa plane ostendit: quocumque enim oculos et mentis attentionem convertimus, luculenta divinae providentiae vestigia conspicienda nobis ac demiranda se praebent.

Haec siquidem in ordine *physico* elucet, sive coelestia sive terrestria contemplemur: aptissimam scilicet rerum omnium dispositionem, varietatem, pulcritudinem, elegantiam, necnon mutuas illarum inter se relationes, ac sapientissimas leges, quibus constanter reguntur, - uti fuse superius dictum est (n. 92 et seq.); si insuper consideremus, haec omnia a Deo ad nostri usus et commoda, atque ad fruendum constituta fuisse (V. n. 126).

Elucet in ordine *morali:* tum nempe in bono ipso morali seu virtute, ad quam Deus hominem genuit; tum in lege naturali, quam illi, tamquam tutissimam agendorum regulam, dedit; tum denique in multigenis, quibus hominem juvat, auxiliis, praesertim vero in affectibus, qui illum, ceu totidem stimuli, ad virtutem alliciunt et excitant (1).

(1) Perbelle Damironus: « Le bien moral, c'est la vertu. Or, que prouve en Dieu la vertu? Évidemment un Dieu bon; il n'y a certes pas beaucoup à raisonner pour le démontrer. Car quel peut être le principe qui a fait en nous, je ne dis pas la vertu elle-même, puisque le propre de cette perfection est d'être notre fait et non le sien; mais la loi qui la commande, l'attrait qui y incline, les occasions qui la provoquent, les épreuves qui l'exercent, les secours qui la secondent, les récompenses qui la soutiennent? Que peut-il être, sinon un principe excellent? Mais s'il n'y a pas à insister sur une si simple conséquence, il y a du moins à remarquer que la nouvelle idée de la bonté de Dieu à laquelle elle nous conduit, tout en tenant de près à celle que nous en avons déjà, s'en distingue cependant, par un trait particulier, et y ajoute ce qui n'y était pas encore, la notion de

Postremo elucet in ordine supernaturali seu *revelato*. Nomine *revelationis* intelligitur externa et publica, atque a Deo ipso facta, veritatum quarumdam manifestatio, seu corpus doctrinae: quae naturae legem plane explicat, morumque regulas firmissime tradit; officia insuper quaedam supernaturalia definit ac sancit, itemque supernaturalia, ad illa exsequenda, adjumenta suppeditat; ac demum incomprehensibiles quasdam maximique momenti veritates homini credendas proponit. Revelatio porro, tum traditione tum sacris praesertim libris, seu *Biblia*, continetur (1).

Jamvero, si Revelatio divina, ad finem suum tuto consequendum, homini est necessaria; si autem immortali Dei beneficio ea nobis reapse ad liberalitatem concessa est, - uti solide atque invictissime demonstrant theologi -, jam nulla profecto, de providentia Dei, dubitatio superesse nobis potest.

129. In his tamen nihilominus haud acquiescunt deistae; atque complura adversus divinam providentiam objiciunt. Et primum, multa in hac rerum universitate, inutilia, inordinata, vel noxia etiam reperiri animadvertunt: quae bonum mehercule, sapientem, justum; paucis, providentem artificem ac rectorem minime arguunt.

---

sainteté. En effet, ce que nous concevions jusque-là de l'auteur de notre être, c'est qu'il a créé en nous une bonne nature; mais ce que nous en concevons maintenant, c'est qu'il y a en outre non pas créé, mais ordonné et préparé avec mille soins, une bonne volonté. Au premier de ces titres, il nous semblait déjà digne d'un religieux hommage; il nous semble, au second, en mériter un plus pieux encore. Bon pour le bien qu'il nous a fait, il l'est en outre, à nos yeux, pour celui qu'il nous a donné à faire; il nous paraît ainsi deux fois bon, ou bon et saint tout ensemble » (*De la providence*).

(1) Divinam proinde Revelationem evolvere atque pertractare, ad theologos proprie spectat. De hac nihilominus, quum in *Ethica*, de hominis erga Deum officiis sermo erit, pauca et nos obiter dicemus.

Resp. Omnia profecto quae creavit Deus, bona sunt; quemadmodum legimus in Genesi: *Viditque Deus cuncta quae fecerat; et erant valde bona*. Nonnulla tamen in his esse libenter fatemur, quae a nobis sat intelligi et comprehendi nequeunt: ad arcanos etenim et sapientissimos supremi Conditoris fines referuntur, quos curiosius investigare nefas est. Hinc vel ipse Spinosa animadvertit, siquid in systemate mundi nobis ridiculum, absurdum aut malum videtur, id ex eo proficisci, quod res ex parte solum novimus, totiusque naturae ordinem ignoramus; quem si cognitum haberemus, admiraremur in toto quod horremus in parte (1).

---

(1) Item Plinius: *Naturae rerum vis atque majestas in omnibus momentis fide caret, siquis modo partes ejus ac non totam complectatur animo.* Quod perbelle hisce versibus expressit Cardinalis de Polignac:

O ratio humanae mentis, quam caeca superbis!
Haec in mente Dei si quondam carcere rupto
(Atque utinam!) aspiceres, proh! quam tibi justa repente
Cuncta viderentur, quae nunc male cognita damnas.

Quibus praeclara haec addere opportunum arbitror, quae scribit Leibnitius: « L'objet de Dieu a quelque chose d'infini, ses soins embrassent l'univers; ce que nous en connaissons n'est presque rien, et nous voudrions mesurer sa sagesse et sa bonté par notre connaissance: quelle témérité, ou plutôt quelle absurdité!..... Il est vrai que nous avons déjà des preuves et des essais devant les yeux, lorsque nous voyons quelque tout accompli en soi, et isolé, pour ainsi dire, parmi les ouvrages de Dieu. Un tel tout, formé, pour ainsi dire, de la main de Dieu, est une plante, un animal, un homme. Nous ne saurions assez admirer la beauté et l'artifice de sa structure. Mais quand nous voyons quelque os cassé, quelque morceau de chair des animaux, quelque brin d'une plante, il n'y paraît que du désordre, à moins qu'un excellent anatomiste ne le regarde; et celui-là même n'y reconnaîtrait rien, s'il n'avait vu auparavant des morceaux semblables attachés à leur tout. Il en est de même du gouvernement de Dieu: ce que nous en pouvons voir jusqu'ici n'est pas un assez gros morceau pour y reconnaître la beauté et l'ordre du tout. Ainsi la nature même des choses porte que cet ordre de la cité divine, que nous ne voyons pas encore ici-bas, soit un objet de notre foi, de notre espérance, de notre confiance en Dieu ». Relata postmodum Baylii sententia, - a mundo scilicet, Dei gloriam, potentiam et unitatem praedicari -, « il en fallait, inquit, tirer cette conséquence que c'est parce qu'on voit dans ces objets quelque chose d'entier et d'isolé, pour ainsi dire; et toutes les fois que nous

Caeterum, quum omnia quae a Deo sunt condita, bona esse dicimus, animadvertendum est, id nequaquam nos velle, rem quamcumque cuilibet subjecto, sed potius in seipsa bonam esse: res quippe non desunt, quae subjectis aliquibus noxiae vel malae, aliis contra bonae sunt. Porro homines bona utplurimum *subjective*, idest ratione sui, minime vero *objective*, prout nimirum in se ipsis sunt, considerant. Inde efficitur, ut, quum non omnia entia sibi aut aliis quibusdam hominibus bona videantur, entia omnia bona esse negent. Atqui nullum est ens, quod alicui subjecto, vel ipsi sibi saltem bonum non sit.

130. At, reponunt adversarii, cum perfecta tranquillitate ac beatitudine, qua Deus necessario frui debet, manifesto pugnat, tot ipsum tantisque, - uti hercle mundi gubernatio fert -, negotiis distineri: Epicurus enim, apud Tullium (*De nat. deor.*) asserit, *Quod aeternum beatumque sit, id nec habere ipsum negotii quidquam, nec exhibere alteri* (1). — Illius insuper majestate indignum est, rebus quibuslibet minimis ac vilissimis curam impen-

voyons un tel ouvrage de Dieu, nous le trouvons si accompli qu'il en faut admirer l'artifice et la beauté; mais lorsqu'on ne voit pas un ouvrage entier, lorsqu'on n'envisage que des lambeaux et des fragments, ce n'est pas merveille si le bon ordre n'y paraît pas. Le système de nos planètes compose un tel ouvrage isolé et parfait, lorsqu'on le prend à part; chaque plante, chaque animal, chaque homme en fournit un, jusqu'à un certain point de perfection: on y reconnaît le merveilleux artifice de l'auteur; mais le genre humain, en tant qu'il nous est connu, n'est qu'un fragment, qu'une petite portion de la cité de Dieu ou de la république des esprits » (*Théodicée*).

(1) Quod apertius etiam hisce verbis explicat Vellejus: *Quaerere a nobis, Balbe, soletis, quae vita deorum* (legendum fortasse *Dei*) *sit, quaeque ab iis* (eo) *degatur aetas. Ea videlicet, qua nihil beatius, nihil omnibus bonis affluentius cogitari potest. Nihil enim agit, nullis occupationibus est implicatus; nulla opera molitur; sua sapientia et virtute gaudet: habet exploratum fore se semper tum in maximis, tum in aeternis voluptatibus* (De nat. deor.).

dere. — Esto tandem, *deorum mente atque ratione*, uti ait Cicero, *omnem mundum administrari et regi;* at illud profecto dari nequit, speciatim *etiam ab iisdem vitae hominum consuli et provideri*. Quid enim est homo? *pulvis et lutum*, uti passim in libris divinis legitur. Quod si ipse terrae globus, - ubi cum innumeris atque immensae molis corporibus, quae volvuntur in coeli spatio, comparetur -, nil propemodum est, penitusque evanescit ac defluit, quid de misello et omnium imbecillimo ejus incola dicendum erit? Qui igitur mundi ipsius Opificem de homunculi incolumitate et commodis maxime sollicitum facere non dubitant, nae hi plane ridiculos se praebent!

Resp. 1°, insipienter ab Epicureis beatam vitam in inerti otio, desidia atque in nihil agendo collocari: hanc siquidem trunci potius ac stipitis beatitudinem dixeris. Negamus autem, quae agit Deus, operose et cum labore ab eo perfici: qui enim in Ente sapientissimo atque omnipotente labor et defatigatio potest intelligi (1)? Ad 2m animadvertimus, nil proprie, in respectu ad Deum, nec magnum nec parvum dici posse (2); at nil interim, in rerum natura inesse, quod vile et contemnendum sit, quodque Deum dedeceat. Si enim, uti jam paullo ante innuimus, vel minima, quaeque nullius pretii ac vilia dicuntur, creare, indi-

(1) « Il veder tutto, aptissime Genovesius, e il saperlo governare, nulla costa a Dio, fuorchè uno sguardo semplicissimo sulla sua essenza, rappresentatrice necessaria e fedele di tutte le cose, o state o future o possibili ad essere; e il poterlo, null'altro che il volerlo; e tanto affatica lui il governo dell'universo intero, quanto la particolar cura di un fiorellino o d'altro semplicissimo oggetto » (*Meditazioni filosofiche*).

(2) Vel, quemadmodum ait Lafontaine:

Les grands et les petits sont égaux à leurs yeux (des Dieux).

gnum Deo non fuit, cur in eadem curam conferre, Dei majestate erit indignum (1)? Quod tandem ad hominem spectat, haud aegre concedimus, non secus ac universum mundum (2), relate ad Deum, nil penitus illum esse (3). Attamen, si homo, quatenus intelligentia praeditus est, consideretur, - omnium licet, quae ipsum circumstant, imbecillimus, ac prae ceteris inops et miseriis coopertus -, mundo ipso universo longe excelsior est atque praestantior (4). Quum autem ob intelligentiae lu-

---

(1) Quare optime Plato: « Si Deus, inquit, neglectis minoribus, in solis occupatur majoribus (aut penitus res mundanas non curat) id ideo fit, vel quia omnibus administrandis par esse mens illius ac potestas nequit, vel quia non vult, tametsi potest; neutrum autem Deo convenit » (*De legibus*).

(2) *Tamquam momentum staterae, sic est ante te orbis terrarum, et tamquam gutta roris antelucani quae descendit in terram:* ita auctor libri *Sapientiae* Deum alloquitur.

(3) Unde merito Rex propheta, admiratione perculsus: *Quid est homo*, exclamat, *quod memor es ejus? aut filius hominis, quoniam visitas eum?*

(4) Magnifice ad rem et elegantissime Pascalius: « L'homme n'est qu'un roseau le plus faible de la nature; mais c'est un roseau pensant. Il ne faut pas que l'univers entier s'arme pour l'écraser. Une vapeur, une goutte d'eau suffit pour le tuer. Mais quand l'univers l'écraserait, l'homme serait encore plus noble que ce qui le tue, parce qu'il sait qu'il meurt; et l'avantage que l'univers a sur lui, l'univers n'en sait rien » (*Pensées*). Quam sententiam amplius declarat celeberrimus nostrae aetatis astronomus, Secchius: « L'uomo, ait cl. vir, innanzi all'immensità della creazione, sembra sparire come un atomo nell'infinito..... è un errore. Il suo *spirito*, per ciò soltanto che egli è capace di comprendere quelle meraviglie, è già più grande e più vasto del soggetto che abbraccia. Questo solo fatto della sua intelligenza ci mostra che la sua natura è assai più sublime di quella della materia, e ch'esso ha un destino ben più nobile che quello non sia di rotolare negli spazii o di brillare mercè vibrazioni luminose. Del pari che in una folla numerosa, ogni individuo conserva la sua personalità in mezzo a quella moltitudine in cui trovasi, come dire, affogato, così l'uomo non cessa d'essere l'oggetto delle cure del suo autore, perchè abita un globo perduto negli spazii, in mezzo a milioni e milioni d'altri globi somiglianti. Epperò nessun atto di provvidenza straordinaria verso il genere umano non deve sembrare impossibile, anche in presenza di quegli esseri innumerevoli che popolano forse lo spazio, e che servono senza dubbio più fedelmente di noi Colui che loro ha dato la esistenza ».

men quod illi affulget, quamdam Dei ipsius imaginem homo referat, nil profecto mirum, si ejus vitae, parentis more, Deus consulit, illumque singulari benevolentia et amore prosequitur (1).

131. Objiciunt 3°. Dei bonitas, ejusque in homines amor ac providentia frustra jactatur: quandoquidem innumera, quibus obnoxii hi sunt atque premuntur, mala et calamitates hanc manifesto redarguunt. — Haec autem ea propemodo sunt, quae contra Dei unitatem opponunt dualistae (V. n. 120).

Resp. Quaestio de mali origine, et quemadmodum sub Deo bono ac providentissimo constare illud possit, gravissima semper atque implicatissima visa est; in eaque solvenda majores quovis tempore theologi ac philosophi adlaboraverunt.

Quorum vestigia persequentes, malum imprimis triplex esse animadvertimus, metaphysicum nempe, physicum et morale. Malum *metaphysi-*

---

(1) De quo nullum profecto dubitandi locum, novi praesertim foederis libri christianis relinquunt. Ibi enim Deus se humani generis patrem amantissimum, deque illius bono maxime sollicitum passim ipse testificatur; ibi ad ea omnia, quae hominibus cum ad animam tum ad corpus necessaria sunt, illis praestanda, se nullo non tempore facilem atque paratum declarat. Huc siquidem pertinent parabolae de ove et drachma repertis, et de filio prodigo; huc verba illa, quae quantum Deo hominum salus cordi sit, plane ostendunt: *Dico vobis, gaudium erit coram angelis Dei, super uno peccatore poenitentiam agente*. Quare Christus: *Petite*, ait discipulis suis, *et accipietis; pulsate et aperietur vobis*. Quo autem nos magis magisque ad omnem spem nostram atque fiduciam in Deo reponendam inflammet: *Respicite*, addit peramanter, *volatilia coeli, quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea; et Pater vester coelestis pascit illa. Nonne vos magis pluris estis illis?.... Et de vestimento quid solliciti estis? Considerate lilia agri quomodo crescunt; non laborant, neque nent.... Si autem foenum agri, quod hodie est, et cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit, quanto magis vos modicae fidei? Nolite ergo solliciti esse, dicentes: Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur?.... Scit enim Pater vester, quia his omnibus indigetis* (Evang. S. Matth.). Quid, quaeso, plura nobis sunt opus?

cum nil aliud est, quam creatarum rerum limitatio et imperfectio. Mali *moralis* seu peccati nomine, intelligimus pravas ac legibus adversas actiones, quae a libere agentibus fiunt. Malum tandem *physicum* dicitur, quod creaturis sensibilibus dolorem affert; atque malum complectitur, quod puniens appellatur (1).

Hisce positis, - ut a malo metaphysico initium capiamus -, ex ipsa ejus definitione manifestum est, haud reale quidpiam et substantiale, sed quemdam mere defectum et boni privationem illud esse (2). A nulla idcirco positiva causa oritur, neque principium essentialiter malum opus est, quod illius existentiae rationem reddat. Hujusce quippe mali subjectum sunt creaturae, quatenus limitibus circumscriptae sunt. Atqui hujusmodi limitatio creaturis omnibus adeo naturaliter inhaeret, ut absque hac existere non possint; alioquin infinitae, aeternae, independentes, non secus ac Creator ipse, forent: quod omnino repugnat. Mali igitur *possibilitas* metaphysice necessaria est: proindeque ne Deus quidem efficere posset ut non sit, si vult creaturas esse. « Et huc redit, ad rem Leibnitius, Sancti Augustini sententia, quod causa mali non sit a Deo, sed a nihilo, hoc est non a positivo, sed a privativo; hoc est ab illa quam diximus limitatione creaturarum ». Et rursus: « Ma-

---

(1) Paucis Leibnitius: « Le *mal mètaphysiquè* consiste dans la simple imperfection, le *mal physique* dans la souffrance, et le *mal moral* dans le péché » (*Théodicée*).

(2) *Malum*, ait S. Augustinus, *non est substantia: quia si substantia esset, bonum esset. Aut enim esset incorruptibilis substantia, magnum utique bonum; aut substantia corruptibilis esset, quae nisi bona esset, corrumpi non posset* (Confess.). Subdit autem, *malum non esse nisi privationem boni, usque ad quod omnino non est.*

lum causam habet non efficientem, sed deficientem ».

Quod ad malum morale, sive peccatum, spectat, neminem fugit, utpote illius auctorem insimulari Deum non posse; sed homini ipsi unice adscribendum esse, qui ultro legem ac mandata infringit, atque a recta via libere deflectit.

Vix dum autem peccatum irrupit in mundum, jam fieri non potuit, - ob arctissimum, quo moralis et physicus ordo simul devincti sunt, nexum - , quin illud dolorem et malum physicum post se traheret (V. n. 58). Hoc namque unum est, quod, scelestum poena afficiendo, infractum justitiae ordinem restituere, atque injuriam Deo inlatam ulcisci valet (1). Quapropter mali, cum physici tum moralis, homo ipse artifex et causa est: *mediata* scilicet mali physici; moralis autem, *immediata*. Hinc verissime poëta: *Nostrorum causa malorum — Nos sumus.*

132. Sed contra deistae: Quando, ajunt, sic se res habet, nonne longe melius hominibus consuluisset Deus, si voluntatis libertatem illis denegavisset, qua illos tantopere abusuros esse certo sciebat (2)?

Resp. Haud inficiamur, hominem, ubi libertate

---

(1) *Poena*, uti docet Grotius, *est malum passionis, quod infligitur ob malum actionis.*

(2) Idem propemodo, apud Ciceronem, objicit Cotta: *Haud scio,* inquit, *an melius fuerit humano generi, motum istum celerem cogitationis, acumen, solertiam, quam rationem vocamus, quoniam pestifera sit multis, paucis admodum salutaris, non dari omnino, quam tam munifice et tam large dari. Quamobrem si mens voluntasque divina idcirco consuluit hominibus, quod iis largita est rationem, iis solis consuluit, quos bona ratione donavit: quos videmus, si modo ulli sunt, esse perpaucos. Non placet autem paucis a diis immortalibus esse consultum. Sequitur ergo, ut nemini consultum sit* (De nat. deor.). Quo quidem sensu poëta:

Hostibus eveniant talia dona meis.

careret, ne peccare quidem, neque in sui perniciem incumbere posse; at quaenam illius tunc demum foret conditio? quid jam inter ipsum et belluam interesset? Libertas siquidem ad hominis dignitatem et excellentiam potissimum confert (1). Quid enim excellentius, quid nobilius, quam sui juris esse, atque in proprias actiones dominatum habere, sicque suae perfectionis auctorem et artificem fieri (2)? Quid melius et majus a Deo tribui homini poterat, quam ut ad illius gratiam et benevolentiam promerendam idoneus hic esset (3)? Sed ut hanc merito ac jure consequeretur, eoque excellentiae, quae illum maxime decet, perveniret, ita hominem constitutum esse oportebat, ut aliud etiam quam quod illi praescriptum est, agere, proptereaque a suae perfectionis opere libens et sponte declinare posset (4).

---

(1) Apte Russojus: « Murmurer de ce que Dieu ne nous empêche pas de faire le mal, c'est donc murmurer de ce qu'il nous fit d'une nature excellente, de ce qu'il mit à nos actions la moralité qui les ennoblit, de ce qu'il nous donne droit à la vertu... Quoi! pour empêcher l'homme d'être méchant, fallait-il le borner à l'instinct et le faire bête »? (*Emile*).

(2) « Questa dote (la libertà), inquit Rosminius, aggiunge alla natura che la possiede, la nobilissima qualità di essere perfezionatrice di se stessa, e di entrare, direi quasi, a parte col Creatore, in dare a se stessa compimento » (*Teodicea*).

(3) « N'est-il pas digne de Dieu, ait Fenelonus, qu'il mette l'homme, par cette liberté, en état de mériter? Qu'y a-t-il de plus grand pour une créature que le mérite? Le mérite est un bien qu'on se donne par son choix, et qui rend l'homme digne d'autres biens d'un ordre supérieur. Par le mérite, l'homme s'élève, s'accroît, se perfectionne et engage Dieu à lui donner de nouveaux biens proportionnés, qu'on nomme récompenses. N'est-il pas bien beau et digne de l'ordre, que Dieu n'ait voulu lui donner la béatitude qu'après la lui avoir fait mériter? Cette succession de degrés par où l'homme monte n'est-elle pas convenable à la sagesse de Dieu, et propre à embellir son ouvrage »? (*Lettres sur la métaphysique*). Quod quidem jamdiu S. Augustinus animadvertit: *Tales*, inquit, *servos suos meliores Deus esse judicavit, si ei serviant liberaliter; quod nullomodo fieri posset, si non voluntate, sed necessitate servirent* (De lib. arbitrio).

(4) « Il est vrai, prosequitur citato loco Fenelonus, que l'homme ne

Quod si homo, libertate sua abutens, potius quam gratiam, iram Dei in se concitat, Deusne in culpa teneri debet? nonne penes hominem ipsum est noxa (1)? Anne pretiosissimum Dei donum ac beneficium desinit esse libertas, quod ea insipiens atque ingratus homo abutitur? Atqui *abusus non tollit usum*, uti ajunt scholae (2).

133. Ob. 5º. A malo morali seu peccato, tamquam a causa, ut dicitis, cuncta mala physica proveniunt. Qui ergo fit, ut his boni ac frugi homines, non secus atque improbi, sint obnoxii? Nonne, aeque ac isti, morbis, infortuniis et cujuslibet generis aerumnis illi afflictantur? Anne illorum agellis et viticulis uredinem, grandinem aut nimbum parcere videmus?

Quae in medium hic proferunt deistae verissima esse, certe equidem nemo est quin videat; divinae nihilominus providentiae vel minimum haec officere, prorsus negamus. Primum enim, quod ad publicas et communes calamitates atti-

---

peut point mériter sans être capable de démériter: mais ce n'est point pour procurer le démérite, que Dieu donne la liberté, il ne la donne qu'en faveur du mérite: et c'est pour le mérite, qui est son unique fin, qu'il souffre le démérite, auquel la liberté expose l'homme. C'est contre l'intention de Dieu, et malgré son secours, que l'homme fait un mauvais usage d'un don si excellent, et si propre à le perfectionner ». Item Russojus: « La providence ne veut point le mal que fait l'homme, en abusant de la liberté qu'elle lui donne; mais elle ne l'empêche pas de le faire. Elle l'a fait libre afin qu'il fît, non le mal, mais le bien par choix » (*Emile*).

(1) Concinne Rosminius: « Se siete liberi, perchè non fate bene, o perchè amate piuttosto di meritarvi l'ira di quel Nume che vi spaventa? Se la vostra miseria viene dalla libertà, come dite; non è questo un malo da voi procacciato, mentre potete schivarlo »? (*Apologetica*).

(2) Ita nimirum ad Cottae objecta, nuper allata, respondet Cicero: animadvertens, *non idcirco non optime nobis a diis esse provisum, quod multi eorum beneficio perverse uterentur: etiam patrimoniis multos male uti; nec ob eam causam eos beneficium a patribus nullum habere.*

net (utputa ventos vehementiores, immoderatas tempestates, incendia, eluviones, terraemotus, aliaque similia) quae vel bonos ipsos saepe laedunt atque infestant, generalibus legibus, quibus natura gubernatur, id omnino tribuendum esse, facile quisque intelligit; neque aliter profecto, nisi harum legum abrogatione, idest miraculo, fieri posset. Ast miraculum, quovis ferme temporis puncto, a Deo postulare, arrogans nimium unaque ridiculum foret (1). Animadvertimus insuper, - quum vix aut ne vix quidem, qui a culpa usquequaque sit cassus, inter mortales reperiri possit (2); Deus autem sanctus et justus judex, omniaque omnino peccata perosus, reddat unicuique secundum opera ejus -, illos etiam qui in levibus delinquunt, facti sui poenas merito expendere debere. Praeterquamquod, ex adversis hujusce vitae casibus et aerumnis hanc justi utilitatem capiunt, quod magis magisque in virtute confirmantur, a terrenis cupiditatibus divelluntur, atque ad coelestia

(1) Ingeniose ad rem illustris De Maistrius: « Le monde n'étant gouverné que par des lois générales, vous n'avez pas, je crois, la prétention que, si les fondements de la terrasse où nous parlons étaient mis subitement en l'air par quelque éboulement souterrain, Dieu fût obligé de suspendre en notre faveur les lois de la gravité, parce que cette terrasse porte dans ce moment trois hommes qui n'ont jamais tué ni volé; nous tomberions certainement et nous serions écrasés. Il en serait de même si nous avions été membres de la loge des illuminés de Bavière ou du comité du Salut public. Voudriez-vous, lorsqu'il grêle, que le champ du juste fût épargné? Voilà donc un miracle. Mais si par hasard ce juste venait à commettre un crime après la récolte, il faudrait encore qu'elle pourrît dans ses greniers: voilà un autre miracle. De sorte que chaque instant exigeant un miracle, le miracle deviendrait l'état ordinaire du monde » (*Soirées de Saint-Pétersbourg*).

(2) *Non est homo qui non peccet:* uti legitur in lib. 3° Regum. Item, auctor Proverbiorum: *Quis*, ait, *potest dicere: mundum est cor meum, purus sum a peccato?* Et Ecclesiastes: *Non est enim homo justus in terra, qui faciat bonum et non peccet.*

et immortalia mentem animumque extollunt (1). Quin potius igitur infinitam Dei sapientiam admiramur, qui mala complura in mundo esse sinit, ut hinc majora atque incomparabilia bona eliciat (2)? quique vel pravas ipsas hominis actiones in illius bonum atque utilitatem vertit? Et revera, quid de praecipuis virtutibus, de patientia, commiseratione, magnanimitate; quid de *sui abnegatione* foret, si calamitates, aerumnas, morbos demas; si improborum nequitia, contumeliis, dolis homo nunquam peteretur (3)?

(1) « In paucis vexati, in multis bene disponentur: quoniam Deus « tentavit eos, et invenit illos dignos se. Tanquam aurum in fornace « probavit illos, et quasi holocausti hostias accepit illos et in tempore erit respectus illorum » (*Sapient.*).

Consideratione autem omnino digna sunt, quae hac de re scribit S. Augustinus (*De civ. Dei*): « Si Deus nunc omne peccatum manifesta « plecteret poena, nihil ultimo judicio servari putaretur. Rursus, si « nullum peccatum nunc puniret aperte Divinitas, nulla esse providentia divina crederetur. Similiter in rebus secundis, si non eas « Deus quibusdam petentibus evidentissima largitate concederet, « non ad eum ista pertinere diceremus; itemque si omnibus eas petentibus daret, nonnisi propter talia praemia serviendum illi esse « arbitraremur; nec pios nos faceret talis servitus, sed cupidos et « avaros.... Placuit divinae providentiae praeparare imposterum bona « justis, quibus non fruentur injusti; et mala impiis, quibus non « excruciabuntur boni. Ista vero temporalia bona et mala utrisque « voluit esse communia, ut nec bona cupidius appetantur, quae « mali quoque habere cernuntur; nec mala turpiter evitentur, quibus et boni plerumque afficiuntur ».

(2) *Neque Deus omnipotens*, subdit S. Augustinus, *cum summe bonus sit, ullomodo sineret mali esse aliquid in operibus suis, nisi usque adeo esset omnipotens et bonus, ut benefaceret etiam de malo.... Melius judicavit de malis bene facere, quam nulla mala esse permittere.*

(3) *Multa bona sunt in rebus, quae, nisi mala essent, locum non haberent; sicuti non esset patientia justorum, si non esset malignitas persequentium, nec esset locus justitiae vindicativae, si delicta non essent:* sic (*C. Gentes*) S. Thomas. Cui vel Molierius ipse plane congruit, in comoedia, inscripta *Le misanthrope;* ubi Philintus ita Alcestem recte alloquitur:

Tous ces défauts humains nous donnent, dans la vie,
Des moyens d'exercer notre philosophie.
C'est lo plus bel emploi que trouve la vertu;
Et si de probité tout était revêtu,
Si tous les cœurs étaient francs, justes et dociles,
La plupart des vertus nous seraient inutiles.

Ceterum, ad rem plane conficiendam omnemque extricandam difficultatem, in mentem revocare sat est, quod christiana Sapientia nos docet, protoparentis nimirum nostri peccatum (quod *originale* appellant) totam humanam progeniem atque posteritatem commaculasse. Inde enimvero tot malorum colluvies, quae terram obruunt, quibusque homines omnes, ne infantibus quidem exceptis, anguntur et excruciantur: quippe nemo insons in vitam ingreditur; omnes nascimur filii irae, proindeque miseri omnes: nemo enim, sub Deo justo, miser, nisi mereatur (1).

134. Atqui, reponunt deistae, optimi parentis et providentissimi fuisset, ne tantum mali contingeret, totumque humanum genus pessum iret ac rueret, omnino praecavere. Deus porro, - supremus humanarum voluntatum, quemadmodum ceterarum rerum omnium, arbiter ac dominus -, quin Adamo libertatem auferret, ne hic in se culpam admitteret, nullo negotio impedire poterat. Quod si facere abnuit, nonne id apertum in divinam Providentiam testimonium dicit?

(1) De originis peccato, in divinis, - cum veteris tum novi Testamenti -, libris crebra fit mentio. Ex his autem duos praesertim locos excerpere placet; quorum alter, equidem notissimus, in Psalmo quinquagesimo legitur: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea*; alter vero in epistola S. Pauli ad Romanos: *Sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors; et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.*

At non sacri tantum, verum etiam ethnici scriptores, - tamquam vetustissimarum traditionum atque popularium opinionum interpretes -, peccatum hoc memorant. Inter hos eminent Plato, Cicero, Seneca, Plutarchus; quorum manifesta hujusce facti prostant testimonia. Hinc merito Rosminius: « Non è solo, inquit, un dogma del cristianesimo la sentenza, che l'uomo tragga dalla natura una imperfezione, un disordine morale.... Tutte le tradizioni più vetuste, tutte le credenze dei popoli, i simboli, i miti dichiarano unanimamente che nella natura umana giace profondo un guasto morale, arcano fatale. La filosofia del paganesimo è sempre convenuta su questo punto colle dottrine sacre e colle credenze popolari » (*Antropol.* ecc.).

In difficilem mehercule nodum nos incidisse fatemur; nil est tamen, cur deistae, quasi victoria relata, laetitia gestiant. Ut enim hinc aliquid adversus Dei providentiam legitime concludi posset, omnes in primis originalis noxae effectus et consectaria nosse oporteret; praesentem deinde rerum statum cum illo conferre opus esset, qui, ubi non peccavisset Adam, locum habuisset. Quisnam porro sibi tantum arrogare jam poterit?

Quamquam, omnino rei difficultatem solvit, ac satis superque nobis facit christiana Religio. Hac quippe edocemur, longe nobiliorem atque excellentiorem rerum ordinem, in superioris locum, suffectum fuisse. Quod quidem per ipsum Dei Filium, Jesum Christum, factum est; qui, ut hominum scelera expiaret, eosque in Dei Patris gratiam redigeret, se illi hostiam propitiatricem ultro offerre non dubitavit, totumque genus humanum, Adae culpa misere perditum, sanguine suo et morte acerbissima, e daemonis servitute *redemit* (1). Ita nempe, eo dignitatis et excellentiae humana natura evecta est, ut illi amissum innocentiae statum jam conqueri non liceat. Quid enim *Redemptione* sublimius, quid excelsius est? quid ea pretiosius, nedum optari, excogitari ab

(1) *Omnes enim*, uti ad Romanos scribit Apostolus. *peccaverunt, et egent gloria Dei: justificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem quae est in Christo Jesu, quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius.* Paullo autem post: *Si enim unius delicto mors regnavit per unum; multo magis abundantiam gratiae et donationis et justitiae accipientes, in vita regnabunt per unum Jesum Christum. Igitur sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem: sic et per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitae.*

homine potuisset? Unde emphatica S. Augustini exclamatio: *Oh felix culpa, quae talem ac tantum meruit habere Redemptorem!* Cave tamen, ne malum adprobare et culpam ab Adamo removere studeas, eumque, peccando, bene egisse affirmes. Quandoquidem se contumacia et rebellione Adamum vere adstrinxisse atque inexcusabilem esse, nemini profecto est dubium. Id nihilominus bonum et laudabile esse dicimus, quod talem in Deum ille peccaverit, qui, nedum malum destruat, potens adeo et sapiens est, ut vel malum ipsum in salutem convertat (1).

Ex his omnibus liquido patet, nil alicujus ponderis ac momenti in divinam Providentiam argui posse; quam ceteroquin invicta et solidissima, quae superius exposuimus, argumenta extra omnem dubitationem ponunt.

CAPUT IV.

De atheismo.

135. *Athei* (2) dicuntur quotquot Deum vel ignorant (athei *negativi*); vel de medio tollunt (athei *positivi*); vel in dubium vocant (athei *sceptici*): quorum in numero adscribendus est Protagoras (V. *Logica*, n. 206).

---

(1) Quemadmodum S. Catharina Senensis declarat; quae, paullo ante allata S. Augustini verba *Oh felix culpa!* referens: « Il peccato dunque, ait, è avventurato, non per lo peccato, ma per lo frutto e dono che abbiamo d'esso peccato » (*Lettera a frate Raimondo da Capua* ecc.). Item, vir claris. Augustus Nicolas: » La chûte.... est sans doute un mal en soi-même; mais un mal pour un mieux » (*La Vierge Marie*).

(2) *Atheus* - ab α ut graeci vocant, privativa, et Θεὸς *Deus* -, perinde est ac si diceres, *sine Deo*.

Hisce autem athei addi possunt, quos *practicos* recte nominaveris: utpotequi, in terrenis unice cocupati vel sensuum cupiditatibus illecti, vitam ita traducunt, ut numquam sese cogitatione ad Deum convertant, quasi non sit; intereadum, non secus ac ceteri, Dei beneficiis et donis large perfruuntur (1).

136. Quoddam est insuper atheorum genus, qui Deum quidem ore tenus admittunt, re tamen ipsa negant: hujusmodi sunt *Pantheistae* (2). Qui unicam, eamque infinitam, substantiam ponunt, cujus res omnes finitae, in universo existentes, nil aliud quam totidem modi, vel formae, vel species seu adparentiae sunt; quaeque idcirco propriam subsistentiam, ab infinita *totius* subsistentia distinctam, neque habent neque habere possunt. Hanc porro substantiam, seu totum hoc, *Deum* appellant (3).

Quod si vel ipsa christiana Sapientia *Deum omnia esse* docet (« Iddio è tutto »), hujusce propositionis sensus a sensu pantheistico longissime distat; quemadmodum et illud, quod ad Romanos scribit Apostolus: *Ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia* (4).

---

(1) Ad hos pertinet, celebris alioquin, nostrorum temporum mathematicus; qui exprobranti, quod nulla unquam de Deo, in illius operibus, fieret mentio, jocose respondit: « Je fais mes calculs, et je n'y pense pas ».

(2) *Pantheistae* a graecis πᾶν *omne*, et Θεὸς *Deus*, nomen habent; quasi dicas: *Deus est omnia*.

(3) Quare pantheismum haec Senecae ad Lucilium verba complecti, manifestissimum est: *Quid est autem, cur non existimes in eo divini aliquid existere, qui Dei pars est? totum hoc quo continemur, et unum est, et Deus: et socii ejus sumus et membra* (Epist. XCII).

(4) Deus scilicet omnia esse dicitur, quatenus in Deo aeternum inest rerum omnium exemplar et fundamentum; vel, uti ait S. Thomas: *Deus est omnia eminenter*.

137. Sed quocumque nomine *totum* hoc, quod est pantheismi basis, vocetur (non enim una est hac de re pantheistarum sententia): Sive nempe *infinitum* (uti illud appellant Vedantistae penes Indos); sive *unitas* (Eleatici et Neo-platonici); sive *unitas suprema* (Scotus Erigenes et Jordanus Brunus); sive *substantia* (Spinosa); sive, cum nuperis pantheistis generatim, *absolutum*, vel *identitas universalis*, vel *idea*, vel *ens* dicatur -, nil aliud demum est pantheismus, quam finiti, relativi, contingentis cum infinito, absoluto, necessario identificatio; paucis: entium omnium in ens unum reductio. Essentiales itaque pantheismi in universum notae sunt: Unitas substantiae; et cujuscumque substantialis creationis exclusio (1).

De Spinosa mentionem paullo ante injecimus. Qua de re animadvertendum est, inter multiplices, - quas pantheismus, ab vetustissimis aetatibus ad nostra usque tempora, induit -, formas, hanc memoratu praesertim dignam esse, cui a Spinosa no-

---

(1) In pantheistis igitur adnumerandi quoque sunt *Emanatistae* ita dicti, quod mundum (corpora nimirum et spiritus) a Deo non proprie creari, sed manare affirmant: quae duo profecto maxime differunt inter se. *Creatio* enim est realizzatio entis, quod omnino non erat; *manatio* contra nil est aliud, quam explicatio seu manifestatio realitatis alicujus, jam prius quoquomodo existentis. Jamvero qui mundum e divina substantia manare docent, hanc in partes dividuam ponunt: quod cum Dei infinitate ejusque perfecta simplicitate pugnat (V. n. 31). Rem nitide declarat S. Augustinus, uti jam alias advertimus (n. 88): *De nihilo enim a te, non de te facta sunt* etc. Quod si animam humanam a Deo quadantenus manare licet asserere, quo vere sensu intelligendum hoc sit, alibi explicavimus (n. 32-33). Aliud quippe est dicere, quemdam veluti divinae sapientiae radium (lumen rationis) humanis mentibus splendescere, sicque illas procreare, - quod equidem et nos assentimur; aliud vero, mentes nostras nil aliud nisi totidem divinae substantiae particulas, neque illi naturâ absimiles esse, uti placet Emanatistis. Horum namque sententiâ, defectus et vitia, quibus humanus animus scatet, et in ipso Deo inesse oporteret: quod mehercule nemo sanae mentis affirmaverit.

men est factum. Qui prae ceteris, Theodoro Jouffroy innuente, pantheisticum systema, perfecte ac luculenter expositum, ad severiorem formam redegit, in opere cui titulus *Ethica, more geometrico demonstrata*. Spinosianae porro doctrinae summa haec est: 1° Deus est substantia infinita et necessaria; et, *praeter Deum, nulla dari, neque concipi potest substantia*. 2° Absoluta cogitatio et extensio infinita, duo sunt essentialia unicae hujus substantiae attributa (*Deus est res extensa, Deus est res cogitans*). 3° Animae, cogitationis divinae; corpora vero, extensionis universalis meri sunt ac simplices modi.

138. At cujusvis tamen sit generis et quamcumque formam referat pantheismus, - ob id solum, quod contingens cum necessario permiscet, neque alterum ab altero secernit -, absurdissimum quid esse manifesto liquet. Primo enim contingens ad Entis absoluti naturam nullomodo pertinet; 2° ens proprie non est, sed identitatis fit particeps, sicque entis conditionem adipiscitur; 3° tametsi entitatem participat, cum ente nihilominus nequaquam confunditur: ens namque, cum respectu ad omnia contingentia, unum semper idemque est, - unde illius universalitas -; quodlibet contingens, e contrario, in se ipso definitum est atque a ceteris distinctum (1).

Quod autem ad Spinosam speciatim attinet, animadvertimus, hujus doctrinam falso supposito et,

---

(1) Quod magis etiam magisque patebit, si consideres, hoc pantheistarum *Numen*, spiritum una et materiam esse; finitum atque infinitum; varium et immutabile; sapientissimum ac perpetuis erroribus obnoxium; sanctitate simul et vitiis insigne: quo mehercule quid turpius ac monstruosius effingi animo possit, non video.

quemadmodum jam alias innuimus (*Logica*, n. 377), arbitraria substantiae definitione totam inniti. Etenim Batavus sophista *substantiam* definit quod in se et per se concipitur. Postmodum vero, ens *a se* existens (V. n. 87) cum illo, quod *in se* et *per se*, - cum substantia nimirum generatim sumpta (V. *Logica*, n. 62) -, confundens, hanc necessario existere, proindeque *unam* tantum esse substantiam, concludit. Dempta porro verborum ambiguitate, jam hoc, - multo sane artificio atque ingeniose extructum -, systema in praeceps penitus fertur (1).

139. In atheos demum, lato quodam sensu, referri possunt, qui illum moralis Dei perfectionis conceptum nequaquam habent, qui profecto Ens absolutum decet; sed Deum animo effingunt, utpote moralibus qualitatibus et omnimoda perfectione carentem. Quare atheismum manifesto redolent *feticismus, anthropomorphismus* (V. n. 116, 6°), *sabeismus*, et omnia generatim systemata, seu potius commenta, in quae *idololatria* dividitur.

Mitto quod notat Spanhemius, solemne videlicet id esse poëtis atticis, *ut* athei *ab iisdem dicantur de magno aliquo scelere convicti, et quos inde dii graviter puniunt.*

---

(1) Profecto, *substantia* generatim illud nominatur, cui, ad existendum, alia re opus non est, in qua tamquam subjecto insit et haereat; substantia nihilominus alia re, *tamquam principio* et *causa*, ut vere existat, indigere potest. Hisce positis, manifestum est, Ens infinitum (Deum), unicam quidem esse substantiam completam et absolutam: nulla quippe re alia omnino eget; a se namque necessario existit. At inde etiam consequitur, entia finita, - etsi Deo, tamquam causa et principio, opus habent -, veras, utut incompletas, ac reales substantias esse: siquidem veluti modorum et qualitatum *subjecta*, minime vero utpote simplices subjecti alicujus qualitates ac *modi* mente concipiuntur.

140. Sed hic quaeritur, utrum atheus unquam exstiterit vel esse possit?

Ad hanc rem jam superius animadvertimus (n. 104...), gentem nullam vel populum sine Deo, omnique Religionis sensu carentem, repertum uspiam fuisse; item, vere sapientem ac frugi virum neminem atheismi insimulari posse (109). Quamquam, id fortasse potest contingere, ut quis, - misero sane funestoque casu -, eo redigatur, ut et ipsius Dei cognitione careat, vel illius existentiam in dubitationem adducat, aut neget; seu potius negare conetur: nemo quippe, Deum non esse, sibi firme persuadere unquam poterit. Quod si sunt aliqui, nec desunt profecto, qui se atheos aperte fatentur, hi mentis suae non esse dicendi sunt (*dixit insipiens in corde suo: non est Deus*. Ps. XIII); vel id insolentius dictitare, ob quamdam, quam jactant, cogitandi singularitatem, ut a vulgo secernantur, et, uti mos est, *philosophi* existimari obtineant. Ceterum, ut diximus, potiusquam Deum non esse persuasum habeant, hoc sibi persuadere nituntur impii, quod, corda scrutans et renes, incommodo illis est Deus.

141. Res itaque ipsa monet, ut de atheismi causis, quas jam carptim innuimus, ordine ac paullo fusius dicamus.

Quarum praecipua est *morum corruptio* atque licentia. Qui enim libidinibus indulgere seque vitiis inquinare solent, divinae vindictae cogitationem, quae non sine acerbissimo doloris sensu occurrit, - Deus namque effrenes cupiditates coërcere et aequo liberiorem vitam immutare jubet, contumacibus autem gravissimas minitatur poenas -, a se omnino removere conantur. Nil propterea non

agunt, ut divinae justitiae metum penitus exuant, atque a praepotenti Dei imperio se subducant (V. n. 113); sicque pedetentim, per cavillationes ipsi sibi fucum facientes, eo perveniunt, ut de ipsius supremi Judicis existentia persuasionem sibi ex animo evellant. Hinc verissime a Platone dictum est, atheismi morbo animum prius, quam mentem, corripi.

Saepe etiam ad Religionis contemptum et atheismum stimulat *animi tumor* et *ambitio*, indeque futile quoddam super alios eminendi studium. Siquidem pessimi homines, vanae gloriolae cupidine illecti, facile in animum inducunt suum, fore, ut ceteris perspicaciores atque ingenio praestantiores habeantur, si, de vulgari semita deflectentes, Religionem, tamquam commentum quodpiam, in jocum mittant, eamque, tum familiaribus colloquiis tum scriptis, oppugnare nitantur. Huc proinde conferunt operam et totis viribus incumbunt, ut illos floccifaciant atque despiciant, qui Deum agnoscunt ac venerantur, eosque utpote mentes abjectas et meticulosas humique reptantes praedicent: se contra alacri et erecto animo; se ineptis populi opinionibus atque anilibus, ut ipsi vocant, superstitionibus et fabulis vacuos esse jactant (1).

(1) Apte ac verissime Fenelonus: « Ne cherchons que dans notre orgueil et dans notre mollesse la source de nos égaremens.... Il ne s'agit point de notre esprit; ce n'est point lui qui rend les hommes incrédules. L'esprit, s'il était sans passion, sans orgueil, sans mauvaise volonté, irait simplement à reconnaître que nous ne nous sommes pas faits, et que nous devons le *moi* qui nous est si cher à celui qui nous l'a donné; mais il faudrait sortir des bornes étroites de ce *moi* pour entrer dans l'infini de Dieu, où nous ne nous aimerions plus qu'en notre rang pour l'amour de lui. C'est le désespoir de l'amour-propre; c'est ce qui révolte les démons et les hommes; c'est la rage de l'enfer, dont on voit le commencement sur la terre: ainsi, c'est leur mauvaise volonté qui fait inventer aux hommes tant de subtilités odieuses pour se faire illusion, et pour se dérober la vue de Dieu » (*De l'existence de Dieu*). Quo omnino sensu, ad Hebraeos scribit Apostolus: *Videte, fratres, ne forte sit in aliquo vestrum cor malum incredulitatis, discedendi a Deo vivo.* Item, La Mennais: « Il ne faut pas chercher ailleurs que dans l'orgueil et dans la corruption de cœur la cause d'une disposition si déplorable. L'homme abhorre la gêne, et la religion gêne tous ses penchans. Las de son joug austère, il essaie de le briser ou de s'y dérober. Il s'environne de distractions, il s'étourdit, il s'énivre de plaisirs et de sophismes, pour étouffer avec moins de remords l'importune vérité, comme un assassin, novice encore, s'énivre avant de commettre un meurtre. Son indifférence pour les dogmes naît de son aversion pour les devoirs; s'il ne craignait pas ceux-ci, il admettrait volontiers ceux là; mais, sachant qu'on ne peut séparer la règle de la foi de la règle des mœurs, il cherche l'indépendance des pensées. Il veut douter, et il doute; il veut, à tout prix, ne pas croire, et sa raison travaille sans relâche à s'anéantir elle-même: véritable suicide moral, plus criminel mille fois que celui qui ne détruit que le corps » (*De l'indifférence* etc.).

Modo autem memoratis atheismi causis, quae a nobis proxime ortum ducunt, complurae aliae accedunt externae: in primisque praepostera ac *perversa educatio*, necnon *prava exempla;* exinde vero *cum improbis hominibus conversatio*, quae ad mentes atque animos corrumpendos praeter modum confert. Experientia etenim constat, vel eos ipsos, qui honeste ac laudabiliter sunt instituti, ad impietatem saepenumero deduci, si male moratis atque irreligiosis hominibus familiariter utantur. Huc tandem spectat *impiorum librorum*, quorum numerus heu nimium in dies excrescit, *lectio;* quae quantum inexpertae praesertim juventuti afferat detrimenti, nil profecto attinet dicere (V. *Logica*, n. 281).

142. Haec porro omnia ingenuos adolescentes animum sedulo advertant, necesse est (ad quod et nos etiam atque etiam illos hortamur) ut, dum per tempus et aetatem licet, sibi prospiciant (1), atque

(1) Pervulgatum hoc est:

> Principiis obsta: sero medicina paratur,
> Cum mala per longas invaluere moras.

ab memoratis impietatis causis, tamquam ab insidioso et teterrimo hoste, opportune praecaveant. Quid enim deterius homini, quid calamitosius potest contingere, quam si supremi vindicis ac providentissimi Dei notio in illius mente obliteretur? (V. n. 103). Quo autem genus humanum, de Deo opinione sublata, redigeretur; quot sibi miserias, quot mala conscisceret, nemo profecto, - quin exhorrescat, suique se pudeat -, animo et cogitatione percurrere potest (1).

(1) Nequis autem a nimium meticuloso et praejudiciis mancipato haec fortasse dicta arbitretur, juvabit ipsa Volterii hac super re verba referre: « Otez aux hommes l'opinion d'un Dieu rémunérateur et vengeur; Sylla et Marius se baignent alors avec délices dans le sang de leurs concitoyens; Auguste, Antoine et Lépide surpassent les fureurs de Sylla; Néron ordonne de sang-froid le meurtre de sa mère: il est certain que la doctrine d'un Dieu vengeur était alors éteinte chez les Romains. L'athée, fourbe, ingrat, calomniateur, brigand, sanguinaire, raisonne et agit conséquemment, s'il est sûr de l'impunité de la part des hommes; car s'il n'y a pas de Dieu, ce monstre est son Dieu à lui-même; il s'imole tout ce qu'il désire, tout ce qui lui fait obstacle; les prières les plus tendres, les meilleurs raisonnemens ne peuvent pas plus sur lui que sur un loup affamé. — Une société particulière d'athées qui ne se disputent rien, et qui perdent doucement leurs jours dans les amusemens de la volupté, peut durer quelque temps sans trouble; mais si le monde était gouverné par des athées, il vaudrait autant être sous le joug immédiat de ces êtres informes qu'on nous peint acharnés contre leurs victimes » (*Traité de la tolérance*).

Habita facultate.

INDEX

METAPHYSICES ELEMENTA
(*pag.* 1)

PARS PRIMA

PARS ALTERA

PETRI ANTONII CORTE

IN R. TAURINENSI ATHENAEO ANTEHAC PROFESSORIS

ELEMENTA PHILOSOPHIAE

IN USUM SEMINARIORUM

VOLUMEN III.

ETHICA

O vitae philosophia dux! O virtutis indagatrix, expultrixque vitiorum! Quid non modo nos, sed omnino vita hominum sine te esse potuisset?.... Tu inventrix legum, tu magistra morum et disciplinae fuisti. Ad te confugimus, a te opem petimus; tibi nos ... penitus totosque tradimus. Est autem unus dies bene et ex praeceptis tuis actus, peccanti immortalitati anteponendus.
Cic., *Tusc. quaest.*, v, 2.

TAURINI
Ex Typ. Pontificia et Archiepiscopali
EQ. PETRI MARIETTI
1874

ILL.MO AC REVEREND.MO

D. D.

PLACIDO POZZI

EPISCOPO MONREGALENSI

ETC. ETC.

VITAE INTEGRO VIRO PIETATE EXIMIO BENEFICENTISSIMO

SINGULARI HUMANITATE MORIBUS SUAVISSIMIS

PRAESTANTI

CHRISTIANA ET CIVILI SAPIENTIA APPRIME DOCTO

UT ALIQUOD QUANTULUM ID CUMQUE SIT

ERGA ANTISTITEM OPTIMUM

AMANTISSIMI ET GRATI ANIMI SUI EXSTET MONUMENTUM

SACERDOS P. A. CORTE PHILOSOPHIAE PROF. EMERITUS

MUNUSCULUM HOC

D. D. D.

I.

ETHICES ELEMENTA

1. Omnia, quae in rerum universitate continentur, entia ad determinatum quemdam scopum seu finem condita sunt. Suum igitur et homini propositum esse finem oportet; hic autem est: cognoscere et operari; intellige: *cognoscere veritatem et operari bonum* (1). Hinc enimvero duabus nobilissimis facultatibus natura illum instruxit: *intelligentia* nimirum et *voluntate.* Naturale (uti in Logica diximus) intelligentiae objectum est *veritas;* voluntatis autem, *bonum.*

Homo itaque ad veritatem, et bonum (morale) nempe virtutem, - quae est proprium atque perficiens humanae naturae bonum -, essentialiter tendit. Bonum autem morale, virtus etiam appellari consuevit, quatenus habituale supponitur.

2. Sed aliud est ad aliquid tendere, aliud vero illud consequi.

Si homo intelligentia solum et sensibilitate gauderet, nec liberum insuper in illo inesset arbitrium, nullus unquam in ea, quae de rebus profert, ju-

---

(1) « Hi (*Aristippus et Cyrenaici*) non viderunt, inquit Cicero, ut ad « cursum equum, ad arandum bovem, ad indagandum canem, sic ho- « minem ad duas res, ut ait Aristoteles, intelligendum et agendum « esse natum, quasi mortalem Deum (*De finib.*) ». Item Seneca: « So- « lemus dicere, summum bonum esse secundum naturam vivere: « natura nos ad utrumque genuit, et contemplationi rerum et actioni » (*De otio sapientis*).

I.

ETHICES ELEMENTA

1. Omnia, quae in rerum universitate continentur, entia ad determinatum quemdam scopum seu finem condita sunt. Suum igitur et homini propositum esse finem oportet; hic autem est: cognoscere et operari; intellige: *cognoscere veritatem et operari bonum* (1). Hinc enimvero duabus nobilissimis facultatibus natura illum instruxit: *intelligentia* nimirum et *voluntate*. Naturale (uti in Logica diximus) intelligentiae objectum est *veritas;* voluntatis autem, *bonum*.

Homo itaque ad veritatem, et bonum (morale) nempe virtutem, - quae est proprium atque perficiens humanae naturae bonum -, essentialiter tendit. Bonum autem morale, virtus etiam appellari consuevit, quatenus habituale supponitur.

2. Sed aliud est ad aliquid tendere, aliud vero illud consequi.

Si homo intelligentia solum et sensibilitate gauderet, nec liberum insuper in illo inesset arbitrium, nullus unquam in ea, quae de rebus profert, ju-

---

(1) « Hi (*Aristippus et Cyrenaici*) non viderunt, inquit Cicero, ut ad « cursum equum, ad arandum bovem, ad indagandum canem, sic hominem ad duas res, ut ait Aristoteles, intelligendum et agendum « esse natum, quasi mortalem Deum (*De finib.*) ». Item Seneca: « Solemus dicere, summum bonum esse secundum naturam vivere: « natura nos ad utrumque genuit, et contemplationi rerum et actioni » (*De otio sapientis*).

dicia irreperet error. Quod si liberum arbitrium se optime semper haberet, proindeque bonum morale nullo non tempore eligeret, nae et ipsa intelligentia a veritate nunquam descisceret. At longe alia mehercule est praesens hominis conditio: experientia quippe constat, humani arbitrii libertatem a perfectione quammaxime abesse, nec raro malum prae bono deligere; quo fit, ut et ratio ipsa saepenumero deficiat et in perversum ruat. Quae cum ita sint, homini omnino, et quod ad ejus intelligentiam et quod ad voluntatem, subvenire opitularique opus est.

Regulas, quae intelligentiam in veritatis investigatione dirigant, jam in Logica proposuimus. Restat nunc, ut eas tradamus, quas voluntas sequi debet, ut ad bonum seu virtutem tuto perveniat, et a vitiis declinet: quod proprium Ethicae munus est (1).

3. *Ethica* igitur est « illa scientiae philosophicae pars, quae boni honesti seu moralis naturam in-

(1) *Vitium*, in ordine morali, illud plane est, quod, in intellectuali, est *error*. Quinimo, nullum proprie in voluntate inest vitium, quod prius in intelligentia error, - falsum nempe judicium -, non fuerit: a falsis enim judiciis quaelibet rationalis naturae inordinatio atque perturbatio procedit. Hinc, quemadmodum errores utpote quidam animae humanae, qua intellectualis, sunt morbi; ita vitia, perinde ac totidem morbi consideranda sunt, quibus anima, quatenus volitiva, laborat. *Animi morbi*, ait Cicero, *sunt cupiditates immensae et inanes divitiarum, gloriae, dominationis, libidinosarum etiam voluptatum* (De finib.). Ea igitur ratione, qua Logica, - quae eo spectat, ut errores depellat, vel iis, ne irrepant, obsistit -, *medicina mentis* dicta est; sic Ethica, - cujus officium est bellum vitiis indicere, contraque ipsa hominem tueri -, *animi* vel *cordis medicina* jure appellanda videtur. Quod mehercule hujus praestantiam maximamque utilitatem demonstrat. Quanti enimvero facienda sit scientia, quae justum ab injusto secernere hominem docet; quae virtutis excellentiam et vitii foeditatem sub oculos ponit, et una illi fert opem et adjumenta suppeditat, ut virtute colenda strenuum se jugiter praestet, neque unquam ab officio suo discedat, nemo profecto est quin statim intelligat; ut supervacaneum sit, hoc argumento nos dirutius immorari.

vestigat; unaque docet, quomodo illud assequi, sicque bonus fieri, homo possit ». Brevius autem, - si ad ipsum vocabuli etymon (a greco ἦθος, *mos*) respectus habeatur -, definiri potest « Scientia morum ». Re enimvera, vir probus atque honestus, bonis moribus ornatus esse dicitur; improbum contra et vitiis scatentem, male moratum, vel pravis moribus praeditum appellant. Quapropter Ethica idem est, ac quae vulgo nominatur *Philosophia moralis* (1).

4. Ex praemissa Ethices definitione consequitur, tria haec philosophum moralem sibi habere proposita: 1° Scilicet, boni moralis analysim conficere, illudque in sua elementa tribuere; 2° probe dignoscere, quomodo, quibus nempe actibus quibusve habitibus, hoc sibi homo comparet, quibus autem amittat; 3° ostendere, quanta excellentia et dignitate praestet bonum morale, utpote quod humanam naturam perficere, planeque felicem reddere unice possit.

In tres itaque partes dividitur Ethica. Quarum prior agit « de boni moralis natura », et dicitur *Ethica generalis;* altera, « de ratione bonum morale acquirendi », *Ethica specialis*; tertia demum, « de boni moralis praestantia », *Ethica eudaemonologica* (a graeco Εὐδαιμονία, *felicitas*): boni quippe moralis possessio ea est, quae hominem felicem suaque sorte contentum efficit.

(1) De hac, sub initium libri *De fato*, loquens Cicero: *Quia*, inquit, *pertinet ad mores, quos* ἦθος *illi* (Graeci) *vocant, nos eam partem philosophiae, de moribus appellare solemus. Sed decet, augentem linguam latinam, nominare moralem.*

PARS PRIMA

Ethica generalis seu de boni moralis natura.

5. *Boni moralis*, sive honesti, nomine illa intelligitur humanae voluntatis qualitas, cujus vi bona dicitur, quaeque propterea hominem ipsum *bonum* facit. Voluntas porro dicitur *bona*, quum rerum entitati seu veritati adhaeret; vel, aliis verbis, quum sese ad praescriptam sibi normam sive legem accommodat eique obtemperat; si ab ea desciscit, improba et mala vocatur.

Tria igitur sunt boni moralis elementa : *voluntas* nimirum, *lex*, et *voluntatis cum lege congruentia* (la conformità della volontà colla legge).

SECTIO PRIMA

PRIMUM BONI MORALIS ELEMENTUM.

6. Primum, ut diximus, boni moralis elementum est voluntas. Quae, certis sub conditionibus, specialem formam inducit, fit nempe libera: proindeque libertatis vel liberi arbitrii nomine donatur.

In primis itaque de *voluntate* generatim sumpta, dein vero de voluntate libera sive *libertate* agemus: quae sunt morales animae humanae potentiae; unde moralis hominis natura.

CAPUT I.

De voluntate.

7. De humana voluntate ac libertate jam in Logica dictum est, quum « de activis spiritualibus hominis potentiis » sermo esset. Ad quam propterea satius ducimus lectorem remittere, ne actum agere videamur.

Quod nihilominus ad libertatem speciatim attinet, - quae totius philosophiae moralis est fundamentum -, nonnulla hic addenda putamus.

CAPUT II.

De libertate.

8. *Libertas*, generatim sumpta, uti jam alias innuimus (*Logica* n. 128), est « immunitas a servitute »; vel, quemadmodum ait Seneca, *nulli rei servire, nulli necessitati;* totque modis distinguitur, quot sunt servitutis genera. Hinc enimvero libertas *civilis, politica, commerciorum* etc.

Sed, ceteris omissis, de libertate proprie dicta, seu *personali,* - quae cujuscumque generis libertatis basim constituit -, nos tantum hic agimus; quo nomine intelligitur « facultas, qua homo pollet, ad aliquid se ad libitum determinandi »: aliquid nimirum volendi, vel non; hoc prae illo volendi; brevi : eo modo volendi, quo ei maxime libet (1).

(1) Hinc triplex vulgo distinguitur libertas: *contradictionis* nempe, *contrarietatis* et *specificationis;* prout circa res, sibi invicem contradictorias, vel inter se contrarias, vel specie diversas versatur.

9. Ex quo manifestum est, libertatem aliquid homini internum et omnino secretum esse, cui nulla unquam coactio, seu vis potest inferri. Fac me aliquid nolle; jam nemo est, ut ut viribus ac potentia praevalidus, qui ad illud volendum me cogat. Corpus meum excruciari et morti etiam tradi potest; sed integra atque immota manet voluntas. Quod egregie S. Gregorius expressit; qui, de S. Hermenegildo, catenis vincto, loquens: *Etsi exterius*, inquit, *jacebat ligatus*, *apud se tamen in magno mentis culmine stabat securus* (1). Male igitur a nonnullis *libertas* definitur « potestas agendi, vel non agendi »; actio enim externa nil est aliud, quam quaedam libertatis manifestatio (in quam proinde vis adhiberi potest), non vero libertas ipsa, quae in internis volitionibus tota consistit.

Sed jam nobis hominem libertate personali, seu libero arbitio, gaudere, demonstrandum est.

Art. 1. — *Hominem naturâ libertate volendi praeditum esse demonstratur.*

10. Ad hujusmodi demonstrationem rite conficiendam, opus est in primis declarare quid sit bonum, - quod est essentiale voluntatis objectum -, illudque in species suas dividere.

---

(1) Epictetus, nequam atque impotenti hero minitanti, se illum, vinculis constrictum, in carcerem conjecturum: « tota re erras, - placide, Stoicorum more -, respondit: corpus quidem meum, at me nequaquam in vincula conjicies ». Item, Napoleo, in insula, cui nomen est *Sancta Helena*, captivus, quum ab Hudson-Lowe, in cujus potestate esset, multimodis atque assidue vexaretur, abrupta demum patientia, hisce illum verbis, nae tanto viro dignis, quadam die adortus est: « Vous avez plein pouvoir sur mon corps, mais mon âme vous echappera toujours. Sachez bien qu'elle est aussi fière, aussi courageuse sur ce roc, que lorsque je commandais à l'Europe ».

Quemadmodum verum (uti in *Logica* vidimus, n. 212), ita bonum cum ente convertitur: bonum nempe et ens, ex S. Thoma, sunt unum et idem secundum rem, sed differunt secundum rationem tantum; nam *ratio boni*, ait Aquinates, *in hoc consistit, quod aliquid sit appetibile*. Hinc *bonum* generatim dicitur « quod est appetibile ». Atqui nulla res appetitur, nisi ob qualitates et perfectiones, quibus praedita est: *unumquodque*, ut idem S. Thomas animadvertit, *est appetibile, secundum quod est perfectum*. Quare bonum e rerum pretio ac perfectionibus exoritur.

11. Bonum tamen duplici sub adspectu se nobis exhibere potest: vel nempe consideratur utpote subjecti alicujus proprium, idest quatenus refertur ad subjectum, quod illud sentit eoque fruitur, et dicitur *subjectivum*; vel in se ipso perpenditur, quatenus nimirum fit cognitionis objectum, idest simpliciter a mente concipitur, et *objectivum* appellatur (1). Hoc autem postremum, si consideretur, ratione habita ad voluntatem, quae illud amat appetitque, boni *moralis* nomen habet.

Bonum igitur *morale* consistit in relatione boni objectivi ad voluntatem: qua relatione fit, ut haec bona dicatur (V. n. 5); ac definiri potest « bonum objectivum, quod intelligentia cognoscit, et voluntas appetit » (2).

---

(1) A sensu igitur (cum corporeo, tum spirituali) tamquam a fonte suo, bonum subjectivum originem ducit; ab intelligentia vero objectivum. Hoc porro multo magis patet quam illud: subjectivum namque est bonum subjecti alicujus proprium; objectivum autem, quodcumque bonum dicitur, - sive ad subjectum ipsum, quod illud intuetur, pertineat (quo in casu subjectivum etiam est), sive in alio ente, ab eo diverso, existat: nil quippe aliud vox *objectivum* sibi vult, nisi id, quod intelligentia, eo modo quo est, videt ac contemplatur.

(2) « La cognizione del bene, ait Rosminius, una cognizione specu-

12. Bonum subjectivum, ut modo diximus, proprium est subjecti, quod illo perfruitur. Quum itaque triplex humani subjecti, sive hominis, natura sit (V. *Logica* n. 8), tria quoque bonorum humanorum genera sunt distinguenda: nempe 1° bona *physica;* quorum alia *corporis* (firma constitutio, valetudo et similia), alia vero bona *fortunae* dicuntur (divitiae, commoditates, etc.): omnia tamen bona physica ad *gratas sensationes* reduci possunt. 2° Bona *intellectualia* (scientia, artes liberales....). 3° Bona *moralia* (virtus, honestas) (1).

Inter haec autem bona immensum eminet, - eaque omnia in se quodammodo complectitur -, bonum summum, perfectum et *absolutum*, nempe Deus.

13. Hisce praemissis, ad propositum nostrum veniamus.

Quum ita naturâ comparatus sit homo, ut ad bonum invicta propensione trahatur, malum autem insuperabiliter et necessario aversetur, manifestum est, nullam illi libertatem esse, ad *bonum* se vel ad

lativa, necessaria, sterile nel soggetto che la possiede, non presénta in alcun modo la nozione di bene morale. È quando il soggetto *vuole* quel bene che colla mente *conosce*, che quel bene appunto, in quanto comincia ad esser voluto, intanto comincia ad esser morale » (*Principii della scienza morale*).

(1) Hic notatu dignum est, ex tribus memoratis bonorum generibus, priora, idest physica, non solum subjectiva esse, sed subjectivam insuper originem habere; intereadum ceterorum origo omnino objectiva est: hujusmodi scilicet bona sunt quidam effectus, quos in subjecto gignunt bona objectiva, quae a subjecto ipso possidentur. En cur bonum morale, subjectivum seu eudaemonologicum nuncupari etiam possit: quatenus nimirum homo (subjectum) illo fruitur et gaudet. « Perocchè anche il bene morale, inquit Rosminius, nelle sue appendici e conseguenze, ha un ordine naturale alla nostra soddisfazione ed alla nostra felicità, e però anch'egli, sotto questo rispetto, può considerarsi come bene eudemonologico » (*Filosofia del diritto*).

malum, generatim spectatum, arbitrio suo convertendi. Si igitur voluntati nostrae bonum summum et usquequaque perfectum, atque ut tale cognitum, exhibeatur, nequit ea profecto se ab illo appetendo et amplectendo abstinere: non enim inditam sibi naturam immutare valet. Quare hic actus, quo illi bono adhaeret voluntas, spontaneus quidem, - quippe insita et propria illius vi depromtus -, nequaquam vero liber dicendus est (1). Quod equidem caelitibus contingit, qui beatifica Dei visione perfruuntur (2).

14. Sed longe aliter sese res habet, ubi voluntati singularia praesto sint bona, finita atque imperfecta: cujusmodi indiscriminatim sunt quaecumque homini hisce in terris possidere datum est, ne ipso quidem Deo excepto; qui, humanae intelligentiae naturaliter inaccessus, haudquaquam nobis, dum hanc vitam degimus, uti revera est, conspiciendum se praebet (quod, nonnisi post mortem, virtuti dabitur praemio); sed illum admodum imperfecte, vel, ut ait Apostolus, *per spe-*

(1) Ex quo patet, humanam voluntatem, *a coactione* quidem, ut dicunt, non vero semper *a necessitate* liberam esse. Si namque voluntas nulla unquam externa vi cogi (V. n. 9), ab objecto tamen ipso, quod illi praesens est, adeo potest adstringi, ut necessario illud velit.

(2) « On ne peut hésiter, inquit Fenelonus, sur le bien suprême, qu'en ne le connaissant que d'une connaisance superficielle, imparfaite et confuse; mais lorqu'il vient à se montrer avec évidence, avec son attrait infini et tout-puissant, il ravit aussitôt l'amour de la volonté, et il fait disparaître tout autre bien, comme le grand jour dissipe les ombres de la nuit. Par conséquent, l'amour que les saints dans le ciel ont pour Dieu, tout *volontaire* qu'il est, c'est-à-dire conforme à leur inclination naturelle, n'est pas *libre*, parce qu'il n'est pas dans leur nature de vouloir autrement » (*De l'existence de Dieu*). Siquidem hi Deum, quem in aperto vident, ardentissime amant, ad eumque pleno voluntatis motu, sed necessario feruntur; de illo interim non amittendo plane securi: in qua mehercule securitate, eorum praesertim beatitudo consistit.

culum in aenigmate, nunc solummodo videre licet (1).

Profecto quum nullum ex hisce bonis ad naturalem, qua homo flagrat, felicitatis cupiditatem explendam: ad voluntatem scilicet adeo alliciendam idoneum sit, ut majorum bonorum desiderium illi haudamplius supersit (quippequae aliquid semper immensum infinitumque desiderat), consequens est, voluntatem, quamcumque rem sibi oblatam, - ut ut prima fronte bonam, jucundam et suaviter blandientem -, ab se rejicere, eique bonum aliud, sive praesens sive dumtaxat opinatum, anteponere posse. Amplissimus itaque campus, ad libertatem exercendam, mortalibus patet; quae, ut vidimus, est potentia, qua homo ad hoc vel illud volendum, sese arbitratu suo determinat.

Duplex tamen distinguitur: prout inter bona subjectiva; vel, inter bonum subjectivum et objectivum, homini eligendum est.

15. « Facultas eligendi inter bona subjectiva », *libertas electionis* simpliciter nominatur. Hoc autem in casu nil aliud proprie efficit voluntas, nisi peculiarem voluptatem aliquam voluptati alii praeferre, quandoquidem illi utrâque simul frui non licet. Nil igitur, quod morale sit, sese hactenus prodit.

16. At quum coram voluntate se sistunt, - hinc bonum subjectivum, hinc vero objectivum, sibi mutuo adversantia, et inter quae illam seligere oportet -, tunc profecto locum habet *libertas moralis*, quae *meriti* vere fons est; quaeque idcirco defi-

(1) Quin imo, uti in Metaphysica diximus, de Deo non proprie novit homo, quid sit, sed tantum quid non sit.

niri potest « facultas se determinandi inter possibiles volitiones oppositas ». *Oppositae* namque illae proprie volitiones appellandae sunt, quarum altera bonum subjectivum respicit, altera vero objectivum: bona videlicet inter se prorsus contraria; illas vero, quae ad bona subjectiva unice referuntur, rectius diceres volitiones *diversas* (1).

17. Jamvero hominem plena atque omnimoda libertate gaudere, adeo manifeste conscientiae voce ac testimonio probatum est, ut nulla hac de re dubitatio suboriri possit. Conscientia namque, - ubi sincero, et qui praejudicati nil afferat, animo interrogetur -, aperte testatur ac docet, - sicuti a voluntate nostra nequaquam pendet, quibusdam in adjunctis, sentire vel non sentire, veritatem intueri vel non - (2); in nobis e contrario omnino esse positum, cuipiam rei vel assentiri vel non assentiri, ad hoc vel illud singulare objectum amplectendum vel rejiciendum, voluntatem nostram impellere; brevi, aliquid velle aut nolle (3).

(1) Hinc libertas hujuscemodi, ***bilateralis*** quoque nominari consuevit: voluntas quippe hoc in casu ad hanc potius partem, quam ad illi oppositam inclinat; ad dextrum, ut vulgo ajunt, vel sinistrum latus vergit.

(2) Quum enim essentiale humanae intelligentiae objectum sit veritas, ubi haec menti nostrae se manifestissime praebeat, jam eam nequimus repellere, sed illi assentiri cogimur. Quis, quaeso, inficias ibit, v. gr., *bis duo efficere quatuor*, vel *totum esse majus sua parte?* Quis hisce propositionibus, aliisve similibus, clare ac distincte perceptis, assensum suum denegare poterit?

Ne quis tamen existimet, nullum omnino, quod ad res evidentes, libertatis usum nobis superesse. Siquidem in arbitrio nostro semper est positum, ad eas res animum intendere, vel ab eisdem illum avertere, ut scilicet quid aliud contemplemur. Quum itaque homo dicitur veritatem clare adprehensam respuere, ne credas id simpliciter ac directe efficere (nam contra propriam naturam ageret, quod absurdum est), sed actu quodam voluntatis posteriori atque reflexo. Quae animadversio quanti momenti sit, videbimus postea.

(3) ***Sentit animus se moveri ; quod cum sentit, illud una sentit, se vi sua non aliena moveri*** (Cic., *Tuscul. disp.*).

Re enim vera, nonne mecum recogitanti certissime constat, in mea esse potestate, manum, ex. gr., porrigere vel retrahere, sedere vel stare, dextrorsum vel sinistrorsum oculos convertere, manere domi vel deambulatum ire? Quod si deambulare placeat, in me omnino esse, planitiem ad hunc finem vel clivum, secessus vel loca celebria seligere? quolibet autem temporis puncto, iter pergere vel abrumpere, domum reverti, vel amicum adire me posse; vel alia centena, prout mihi libido est, consilia capessere (1)? Nonne, quaeso, omnia haec humanam, quam *electionis* diximus, *libertatem* satis superque evincunt?

18. Quod vero ad *libertatem moralem*, de qua praesertim hic agimus, spectat, ubi hinc, - quod mehercule haud raro contingit -, voluptas et cupiditas ad se nos allicit, illinc autem lex atque officium vocat, si attente nosmetipsos inspicimus, facile deprehendimus, pro arbitrio nostro nos posse, - dummodo fortiter et integre velimus -, legis imperio obtemperare, cupiditates autem obtundere et coërcere; vel contra, si libeat, a lege ipsa oculos avertere, terga dare officio, nosque toto animo oblectationi ac cupidinibus dedere. Brevi: inter bonum et malum, acerrime pugnantes hostes, victoria in manu nostra penitus est (2). Profecto,

(1) Non est cur moneamus, - quum memoratas actiones liberas esse dicimus -, de actibus ipsis externis nequaquam nos loqui, sed de interno illas exsequendi voluntatis consilio atque proposito.

(2) « En disant que je suis libre, je dis donc que mon vouloir est pleinement en ma puissance, et que Dieu même me laisse pour le tourner où je voudrai; que je ne suis point déterminé comme les autres êtres, et que je me détermine moi-même. Je conçois que si ce premier être me prévient pour m'inspirer une bonne volonté, je demeure le maître de rejeter son actuelle inspiration, quelque forte qu'elle soit, de la frustrer de son effet, et de lui refuser mon consentement. Je conçois aussi que quand je rejette son inspiration pour

quum actum aliquem exsequi mecum ipse propono, propositum meum plane dignosco; hoc autem actus illius causam esse certissime novi. Mihi insuper conscius sum, me in actum illum erumpere constituisse, quia volui, meque ab eo abstinere, vel aliud consilium capere potuisse. Mea igitur voluntas, capti consilii, indeque subsequentis actus vera causa unâque ultima ac sufficiens ratio dicenda est.

Atqui causa, quae aliud omnino, propria sua vi, efficere poterat, quam quod reapse effecit, est causa libera; jam inde consequitur, humanam voluntatem vera ac proprie dicta libertate pollere: quod erat demonstrandum (1).

le bien, j'ai le vrai et actuel pouvoir de ne la rejeter pas, comme j'ai le pouvoir actuel et immédiat de me lever quand je demeure assis, et de fermer les yeux quand je les ai ouverts. Les objets peuvent me solliciter, par tout ce qu'ils ont d'agréable, à les vouloir; les raisons de vouloir peuvent se présenter à moi avec ce qu'elles ont de plus vif et de plus touchant; le premier être peut aussi m'attirer par ses plus persuasives inspirations. Mais enfin, dans cet attrait actuel des objets, des raisons, et même de l'inspiration d'un être supérieur, je demeure encore maître de ma volonté pour vouloir ou ne vouloir pas » (Fenelonus, *De l'existence de Dieu*). Item autem passim sacrae Litterae testantur: *Nonne*, ita Caiu alloquitur Deus, *si bene egeris, recipies; sin autem male, statim in foribus peccatum aderit? Sed sub te erit appetitus, et tu dominaberis illius* (Genes.). In Deuteronomio: *Testes invoco coelum et terram, quod proposuerim vobis vitam et mortem, maledictionem et benedictionem. Eligite ergo etc.* Item in Josue: *Optio vobis datur, eligite quod placet.* In Ecclesiastico autem: *Deus ab initio constituit hominem, et reliquit illum in manu consilii sui. Adjecit mandata et praecepta sua. Si volueris mandata servare, conservabunt té, et in perpetuum fidem placitam facere. Apposuit tibi aquam et ignem: ad quod volueris, porrige manum tuam. Ante hominem vita et mors, bonum et malum; quod placuerit ei, dabitur illi.*

(1) « La *libertà morale*, inquit Rosminius, nasce nell'opposizione dell'oggetto al soggetto. Il soggetto come tale, astraendo dalla legge ch'egli riceve dall'oggetto, è guidato dall'istinto; l'oggetto all'incontro, senza badar punto all'istinto come istinto, gli impone una legge, gli prescrive un modo di operare conforme al vero..... Non meno l'*istinto* che la *legge* determina, ciascuno a suo modo, le operazioni umane; ma la determinazione dell'istinto trovandosi sovente in opposizione colla determinazione imposta dalla legge, l'una de-

19. Conscientiae igitur vox ac testimonium, humanae libertatis firmissimum atque ineluctabile nobis praebet argumentum (1).

Hic autem libertatis nostrae interior, ut ita dicam, sensus eo minus est dubius, quod fugax et unius momenti non sit, sed perennis, a nobis numquam recedens, et nullo non tempore ac per mille experimenta se prodens.

20. Profecto, nil est inter homines neque habetur certius, quam penitissima propriae libertatis persuasio. Hos namque, sive generatim omnes, sive seorsum singulos spectes, quidquid excogitant, inquirunt, judicant, deliberant, agunt, totum hoc ex libertate profluere videbis (2).

Hinc enimvero boni et mali, virtutis et vitii idea, et, quae illis adjuncta sunt, laus et vituperium; indeque nostram et aliorum agendi rationem vel acceptam habemus vel improbamus (3). Hinc pax

---

terminazione si collide coll'altra, e rimane quasi sospesa. L'uomo in questo contrasto non è necessitato nè dall'una nè dall'altra parte; può scegliere, può far uso dell'uno ovvero dell'altro dei due principii determinanti: ecco la libertà » (*Filosofia del diritto*).

(1) Dicesne fortasse nos falli, quum, plenam conscientiae fidem adjungentes, liberos nos esse pro certo tenemus? At si aliqua, utut levis, dubitatio hac super re posset subrepere, cur non idem de ceteris quoque facultatibus, praeter libertatem, - quibus tamen praeditos nos esse minime dubitamus -, quin et de ipsa nostri existentia asserere liceret? quandoquidem non aliunde, quam ex intimo conscientiae testimonio, nos cogitare, nos agere, nos existere, invictissimam persuasionem habemus. Caeterum, de conscientiae auctoritate ac certitudine jam in Logica dictum est.

(2) « C'est (la liberté), subdit citato loco Fenelonus, ce que les bergers et les laboureurs chantent sur les montagnes, ce que les marchands et les artisans supposent dans leur négoce, ce que les acteurs représentent dans les spectacles, ce que les magistrats croient dans leurs conseils, ce que les docteurs enseignent dans leurs écoles, ce que nul homme sensé ne peut révoquer en doute sérieusement. Cette vérité, imprimée au fond de nos cœurs, est supposée dans la pratique par les philosophes mêmes qui voudraient l'ébranler par de creuses spéculations ». Quis porro totius humani generis auctoritati atque conscientiae obluctari ausus fuerit?

(3) *Propter virtutem*, ait Cicero, *jure laudamur, et in virtute recte glo-*

atque animi tranquillitas, qua boni gaudent; conscientiae stimuli, ex adverso, quibus exagitantur improbi (1). Hinc conventus, promissa, pacta, quae inter homines fiunt. Hinc monita, consilia, objurgationes, minae. Hinc recte agendi regulae, adolescentibus praesertim propositae. Quid, quaeso, demta libertate, sibi vellent jussa, mandata, leges, quibus homines obstringuntur; quî autem culpa coargui ille posset, atque in poenam jure deposci, qui eisdem non paret (2)? Neque absimili calculo reputari ac pensari solent aliorum in alios hominum propensiones et affectus: amicitia, benevolentia, gratus vel infensus animus, odium, ira, querelae, convicia; qui affectus, si libertatem su-

---

riamur: quod non contingeret, si id non a nobis haberemus (De nat. deor.). Item, in Lucullo: *Ubi igitur virtus, si nihil situm est in ipsis nobis?*

(1) Huc spectat pulcherrimum illud Isocratis effatum: « Omnino non sperandum, si quid turpe feceris, te latiturum. Quamvis enim lateas alios, tu tamen tibi male conscius eris ». Quod quidem iis consonat quae, sub initium Sat. XIII, habet Juvenalis:

> Exemplo quodcumque malo committitur, ipsi
> Displicet auctori; prima haec est ultio, quod se
> Judice nemo nocens absolvitur, improba quamvis
> Gratia fallaci Praetoris vicerit urnâ.

(2) *Quis enim*, merito sciscitatur S. Augustinus, *peccat in eo quod nullomodo cavere possit?* (De lib. arbitr.). Idem autem, adversus Manichaeum quemdam disputans: *Quis non clamet*, inquit, *stultum esse, praecepta dare ei, cui liberum non est, quod praecipitur, facere? et iniquum esse, eum damnare, cui non fuit potestas legem implere? Has injustitias et iniquitates, non intelligis te Deo adscribere?* Quae omnia laudatus Fenelonus sic eleganter complectitur: « C'est cette exemption non seulement de toute contrainte, mais encore de toute nécessité, et cet empire sur mes propres actes, qui fait que je suis inexcusable quand je veux mal, et ce que je suis louable quand je veux bien. Voilà le fond du mérite et qui rend juste la punition ou la récompense; voilà ce qui fait qu'on exhorte, qu'on reprend, qu'on menace, qu'on promet. C'est là le fondement de toute police, de toute instruction, et de toute règle des mœurs. Tout se réduit dans la vie humaine, à supposer, comme le fondement de tout, que rien n'est tant en la puissance de notre volonté que notre propre vouloir; et que nous avons ce libre arbitre, ce pouvoir, pour ainsi dire, à deux tranchants, cette vertu élective entre deux partis qui sont immédiatement comme sous notre main ».

stuleris, nulli profecto vere existerent. Libertas demum, - utpote quae mutuae inter se hominum communionis ac societatis est fundamentum, totiusque humanae naturae intelligendae rationem suppeditat -, qui eam tollit, humana omnia subruit penitusque convellit. En absurdissima, in quae necessario impingunt quotquot homini hoc plane eximium et omnium praestantissimum, divinitus illi datum, libertatis munus infitiari ausi sunt (1).

Art. 2. — *Objecta adversus humanam libertatem diluuntur.*

21. Si hactenus exposita de hominis libertate prae oculis habeantur, nullo negotio solvuntur quae a *fatalistis* (quo nomine libertatis osores generatim intelligimus) in illam objici consueverunt (2). Multa haec quidem, et eorum nonnulla, subtilia et difficultatibus implicita sunt. Omnia tamen fatalistarum argumenta ad tria revocari commode possunt.

Quorum primum ducitur a vi, quam in voluntatis deliberationes necessario, ut ipsi quidem opi-

(1) De quo, magnificis hisce versibus, loquitur Aligherius, in *Paradiso:*

Lo maggior don che Dio per sua larghezza
Fece creando, ed alla sua bontate
Più conformato, e quel ch'Ei più apprezza,
Fu della volontà la libertate;
Di che le creature intelligenti
E tutte e sole furo e son dotate.

(2) Fataiistae a *fato* dicti sunt; fatum autem apud veteres, quaedam erat rerum et eventuum necessitas, quam ne Deus quidem ipse immutare posset. Unde notissima: Esse in fatis; fatis agi, trahi, compelli et similia. Ab hoc tamen, quod *astrologicum* appellant, differt fatum *stoicorum;* de quo *Historiam philosophiae* adire juvat, vel Senecam in *Quaestion. natur.*, et *De beneficiis.*

nantur, exerunt motivi, quos eidem exhibet intellectus: nil enim volitum quin praecognitum. Voluntas scilicet, uti ex ejus definitione patet, nunquam absque ratione seu motivo aliquo operatur; quocirca ex omnibus illi objectis motivis, qui potior est ad se necessario illam trahit atque ad assensum impellit. Voluntas, ajunt, perinde se habet ac bilanx, impositis hinc inde ponderibus. Quemadmodum igitur eo inclinatur bilanx, ubi majus est pondus; sic voluntas id eligere debet, quod eligibilius est et apparet.

Ad haec respondemus, voluntatem profecto nil unquam sine sufficienti ratione seu motivo, statutum sibi atque deliberatum habere: secus enim ab physicis ac brutis viribus nequaquam differret. At, inter plures, qui illi praesto sunt, motivos, voluntas ipsa libere eligit; alterum alteri, arbitratu suo, praefert. Haud inficiamur, quoties voluntarie agimus, ab aliquo semper motivo, ad hoc vel illo modo agendum nos determinari. Sed si penitius ac diligentius rem inspicimus, liquido constat, motivum hunc a nobis ipsis prorsus pendere: nos videlicet interiorem *vim* quamdam exerere, - quam idcirco effectricem vel *practicam* appellare licet -, quo fit, ut ceteris motivus ille praevaleat, quem praevalere cupimus, ut ad hoc potius quam ad illud nosmetipsos determinare possimus. Quod quidem quotidiana nobis experientia compertum est. Reenimvera, qui probe et prout bonum virum decet, se gerere propositum habet, nae hic in virtutis pulcritudinem atque excellentiam animum defigit; innumera, cum interna tum externa, quae hanc sequuntur, bona sedulo perpendit; quo autem magis magisque in proposito

suo permanere queat, praeterita revocat, atque in memoriam sibi redigit, amici, ex. gratia, reprehensiones et consilia, vel parentum atque magistrorum monita, vel praeclara optimorum virorum documenta et exempla, vel, quod magis est, quae de hominis fine ac formidolosissima Dei justitia e sacris praesertim Litteris didicit. Quod siquis contra, suis tantum commodis servire atque cupiditatibus indulgere constituit, nae alia aggreditur via: voluptatis nempe blandimenta et illecebras animo revolvit, iisque se omnino deliniri sinit; increpanti vero atque ad se vocanti virtuti, - utpote nimium molestae ac fastidiosae -, surdas praebet aures ac terga vertit. Ut autem facilius conscientiae stimulis Deoque minitanti obsistat, ad materialistarum sophismata confugit, sibique persuadere studet, quae de maleficiorum poenis, in altera post hanc vita luendis traduntur, inter nugas et aniles superstitiones adnumeranda esse; illumque iccirco prudenter agere, qui, dum vita superest, nil de futuro sollicitus, praesentibus bonis uti ac frui totis viribus connititur: ad id quippe natura nos genuit (1). Paucis igitur: Nos ipsi agendi motivos, uti maxime placet, nobis componimus atque paramus; iisque deinceps libenti animo ducimur, nunquam vero nolentes atque inviti trahimur.

(1) Ita nimirum voluptuarii hi homines, in libro *Sapientiae*, loquuntur: *Venite ergo, et fruamur bonis quae sunt, et utamur creatura tanquam in juventute celeriter. Vino pretioso et unguentis nos impleamus, et non praetereat nos flos temporis. Coronemus nos rosis, antequam marcescant; nullum pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra. Nemo nostrum exsors sit luxuriae nostrae; ubique relinquamus signa laetitiae; quoniam haec est pars nostra, et haec est sors.* Vel brevius, uti in *Epistola* S. Pauli ad Corinthios legitur: *Manducemus, et bibamus: cras enim moriemur.*

Quod vero ad bilancis exemplum attinet, ad rem nullomodo hoc facere, nemo non videt: bilanx enim est quid per se passivum et iners; voluntas, contra, activa omnino potentia est. Quod si nihilominus hanc velis, libram vel bilancem appellare, esto quidem: at quaedam est bilanx se ipsam movens et, quo lubet, inclinans. Vi enim, ut diximus, sibi propria gaudet, qua se ad hoc vel illud determinat (V. *Logica*, n. 249). Haec porro vis, quam practicam nuncupavimus, duplici, eaque contraria ratione, sese explicare potis est: potest namque, si verbis hujusmodi uti placet, - deposita in unam librae lancem objectiva rerum dignitate seu entitate, idest sincero ac germano earum pretio; in alteram vero, earumdem valore subjectivo, delectatione scilicet ac voluptate quam res illae nobis afferunt -, potest, inquam, vel efficere, ut prior illa (objectiva nempe rerum dignitas) pondere suo vincat ac lancem deprimat, perinde ac pretium subjectivum nullius omnino sit ponderis; vel, ex adverso, fallax prorsus atque imaginarium pondus bono subjectivo tribuere, adeo ut altera ex parte lanx inclinet atque propendeat (1). Quis enim ignorat, res homines saepenumero, non uti revera sunt, sed quemadmodum illas esse cupiunt, animo effingere: earum videlicet pretium augendo, minuendo, vel quomodocumque immutando? Hac

(1) In rem apte Hyacinthus Carena noster, in opella, quae inscribitur *Essai d'un parallèle entre les forces physiques et les forces morales:* « Il est vrai que l'équilibre moral n'a pas lieu si fréquemment que l'équilibre mécanique, mais cela dépend de ce que l'âme est un être actif et passif à la fois, c'est-à-dire qu'alors même qu'elle éprouve d'une part l'action des motifs qui la déterminent, de l'autre elle peut s'en créer de nouveaux qu'elle ajoute ensuite d'un côté ou de l'autre pour faire pencher la balance, et pour sortir le plus tôt possible d'un état d'inaction si contraire à sa nature ».

quippe ratione se voluntarie decipit homo, sibi fucum facit atque mentitur (V. *Logica* n. 251): ab mendacio porro mala cuncta moralia originem habent (1).

22. Sed hisce minime acquiescunt fatalistae; atque, ut sententiae suae patrocinentur, in medium proferunt naturales hominum propensiones et inclinationes, propriam cujusque indolem, ingenitos vel contractos mores, nec non cupiditates; quibus, ajunt, necessario cedit voluntas et nequicquam obsistere conatur. Profecto, humanam naturam immutari posse quis dixerit? (2).

Respondemus, naturales quidem hominibus, easque diversas, propensiones atque inclinationes esse, adeo ut alii libidinosi, alii iracundi, aut crudeles, aut superbi naturâ sint, alii talibus vitiis abhorreant; non inde tamen sequi, ad quod natura allicit atque sollicitat, ad id unumquemque necessario etiam trahi et cogi: in hominis quippe potestate semper est, hujuscemodi propensionibus ac stimulis, et, - si fas est hoc uti vocabulo -. *tentationibus*, quibus urgetur, obsecundare vel reluctari (3). Quaecumque autem sit propensionum

(1) Hinc merito Rosminius, in Leibnitium disputans, - qui plus aequo rationis sufficientis vim extulit -, humanae libertatis naturam in hisce duobus consistere animadvertit, idest: « 1° Nello scegliere fra le volizioni; 2° nell'accrescere colla *forza pratica* la prevalenza di una ragione sopra l'altra, sicchè la ragione che prevale e determina la scelta non è sempre prevalente per sè, ma perchè si rende prevalente dalla stessa libertà » (*Teodicea*).

(2) Huc facit Horatianum illud: *Naturam expellas furca, tamen usque recurret;* vel, uti festive, more suo, ait Lafontaine: « Chassez le naturel, il revient au galop ».

(3) Omnino ad rem Cicero: « Non enim, si alii ad alia propensiores « sint propter causas naturales et antecedentes, idcirco etiam no- « strarum voluntatum atque appetitionum sunt causae naturales et « antecedentes: nam nihil esset in nostra potestate, si res ita se ha- « beret. Nunc vero fatemur, acuti hebetesne, valentes imbecilline

atque cupiditatum vis, tantam negamus hanc esse, ut imperium, quod in easdem obtinet ratio, labefactare valeat. Damus quidem libentissime, eo nunquam fortasse, quidquid moliatur, hominem perventurum, ut naturam suam penitus immutet, naturales scilicet propensiones et affectiones ita radicitus convellat, ut alias eisdem contrarias sibi comparet et induat; at illum contendimus, iis repugnare, si velit, atque obniti, easque sternere ac profligare posse (1). Siquidem illi, convenientem operam et diligentiam impendenti, malos affectus emendare, pravas consuetudines antevenire, vel jam partas contundere, vehementissimas cupiditates sapienter praecavendo fraenare, sensim imminuere, easque, ni penitus forsan extirpare, intra aequos limites saltem cohibere, semper datum est. Cujus profecto rei (praeterquamquod unicuique, plus minusve, propria compertum est experientia) complura, eaque celebria, non desunt exempla. Sat est, inter veteres, Themistoclem, Stilponem, Socratem et Polemonem commemorare (2).

« simus, non esse id in nobis. Qui autem ex eo cogi putat, ne ut se- « deamus quidem, aut ambulemus, voluntatis esse, is non videt, quae « quamque rem res consequatur. Ut enim et ingeniosi et tardi ita « nascantur antecedentibus causis, itemque valentes et imbecilli; non « sequitur tamen, ut etiam sedere, et ambulare, et rem agere ali- « quam, principalibus causis definitum et constitutum sit » (*De Fato*).

(1) Quod facilius consequetur, validissimos, quibus fulciatur, bene ac recte agendi motivos in auxilium sibi advocando; praesertim vero in ultimo, uti jam paullo ante innuimus, hominis fine sedulam cogitationem ac mentem figendo. Huc enimvero spectat verissimum illud ac gravissimum *Sapientiae* dictum: *In omnibus operibus tuis memorare novissima tua, et in aeternum non peccabis.*

(2) De Themistocle ita scribit Cornelius Nepos: *Hujus vitia ineuntis adolescentiae magnis sunt emendata virtutibus.*

Quod ad Socratem et Stilponem attinet, haec in Ciceronis libro *De Fato* legimus: « Stilponem, Megareum philosophum, acutum sane « hominem et probatum temporibus illis accepimus. Hunc scribunt

Neque tamen inficiamur, in pravis affectibus coërcendis, haud parum homini laborandum esse. Atqui ad laborem natus est homo; atque, ut Jobi verbis utamur, *militia est hominis vita super terram.* Caeterum, labor iste abunde pensatur gloria, tantam victoriam consequente, necnon partis exinde veris commodis bonisque inaestimabilibus (1).

« ipsius familiares et ebriosum et mulierosum fuisse: neque hoc « scribunt vituperantes, sed potius ad laudem. Vitiosam enim naturam ab eo sic edomitam et compressam esse doctrina, ut nemo « unquam vinolentum illum, nemo in eo libidinis vestigium viderit. « Quid? Socratem nonne legimus quemadmodum notarit Zopyrus, « physiognomon, qui se profitebatur hominum mores naturasque ex « corpore, oculis, vultu, fronte pernoscere? Stupidum esse Socratem « dixit, et bardum, quod jugula concava non haberet: obstructas eas « partes et obturatas esse dicebat. Addidit etiam, mulierosum: in « quo Alcibiades cachinnum dicitur sustulisse. Sed haec ex naturalibus causis vitia nasci possunt; extirpari autem et funditus tolli, « ut is ipse, qui ad ea propensus fuerit, a tantis vitiis avocetur, non « est id positum in naturalibus causis, sed in voluntate, studio, disciplina ». Item, in *Tuscul. disputationibus:* « Qui natura dicuntur « iracundi, aut misericordes, aut invidi, aut tale quid; ii sunt ejusmodi constituti quasi mala valetudine animi; sanabiles tamen, ut « de Socrate dicitur. Cum multa in conventu vitia collegisset in eum « Zopyrus, qui se naturam cujusque ex forma perspicere profitebatur, derisus est a caeteris, qui illa in Socrate vitia non agnoscerent: ab ipso autem Socrate sublevatus, cum illa sibi signa, sed « ratione, a se dejecta diceret ».

Polemo demum, quem luxuria et lascivia diffluentem Diogenes Laërtius narrat, quum quadam die, delibatus unguentis, redimitus floribus, subnixus meretricibus, antelucano potu ebrius, - fortasse jocandi causa -, Xenocratis scholam esset ingressus, hunc, de virtutibus et vitiis disputantem audivit. *Quo audito*, inquit S. Ambrosius, *coronas, ut ajunt, sensim detraxerit, unguenta deterserit, scortis valedixerit, philosophus postea tantus evaserit, ut esset sobrietatis exemplum, qui fuerat ante ebrietatis ludibrium* (De Elia et jejun.).

(1) Si haec probe teneantur, facile diluuntur argumenta, quae nonnulli, nostra aetate, Germani praesertim, scriptores adversus humanam libertatem objiciunt; quae tamen omnia, - ubi a verborum copia atque eruditionis varietate quibus involvuntur, extrices -, ad hoc simpliciter reducuntur: In humanam voluntatem influunt atque agunt corporis constitutio, aetas, sexus, vivendi ratio, coeli temperies, clima, locorum varietas, educatio, naturales animi propensiones, affectus et similia; ergo voluntas humana, in iis quae intus decernit, non est libera: perinde ac, voluntatem ad aliquid allicere, sollicitare, plus minusve fortiter commovere, idem sit atque illam ineluctabili vi cogere, ad quidpiam volendum adigere, hoc vel illo modo sese

23. 3º Tandem opponunt fatalistae praescientiam Dei, quam cum hominis libertate omnino pugnare contendunt. Deus, ajunt, futura omnia, proindeque hominis cujusque determinationes et, qui inde, consequentur, actus praevidet. Quum porro Deus sit falli nescius, certe ac necessario, quod ipse praevidit, continget. Nulla igitur in homine libertas volendi vel non volendi, agendi vel non agendi; siquidem homo, ni ponas Deum posse decipi, - quod absurdum est -, eo infallibiliter modo aget, quo illum Deus acturum praesensit.

Huic oppositioni satisfacturi, id in primis animadvertimus, praescientiam Dei et humanam libertatem, binas esse veritates aeque indubias atque certissimas. Quapropter inique ac praepostere ratiocinari dicendi sunt, tum qui, ad Dei praescientiam tuendam, hominem libertate carere affirmant, tum qui, ex adverso, ut hanc sartam tectam conservent, Deum futuri praescium negant: quod quidem Ciceroni evenisse constat; qui, uti argute animadvertit S. Augustinus, *ut nos faceret liberos, fecit sacrilegos* (De civit. Dei). Utraque igitur haec veritas firmiter tenenda; tametsi fortasse alteri alteram conciliare simulque eas componere datum nobis non esset. Quod profecto

---

determinandi necessitatem illi inferre; quae duo quantum inter se distent, nemo est quin videat. Horum porro delectus si teneatur, penitus corruit et evanescit sophisma, cui totum hoc fatalistarum systema innititur: anile sane, et jam millies profligatum; quod nihilominus, - nuperrime recoctum et novo solum apparatu obnuptum -, veluti quid inauditum et recens inventum gloriose jactatur, et a sciolis quibusdam ad sidera tollitur. — Verissima autem nos loqui, facile cuique patebit, scriptorum, quos supra memoravimus, opera paullo attentius legenti: inter quae praesertim *Analisi fisiologica del libero arbitrio umano*, auctore Alexandro Herzen; et quod, ab Jac. Moleschott exaratum, inscribitur *La circolazione della vita.* Ex his autem duobus disce omnes.

mirum videri non debet: est enim finita et imbecillis mens hominum. Quot enimvero sunt, extra omnem dubitationem posita atque certissima, quae nihilominus humanae intelligentiae captum exsuperant! (1). Quanquam, ut propositum solvatur objectum, ad haec confugiendum nobis non est. Etenim rem aliquam futuram simpliciter praevidere, idem non est atque ipsam determinare eique necessitatem imponere: simplex quippe praevisio naturalem rerum ordinem haudquaquam immutat, neque ullam in hominum actiones vim habet; nec magis profecto libertati officit cognitio rerum futurarum, quam praeteritarum recordatio. Quae igitur Deus unumquemque nostrum facturum praesentit, certissime quidem, non autem necessario contingunt (2). Brevi: Deus infallibiliter praevidet, hoc vel illo modo, sponte sua ac *libere* homines acturos (3). Quare hominum actiones haudqua-

(1) Hisce porro in adjunctis, hanc *Regulam* prae oculis habere opus est: « Quoties firmis probationibus solidisque argumentis aliqua nititur veritas, quidquid adversus eam objicitur, infixam menti nostrae persuasionem nec commovere nec debilitare debet ». Longe enim aliud est intelligere, rem aliquam absurdam esse; aliud autem, quidquid ad eam rem pertinet nescire. Quod si de veritate quapiam quaestio proponatur insolubilis, id nostram tantum inscitiam ostendit; sed veritatem ipsam, - quae per se firma atque immutabilis est -, convellere ac labefactare nequit. Caeterum, hic juvat recolere quae in Logica (n. 56), de discrimine diximus inter ea quae *supra*, et quae *contra* rationem sunt.

(2) « Nè può dirsi, ad rem Giobertius noster, che un effetto infallibile sia fatale; giacchè la certezza riguarda il fatto, e la necessità esclude la potenza; onde la premozione (come eziandio la semplice previdenza divina) importa l'una e non l'altra di tali condizioni » (*Teorica del sovranaturale*).

(3) Ita nimirum strenue in Ciceronem argumentatur S. Augustinus: « Non est autem consequens, ut si Deo certus est omnium ordo cau- « sarum, ideo nihil sit in nostrae voluntatis arbitrio. Et ipsae quippe « nostrae voluntates in causarum ordine sunt, qui certus est Deo, « ejusque praescientia continetur, quoniam et humanae voluntates « humanorum operum causae sunt. Atque ita qui omnes rerum cau- « sas praescivit, profecto in eis causis etiam nostras voluntates igno-

quam fiunt, eo quod eas praevidet Deus; quin potius has Deus praevidet, quod futurae sunt (1).

Animadvertendum tamen hic est, quum de Deo loquimur, improprie dici, res illum *praevidere*, perinde ac in eo esset temporum successio. Atqui nil futuri aut praeteriti in Deo admittendum est: quem nec *fuisse*, nec *futurum* esse, sed *esse* tantum affirmare licet. Deus quippe omnia, quae, ad nos quod spectat, praeterita vel futura sunt, unico ac simplicissimo intuitu, tamquam actu praesentia, *videt*. At enim, factum quodpiam simpliciter videre quemadmodum hic et nunc est aut fit, ipsius facti naturam vel minimum immutare quis dixerit? Tota igitur in eo est difficultas, quod modus, quo Deus res videt atque intelligit, homines latet; ideo autem latet, quod Deus incomprehensibilis est: incomprehensibilitas enim, - non secus ac infinitas, immensitas, aeternitas -, ad Dei essentiam pertinet; neque, hoc demto attributo, Deus esse vel concipi posset (2).

24. Caeterum, utut in tricas conjicere nos stu-

« rare non potuit, quas nostrorum operum causas esse praescivit » (*De civit. Dei*).

(1) *Non enim*, ad rem S. Hieronymus, *ex eo quod Deus scit futurum aliquid, idcirco futurum est; sed quia futurum est, Deus novit, quasi praescius futurorum* (Comment. in Jerem.). Similiter Origenes: *Non propterea aliquid erit, quia id scit Deus futurum, sed quia futurum est, ideo scitur a Deo antequam fiat* (In epist. ad Romanos).

(2) « Toute la difficulté sur la préscience, ait Julius Simonus cl. Vir, tient à ce qu'on oublie que l'existence de Dieu est parfaite et infinie, et que par conséquent elle est en déhors du mouvement et du temps. Nous savons que nous sommes libres, parce que nous le sentons; et nous savons que Dieu connaît tout, parce que nous le prouvons; mais nous ne savons pas comment Dieu connaît, parce qu'il est incompréhensible. Nous savons qu'il n'y a pas pour lui de loin et de près dans l'ordre de l'espace, ni de passé et de futur dans l'ordre du temps; mais nous ne pouvons nous figurer cette existence que le temps et l'espace n'enveloppent pas, parce que la condition de notre existence propre est d'être enveloppée par le temps et l'espace » (*Le Devoir*).

deant, et quidquid in humanam libertatem objiciant fatalistae, in promtu semper nobis est responsio, qua una vis omnis argumentorum, quaecumque haec sint, convellitur: haec autem est vox conscientiae, quae unicuique, ut vidimus, se revera in volitionibus suis liberum esse, perspicue testatur. Quocumque igitur in casu, ad ipsum libertatis *factum* fatalistas provocare sat est (1). Siquidem contra factum reluctari, nefas plane est atque insipientis (2).

SECTIO SECUNDA

ALTERUM BONI MORALIS ELEMENTUM.

25. Alterum, ut diximus (n. 5), boni moralis elementum est lex: *lex* nempe *moralis;* quae ab aliis cujuscumque generis legibus omnino differt (3):

---

(1) Quod enimvero Diogenem fecisse narrant; qui, ut absurdum Zenonis commentum, motus possibilitatem negantis, prorsus conficeret, coram eo deambulans: Adeo verum est, inquit, possibilem esse motum, ut me reapse moveri tu videas.

(2) « On comprend fort bien, quemadmodum laudatus J. Simonus probe animadvertit, qu'on oppose un raisonnement à un autre; mais il est à coup sûr moins sensé d'opposer un raisonnement à l'expérience, et de vouloir détruire par un échafaudage de syllogismes le témoignage des sens et de la conscience ». Nullum quippe ratiocinium, speciosum licet ac subtilissimum, efficiet unquam, ut quod est, illud non sit. Vel, uti elegans nostri aevi scriptor recte admonet: « Il ragionare contro al fatto non è indizio di sana mente ».

(3) Triplex potissimum est rerum ordo: *logicus* (ordo nimirum cogitationis seu intelligentiae), *physicus* et *moralis*. Cujusque autem ordinis propriae ac peculiares sunt leges, quibus ipse regitur. Sic ad ordinem logicum spectant leges grammaticorum et dialecticorum (V. *Logica*, n. 360). Item leges eloquentiae, poësis etc. Inter leges ordinis physici, lex eminet Newtoniana, universalis nempe attractionis seu gravitatis; eique proxime accedunt, quae a magno Keplero fuerunt detectae. Totidem insuper leges physicae sunt illae, quibus reguntur corporum, cum solidorum tum fluidorum, motus vel aequilibrium; phoenomena electrica et magnetica; necnon ea, quae lux et caloricum exhibent, - sive directe emittantur, sive reflexionem aut refractionem subeant. Hisce tandem legibus illae adnumerari debent, quibus tota innititur Chymica, idest leges aggregationis, cohaesionis atque affinitatis; unde assiduae ac perennes immutationes et transformationes, admirabili sane ordine, in mundo existunt, qui ideo « circulus aeterni motus » merito nuncupari consuevit; graeco autem κόσμος, *ordo*.

Sed de legibus, quae ad ordinem moralem attinent, hic tantum nos agimus.

entium namque propria est, quae intelligentia ac libertate sunt praedita (1).

CAPUT I.

De lege morali generatim, ejusque speciebus.

26. *Legis moralis* nomine generatim intelligitur regula agendorum, ab superiore ac legitima auctoritate entibus intelligentibus praescripta; vel expressius: « notio mentis, cujus ope judicamus de actuum humanorum moralitate, quamque in agendo sequi debemus ».

Dicitur 1° *notio mentis:* lex namque moralis, quaecumque sit, nil est aliud, ut modo innuimus,

---

(1) Moralem a caeteris legibus, eleganter, more suo, ita distinguit Bossuetus: » C'est un effet admirable de la Providence qui régit le monde, que toutes les créatures vivantes et inanimées portent leur loi en elles-mêmes. Et le ciel, et le soleil, et les astres, et les éléments, et les animaux, et enfin toutes les parties de cet univers ont reçu leurs lois particulières, qui, ayant toutes leurs secrets rapports avec cette loi éternelle qui réside dans le Créateur, font que tout marche en concours et en unité suivant l'ordre immuable de sa sagesse. S'il est ainsi, chrétiens, que toute la nature ait sa loi, l'homme a dû aussi recevoir la sienne: mais avec cette différence, que les autres créatures du monde visible l'ont reçue sans la connaître, au lieu qu'elle a été inspirée à l'homme dans un esprit raisonnable et intelligent comme dans un globe de lumière, dans lequel il la voit briller elle-même avec un éclat encore plus vif que le sien, afin que, la voyant, il l'aime, et que, l'aimant, il la suive par un mouvement volontaire » (*Sermon sur la haine des hommes pour la vérité*).

quam norma seu regula agendi. Quid porro hujuscemodi norma esse potest, nisi aliquid mentale, idea nimirum, cui humanas actiones conferimus, ut earum qualitas, bona vel mala, internoscatur? (1).

2° *Cujus ope judicamus de actuum humanorum moralitate:* ita nimirum notio, quae legem moralem constituit, a caeteris notionibus secernitur. Qualibet enim notione sive idea, tamquam judiciorum nostrorum regula, uti possumus: sic idea *pulcritudinis* est regula seu instrumentum, quo de operis alicujus picti, v. gr., vel sculpti, pulcritudine aut deformitate judicium ferimus. Hoc tamen judicium nonnisi speculativum est, aeque ac aliud quodcumque, cujus vi propositio aliqua utpote vera vel falsa affirmatur. At quum idea quaepiam, tamquam regula, non jam cogitandi simpliciter, sed agendi, - quemadmodum nostro in casu -, adhibetur, tunc enimvero principii moralis, seu verae legis characterem induit: quippe quae nobis declarat, quid facere, quid vero praetermittere deceat, ut bona et recta sit actio.

3° Demum, *quam in agendo sequi debemus:* quibus verbis, legis essentia proprie enuntiatur, quae in obligatione, certa quadam ratione agendi consistit. Lex namque, - boni et mali conceptu sub oculos posito -, illud amplectendi, hoc autem defugiendi obligationem insuper nobis inducit. *Obligatio* porro est « quaedam moralis necessitas, qua se homo adstringi persentit, sic potius quam secus agendi, ni propriae dignitatis, idest

(1) « Il paragone (uti jam alias cum P. Jordanio, animadvertimus) dee farsi verso un modello che è nella nostra mente» (V. *Logica*, n. 209).

boni moralis, - quod est bonum humanae personae proprium ac peculiare -, jacturam facere velit ». *Necessitas*, inquam, *moralis*; quae a necessitate *physica* maxime differt (1). Physice quidem, hoc vel illo modo agere homini datum est: libertate quippe, ut vidimus, hic gaudet; at ex his unum alteri praeferre omnino debet, ne se corrumpi ac perverti sinat, neque ab ea conditione desciscat, quae hominem decet. En necessitas moralis.

27. Quid sit lex moralis, generatim sumpta, diximus; videndum modo, quaenam illius praecipuae sint species.

Sed id in primis manifestissimum est, legem a Deo ipso, rerum omnium principio et auctore, ortum ducere; a Deo autem, imperandi ac leges ferendi jus hominibus traditum, juxta illud S. Pauli ad Romanos: *Non est potestas nisi a Deo.*

28. Lex itaque, *divina* est, vel *humana:* prout a Deo directe, vel ab hominibus fluit.

Lex autem divina in *positivam* seu revelatam, et *aeternam* dividitur (quae postrema, quatenus eam rationalis creatura participat, *naturalis* vel rationalis appellatur). Haec necessaria est atque immutabilis; illa vero ab libera Dei voluntate pendet (2).

Duplex itidem distinguitur lex humana: *ecclesiastica* nimirum seu canonica, quae a potestate

(1) Sic *physice* necesse est, corpus, minime suffultum, ad terram ruere; ignem calefacere; animal, ni cibo vires reficiat, serius ocius interire; et alia hujusmodi.

(2) Hinc positiva erat lex, Adamo imposita, vetans, « ne comederet de ligno scientiae boni et mali ». Haec vero praecepta: « Unum cole Deum »; - « Quod tibi factum non vis, alteri ne feceris », et similia, ad legem naturae pertinent.

ecclesiastica; et *civilis*, quae ab civili sive politica dimanat.

29. Collectio seu complexus plurium legum, simul ordine dispositarum, dicitur *codex*. Qui, pro varia legum ipsarum qualitate ac natura, vario etiam nomine donatur: hinc codex *civilis*, *poenalis* etc. Codex sacer, idest leges divinas complectens, vocatur *Biblia*, vetus nempe ac novum Testamentum.

Sed de legibus positivis, cum divinis tum humanis, agere ad nos minime spectat: theologorum et jurisconsultorum id muneris est. Ethica nonnisi in legem naturalem, quae ceterarum fons est atque fundamentum, considerationem intendit. Lex namque naturalis, vel, si mavis, aeterna est lex per essentiam; alia autem quaelibet, per participationem tantum, et quidam, pene dixerim, ipsius aeternae legis effectus.

CAPUT II.

De lege naturali.

30. De lege naturali dicturis, tria nobis proposita sunt: 1° quid legis naturalis nomine veniat, quaenam videlicet sit ejus *essentia;* 2° legis hujus *existentiam* demonstrare; 3° tandem, ad simplicissimam expressionem, analysis ope, ipsam reducendo, ad *supremum* usque *morale principium* adsurgere.

Art. 1. — *De legis naturalis essentia ejusque characteribus.*

31. Hominem, quatenus ad civilem societatem pertinet, positivis quibusdam legibus adstringi, quibus illum parere opus est, ni contumaciae suae poenas pendere velit, neminem profecto latet.

At enim, quae in codicibus civilibus vel poenalibus praescripta leguntur, veraene leges dicendae sunt? vine obligandi revera pollent? Quod si hanc habent vim, undenam arripuerunt, unde sustûlerunt? Dicesne, me ad aliquid faciendum teneri, propterea quod improbus quispiam, viribus praevalidus, me illud facere cogit? impotenti, ex adverso, atque infirmo parenti nullum amplius obsequium praestare filium debere? At vide, ne coactionem et *violentiam* cum *obligatione morali* confundas, quae toto coelo inter se distant (V. n. 26).

32. Ex his facile quisquis intelligit, - ni aliqua inesset lex, humana qualibet voluntate superior, et cui sese voluntas ipsa subjicere ac parere tenetur: lex nimirum suprema, *ad quam*, uti ait Cicero, *leges hominum diriguntur*, *quae supplicio afficiunt improbos*, *defendunt et tuentur bonos* (De legib.), nullas omnino leges humanas esse posse; quaeque hoc fortasse nomine donantur, nonnisi abusive atque improprie ita illas vocari, omnique imperandi virtute carere (1), non secus ac jussa quaelibet vel imperata, quae ab suprema illa lege dissentiunt (2).

---

(1) Quare character juridicus, quo humanam legem quamlibet insigniri oportet, ita breviter a S. Thoma definitur: *Omnis lex humanitus posita in tantum habet de ratione legis, in quantum a naturae lege derivatur.*

(2) Praeclare ad rem nostram Portalis: « Quand Fouquier-Tinville

33. Suprema haec *justi et injusti regula*, uti eam appellat Seneca (*De benef.*); ad quam, veluti ad normam, humanae omnes componendae sunt leges, ea nimirum est, quae *lex naturalis* nuncupari consuevit. Quae, ut vulgo intelligitur, nil aliud est, quam « recta ratio » (1).

Ex quo liquido patet, humanam rationem, per se nequaquam, sed quatenus est recta, *legem* esse dicendam. Profecto, quis asserat, se ipsum sibi obligare, una videlicet legislatorem et legi obnoxium esse hominem posse? (2). Quod si homini lege aliqua se obstringere datum esset, nonne hac ipsa se arbitratu suo solvere illi liceret? Ad haec, simplex hominis potentia, aliquid proinde *subjectivum*, est ratio; lex, contra, *objectiva* est, homine longe praestantior, ab eo nullomodo pendens, eique imperans. Hujusmodi porro est recta ratio.

34. At hic jam quaeritur, undenam ratio humana illam, qua vera lex fit, *rectitudinem* hauriat; quidnam videlicet efficiat, ut *recta* illa dicatur?

Haud aliud profecto id est, quam quod *lumen*

demandait au vénérable Angran d'Alleray s'il ne connaissait pas la loi révolutionnaire qui défendait, sous peine de mort, aux pères, restés en France, de faire parvenir des secours alimentaires à leurs fils émigrés, il signalait à son attention un fait *illicite*. Mais quand le généreux vieillard répondait à Fouquier-Tinville qu'il connaissait une loi supérieure aux décrets de la Convention, la loi de la nature, qui prescrit aux pères de secourir leurs enfants dans le besoin, et que c'était à cette loi qu'il avait obéi, il confessait une *bonne action;* et l'émotion sympathique de l'auditoire prouvait evidemment que les lois qui désavouent la morale, sont désavouées elles-mêmes par le cri spontané de la conscience humaine » (*L'Homme et la Société*).

(1) *Est quidem*, ait Cic., *vera lex recta ratio, naturae congruens, diffusa in omnes, constans, sempiterna, quae vocet ad officium jubendo, vetando a fraude deterreat; quae tamen neque probos frustra jubet aut vetat, nec improbos jubendo aut vetando movet* (De republ.).

(2) Unde illud *Digesti* effatum: *Neque imperare sibi, neque se prohibere quisquam potest*. Similiter Seneca: *Nemo*, inquit, *sibi debet, et hoc verbum* debere *non habet nisi inter duos locum* (De benef.).

rationis appellari consuevit (V. *Logica*, n. 181): lux nempe illa, quae, - veluti quidam divinae Sapientiae radius -, humanae mentis oculis splendescit; cujusque crebra in sacris Litteris fit mentio (1). Quod si proprie et extra metaphoram loqui velimus, hoc lumen est ipsa universalis entis idea: *ens* nempe *ideale*, homini congenitum, quodque essentialem humanae intelligentiae formam constituit (V. *Logica*, n. 168). Idea igitur entis, quatenus agendorum est regula, lex naturalis recte nuncupatur. Qua super re et S. Thomam nobis penitus consentientem habemus; a quo lex naturalis definitur *Conceptio naturae indita, ad operandum convenienter* (2).

35. Sed et alia, quae tamen eodem redit, a Doctore angelico traditur naturalis legis definitio. Ejus namque sententiâ, *Lex naturalis nihil aliud est, quam participatio legis aeternae in rationali creatura* (V. n. 28).

Lex autem *aeterna* dicitur « ratio aeterna Dei, sempiternis rerum ideis et necessario earum ordini consentanea » (3); vel, quemadmodum contra Faustum ait S. Augustinus: *Ratio divina vel vo-*

(1) *Lux vera, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, uti legitur in evangelio S. Joannis. *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine*, ait psalmista: *quasi lumen rationis naturalis, quo discernimus quid sit bonum et quid sit malum, quod pertinet ad naturalem legem, nihil aliud sit, quam impressio divini luminis in nobis*, quemadmodum interpretatur S. Thomas; qui expressius etiam, alio loco, rem hisce verbis declarat: *Ratio hominum secundum se non est regula morum, sed principia ei naturaliter indita (per lumen rationis) sunt regulae quaedam et mensurae omnium eorum, quae sunt per hominem agenda*. Quod paucis ita colligit Giobertius: « La ragione è certamente autonoma; ma non la nostra, sì bene quella di Dio » (*Introduzione* ecc.).

(2) Merito itaque legem moralem, generatim sumptam, *mentis notionem* nuncupavimus (n. 26).

(3) Ita nimirum sentit et Cicero; qui legem, *rationem summam* (proindeque *aeternam* et *divinam*) appellat: *Lex est ratio summa, insita in natura, quae jubet ea quae facienda sunt, prohibetque contraria* (De legib.).

luntas Dei, ordinem naturalem conservari jubens, perturbari vetans (1).

36. Quae de naturali lege diximus, probe perspectis, jam nullo negotio essentiales ejus characteres dignoscere licet. Profecto, quum lex naturalis aliud non sit, quam idea seu veritas prima, humanae *rationi* ingenita (quae idcirco natura-

(1) Animadvertendum tamen hic est, quum legem aeternam, cum S. Augustino, *Dei voluntatem* dicimus, de voluntate ejus libera, - vel, ut etiam vocant theologi, indifferente -, nequaquam nos loqui, sed *necessaria* (quaeque ab ipsa, uti ex definitione patet, Dei ratione non discrepat): quatenus nempe Deus nequit non amare quod intrinsece bonum est, et malum intrinsecum non odisse. In Dei quidem potestate erat hominem creare, vel non. At, posita hominis, - entis nimirum intelligentis ac liberi -, creatione, jam non potuit Deus agendi regulas haud illi praescribere, quas lex naturae complectitur; secus enim contradictoria efficeret ac secum ipse pugnaret: integram scilicet naturam humanam vellet, et una non vellet; quod profecto nefas est dictu.

Errat itaque Puffendorfius, qui omnis moralitatis vim in Dei voluntate quadam determinata ponit; aitque primum illius auctorem esse Deum, qui noluit, mortales hanc vitam sine cultu, sine moribus, brutorum adinstar, vivere. Hinc docet, moralitatis qualitatem rebus physicis, arbitrio Dei superadditam, adeoque unice per illius determinationem existere. Alicujus etiam moralitatis originem in hominum, qui leges condiderunt, voluntate agnoscit. Unde sequitur Deum (quod et ipse Puffendorfius aperte profitetur) moralitatis vim cunctis humanis actibus auferre posse. Neque aliter de actibus dicendum, quibus humanum ipsum arbitrium moralitatem tribuit. Brevi igitur: humana quaelibet actio, Puffendorfii sententiâ, moralitatem omnem suam, vel liberae Dei, vel hominum etiam voluntati acceptam refert. Atqui Dei voluntas, sive quid vetet sive jubeat, non est tota ratio bonitatis et malitiae, quae est in observatione legis naturalis ejusque transgressione, sed ipsis in actibus necessariam quamdam supponit honestatem vel turpitudinem; quibus peculiarem tantum divinae legis obligationem adjungit. Profecto, si *odio Dei*, ex. gr., aliqua intrinsecae pravitatis ac malitiae non inesset ratio, quae prohibitionem ipsam antecedit, jam posset illud non prohiberi, vel juberi etiam: cur enim non posset, si per se malum non esset? Ergo Dei odium posset licere, vel esse honestum; item, mentiri, pejerare, furari, calumniari et similia: quod plane repugnat et exsecrabile dictu est. Quapropter Puffendorfium, in *Epistola* ad Molanum, ita merito insectatur Leibnitius: *Neque ipsa norma actionum, aut natura justi a libero ejus* (Dei) *decreto, sed ab aeternis veritatibus, divino intellectui objectis, pendet, quae ipsa, ut ita dicam, divina essentia constituuntur..... Neque enim justitia essentiale Dei attributum erit, si ipse jus et justitiam arbitratu suo condidit.*

liter est *recta*) inde consequitur, iisdem et ipsam, quibus prima veritas fulget, characteribus gaudere.

1° Itaque lex naturalis, *una* omnibus hominibus et *eadem* est: nam una et eadem semper est entis idea, ut ut innumerae, quae illam intuentur, sint mentes; unum videlicet lumen rationis divinitus nobis datus: *Lux vera, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.*

2° Est *universalis:* omnes nempe indiscriminatim homines, nullo non tempore et ubique adstringit atque obligat. Hac propterea lege nemo est immunis; huic principes aeque ac subditi parere tenentur.

3° *Immutabilis* et *necessaria* (V. n. 28): utpotequae naturae ipsi, idest intrinseco rerum ordini, innititur, nullo autem pacto a libero Dei vel hominum arbitrio pendet. Quo fit, ut, - dum quamlibet aliam legem, pro temporum aliorumque adjunctorum varietate, plus minusve immutare vel totam quoque abolere licet, aliquando etiam decet -, longe secus de lege naturali dicendum est. Quum namque nil aliud haec jubeat quam bonum intrinsecum, et nonnisi intrinsecum malum vetet, - bonum autem et malum intrinsecum idem semper sit, neque ulli unquam, nullo prorsus in casu, vicissitudini ac mutationi subjici possit (1); jam inde colligitur, legem naturalem immutabilem esse (2),

(1) *Numquid*, quaerit S. Augustinus, *aliquando aut alicubi injustum est diligere Deum ex toto corde, ex tota anima, et ex tota mente, et diligere proximum tamquam teipsum?* (Confess.).

(2) Sunt qui legem naturae immutabilem esse negent: quandoquidem, ajunt, ea saepe Deus homines exemit. Nonne homicidium ac furtum hac lege sunt vetita? Attamen Deus, uti ex Genesi et Exodo novimus, Abrahamum occidere filium suum, et Hebraeos vasa Aegyptiorum argentea et aurea surripere jussit.

Ad haec respondemus, jus naturae incapax esse mutationis verae,

necessariam, absolutam, ideoque aeternam atque divinam (1).

Art. 2. — *De legis naturalis existentia.*

37. Quamvis hactenus dicta de legis naturalis essentia, una illius existentiam aperte demonstrent (nil enim aliud, praeter ipsum legis naturalis factum, exposuimus), optimum tamen ducimus, - de re quippe maximi, hisce praesertim moribus atque temporibus, momenti agitur -, praecipua argumenta paullo attentius evolvere, quae veritatem hanc extra omnem dubitationem ponant.

quae legem ipsam ejusque obligationem directe afficiat, iisdem manentibus adjunctis; est tamen capax mutationis, improprie dictae. Si enim materia juris, potestati Dei, - qui rerum omnium absolutus est dominus -, subjecta sit, tunc lex naturae non obligat, nisi hac conditione posita: « Dummodo Deus, ut dominus absolutus, via extraordinaria, aliter non disponat ». Aliter porro disposuit Deus, quum Isaac jussit occidi, materiam subducendo, idest faciendo, ne occisio Isaaci esset materia praecepti negativi: *Non occides*. Ex quo patet, siquem Deus occidi praecipiat, si res alicujus auferri, non inde licitum fieri homicidium aut furtum, - quae voces vitium semper involvunt -, sed non esse homicidium aut furtum, quod, Deo, - vitae et rerum supremo Domino -, auctore fit; profecto, cui Deus in rem alterius dominium dedit, haud rem alienam hic aufert, sed suam sumit. Probe igitur materiae legis mutatio, ab legis ipsius mutatione distinguenda est. Rem sic declarat S. Thomas: « Quando filii Israël praecepto Dei tu- « lerunt Aegyptiorum spolia, non fuit furtum, quia hoc eis debebatur « ex sententia Dei. Similiter et Abraham cum consensit occidere fi- « lium, non consensit in homicidium, quia debitum erat eum occidi « per mandatum Dei, qui est dominus vitae et mortis. Ipse enim est « qui poenam mortis infligit omnibus hominibus justis et injustis pro « peccato primi parentis. Cujus sententiae si homo sit executor au- « ctoritate divina, non erit homicida, sicut nec Deus. » (*Sum.*).

(1) Hosce omnes legis naturalis characteres ita, in lib. *De republ.*, splendide exponit Tullius: « Huic legi nec obrogari fas est, nec dero- « gari ex hac aliquid licet, neque tota abrogari potest. Nec vero aut « per senatum, aut per populum solvi hac lege possumus. Neque est « quaerendus explanator, aut interpres ejus alius. Nec erit alia lex « Romae, alia Athenis, alia nunc, alia posthac; sed et omnes gentes, « et omni tempore una lex, et sempiterna, et immortalis continebit; « unusque erit communis quasi magister et imperator omnium Deus. « Ille legis hujus inventor, disceptator, lator ».

38. Jam porro, aliquid in humanis actionibus, boni vel mali, honesti vel turpis, per se et naturaliter inesse, - nulla humanarum praescriptionum aut legum habita ratione -, vel, si mavis, bonum et malum morale, virtutem et vitium, intrinsece atque essentialiter inter se differre, - aeternam proinde, immutabilem atque necessariam homini naturâ inditam esse legem, quae illam praecipiat, hoc autem vetet -, luculentissimum in primis argumentum nobis praebet *sensus* et *instinctus moralis* (de quo in *Logica* dictum est, n. 123); cujus vi, - nulla praecedente reflexione vel inito calculo -, ad res quasdam, ut pote bonas et laude dignas, diligendas (cujusmodi sunt pauperum miseratio, solatium et auxilium miseris latum, defensio innocentis ultro suscepta et similia); alias vero (ut puta mendacium, ingratum animum, proditionem, perfidiam) tamquam pravas ac vituperabiles, odio habendas atque improbandas, sponte ac natura ipsa omnes impellimur (1).

Nequis autem dicat, dum haec animo revolvimus, nil aliud, nisi quod nobis sit bonum et com-

(1) Haud injucundum erit, eloquentissimum Russojum hac super re loquentem audire: « Rentrons en nous-mêmes, ô mon jeune ami! examinons, tout intérêt personnel à part, à quoi nos penchants nous portent. Quel spectacle nous flatte le plus, celui des tourments ou du bonheur d'autrui?... Pour qui vous interessez-vous sur vos théâtres? Est-ce aux forfaits que vous prenez plaisir? Est-ce à leurs auteurs punis que vous donnez des larmes?... S'il n'y a rien de moral dans le cœur de l'homme, d'où lui viennent donc ces transports d'admiration pour les actes héroïques, ces ravissements d'amour pour les grandes âmes?... Voit-on dans une rue ou sur un chemin quelque acte de violence et d'injustice, à l'instant un mouvement de colère et d'indignation s'élève au fond du cœur, et nous porte à prendre la défence de l'opprimé... Au contraire, si quelque acte de clémence ou de générosité frappe nos yeux, quelle admiration, quel amour il nous inspire! qui est-ce qui ne se dit pas, J'en voudrais avoir fait autant? » (*Émile*).

modum, nos quaerere; utilitati nostrae unice studere. Quaenam, quaeso, inter admirationem qua in virtutem rapimur, et utilitatem nostram interest ratio? quaenam vero inter hanc, et exsecrationem qua vitium insectamur? (1). Virtutem igitur non eo solum, quod aliquid ex illa utilitatis capimus, amore prosequimur, sed per se et propter se omnino diligimus; neque improbos ob id tantum, quod fortasse nobis nocent, abhorremus, sed quia sunt improbi (2).

Ad haec, id maxime considerare decet, quos memoravimus, affectus, in hominibus generatim, - quaecumque illorum sit aetas, status et conditio -, manifestos fieri. Ab incunabulis, paene dixerim, pueri nequitiam et improbitatem aversantur, exhorrent; grati ac memores sunt beneficii; diligentes se diligunt. Iisdem autem, - in virtutis et vitii conspectu -, sensibus affici videre est rudem quemlibet ac bardum, quibus vel philosophi

(1) « Il nous importe sûremont fort peu, pergit celeber Genevensis philosophus, qu'un homme ait été méchant ou juste il y a deux mille ans; et cependant le même intérêt nous affecte dans l'histoire ancienne, que si tout cela s'était passé de nos jours. Que me font à moi les crimes de Catilina? ai-je peur d'être sa victime? Pourquoi donc ai-je de lui la même horreur que s'il était mon contemporain?.. Non seulement nous voulons être heureux, nous voulons aussi le bonheur d'autrui; et quand ce bonheur ne coûte rien au nôtre, il l'augmente. Enfin l'on a, malgré soi, pitié des infortunés; quand on est témoin de leur mal, on en souffre. Les plus pervers ne sauraient perdre tout à fait ce penchant; souvent il les met en contradiction avec eux-mêmes. Le voleur qui dépouille les passants couvre encore la nudité du pauvre; et le plus féroce assassin soutient un homme tombant en defaillance ».

(2) *Nihil est*, ad rem Cic., *virtute amabilius, quam qui adeptus erit, ubicumque erit gentium, a nobis diligetur* (De nat. deor.). Et in lib. « De amicitia »: *Nihil est amabilius virtute; nihil quod magis alliciat ad diligendum: quippe quum, propter virtutem et probitatem, eos etiam, quos nunquam vidimus, quodam modo diligamus. Quis est qui C. Fabricii, M Curii non cum caritate aliqua et benevolentia memoriam usurpet, quos nunquam viderit? Quis autem est, qui Tarquinium superbum, qui Sp. Cassium, Sp. Maelium non oderit?*

ipsi ac doctrina praestantes afficiuntur. Hi igitur sensus, fugitivi nequaquam et adventitii, quique temporis progressu vel reflexionis ope evanescunt, sed diuturni atque indelebiles sunt; qui nulla proinde, cur in hominibus jugiter se prodant, inesset ratio, ubi nullum, inter aequum et iniquum, inter virtutem et vitium, naturale, intrinsecum atque essentiale discrimen intercederet.

39. Alterum, idque validissimum et quo jam saepius usi sumus, argumentum existentiae legis naturalis ab universali et perenni hominum consensu eruitur. Nusquam profecto gentium homines invenies, penes quos hujuscemodi opinio atque persuasio minime vigeat (1). In hoc autem sapientes omnes atque legumlatores convenire videmus (2). Quid plura? vel improbi ipsi ac sophistae hac de re, licet inviti, una mente consentiunt.

(1) Russojum iterum audiamus: « Jetez les yeux sur toutes les nations du monde, parcourez toutes les histoires; parmi tant de cultes inhumains et bizarres, parmi cette prodigieuse diversité de mœurs et de caractères, vous trouverez partout les mêmes idées de justice et d'honnêteté, partout les mêmes notions du bien et du mal. L'ancien paganisme enfanta des dieux abominables, qu'on eût punis ici-bas comme des scélérats, et qui n'offraient pour tableau du bonheur suprême que des forfaits à commettre ed des passions à contenter. Mais le vice, armé d'une autorité sacrée, descendait en vain du séjour éternel, l'instinct moral le repoussait du cœur des humains. En célébrant les débauches de Jupiter; on admirait la continence de Xénocrate; la chaste Lucrèce adorait l' impudique Vénus; l' intrépide Romain sacrifiait à la Peur; il invoquait le Dieu qui mutila son père, et mourait sans murmure de la main du sien. Les plus méprisables divinités furent servies par les plus grands hommes. La sainte voix de la nature, plus forte que celle des dieux, se faisait respecter sur la terre, et semblait reléguer dans le ciel le crime avec les coupables.

Il est donc au fond des âmes un principe inné de justice et de vertu, sur lequel, malgré nos propres maximes, nous jugeons nos actions et celles d'autrui comme bonnes ou mauvaises » (*Émile*).

(2) *Hanc video sapientissimorum fuisse sententiam, legem neque hominum ingeniis excogitatam, nec scitum aliquod populorum, sed aeternum quiddam, quod universum mundum regeret, imperandi prohibendique sapientia* (Cic., *De legib.*).

Dum enim, inter virtutem et vitium nihil interesse, subtilibus argumentis evincere student, et legem naturalem veluti quid commentitium, ore tenus, habent, re tamen ipsa, secum ipsi pugnantes, illam admittunt: natura quippe homine fortior atque validior est. Intereadum vitiis se toto animo dedunt, virtutem tamen ipsam reverentur; dumque illam factis laedunt et contumelia afficiunt, verbis saltem obsequio atque honore prosequuntur (1). Quapropter neminem reperies, cui se tamquam improbum et scelestum haberi gratum sit; qui crimina et maleficia sua tegere, vel inficiari, vel excusare saltem totis viribus non contendat (2). Nemo est, qui animum inducat, ut, impune licet, scelus aliquod patret, si nulla inde commodum et utilitatem se consecuturum spe teneatur (3). Quis autem est, qui probra ipsa atque flagitia, quorum se fortasse reum sentit, non in aliis improbet ac damnet? hinc merito hypocrisis, quoddam veluti obsequium virtuti praestitum, dicta est. Quisnam lubenti animo easdem illas patitur injurias, quas aliis inferre non dubitat? Si latro, in praeda dispertienda, socios decipere studet, nae hi protinus furti ac fraudis illum insimulant (4). Si nequam et male morato parenti adolescens sit filius, haud hunc profecto impio ille et moribus perdito magistro instituendum tradit (1).

Hinc enimvero misera improborum conditio: qui, quum propriam agendi rationem non improbare nequeant, nec interim a vitii semita recedere animum inducant, anxiam perpetuo ac metu turbatam vitam traducant necesse est.

40. Argumenta hactenus allata, legis naturalis existentiam directe demonstrant. Sed indirecte (V. *Logica*, n. 407) haec demonstrari etiam potest: ab absurdis nimirum, quae, - hac sublata, nulloque hinc posito inter aequum et iniquum discrimine -, necessario orirentur. Quaenam, amabo, inter illos societas vigere unquam posset, qui justitiam, fidem, gratum animum, humanitatem, utpote vaferrimorum hominum commenta et sine sensu voces haberent; neque ab hisce fraudem, mendacium, furtum, homicidium, naturâ differre; brevi: omnia perinde omnibus licere arbitrarentur? (2). Haec enimvero, non hominum, sed belluarum esset societas.

---

(1) *Placet suapte natura, adeoque gratiosa virtus est, ut insitum sit etiam malis probare meliora* (Seneca, *De benef.*).

(2) *Quorum* (impiorum) *nemo tam audax unquam fuit, quin aut abnueret a se commissum esse facinus, aut justi sui doloris causam aliquam fingeret, defensionemque facinoris a naturae jure aliquo quaereret* (Cicero, *De leg.*).

(3) *Quis est enim*, idem ait Cicero, *aut quis unquam fuit aut avaritia tam ardenti, aut tam effraenatis cupiditatibus, ut eandem illam rem, quam adipisci scelere quovis velit, non multis partibus malit ad sese, etiam omni impunitate proposita, sine facinore, quam illo modo pervenire?* (De finib.) Sallustius autem ipse: *Malitia praemiis exercetur. Ubi ea demseris, nemo omnium gratuito malus est* (De repub. ordin.).

(4) « Furtum certe, inquit S. Augustinus, punit... lex scripta in cor« dibus hominum, quam ne ipsa quidem delet iniquitas. Quis enim « fur aequo animo furem patitur? » (*Confess.*). Hinc praeclara Platonis sententia, affirmantis, « absque justitia, ne latronum quidem societatem consistere posse ». Quam Tullius explanans: « Cujus (ju« stitiae), ait, tanta vis est, ut ne illi quidem, qui maleficio et scelere « pascuntur, possint sine ulla particula justitiae vivere. Nam qui eo« rum cuipiam, qui una latrocinantur, furatur aliquid, aut clam eripit, « is sibi ne in latrocinio quidem relinquit locum. Ille autem, qui ar« chipirata dicitur, nisi aequabiliter praedam dispertiat, aut occi« detur a sociis, aut relinquetur. Quin etiam leges latronum esse « dicuntur, quibus pareant, quas observent » (*De off.*).

(1) « Quel est, inquit Cormeninus, le père de famille immoral, qui ne voudra pas que son fils soit moralement élevé? » (*L'éducation et l'enseignement*).

(2) Ad rem Terentius, in *Heautontimorumenos*:

Quid cum illis agas, qui neque jus, neque bonum atque aequum sciunt?

Melius, pejus; prosit, obsit; nil vident, nisi quod lubet.

Si igitur tanta rerum perturbatio, si tot mala et incommoda, ordinis moralis excidium et eversionem sequuntur, jam hujus necessitas patet; proindeque legis naturalis existentia manifestissime evincitur.

Art. 3. — *De supremo principio morali.*

41. Legis naturalis existentiam multiplici argumentorum genere demonstravimus; quibus divinorum librorum auctoritas addi etiam posset (1).

His tamen sceptici et, nostrorum praesertim temporum, sophistae minime acquiescunt. Qui, - nedum sacras litteras -, instinctum ipsum moralem, atque universalem hominum consensum veluti nugas irrident. Quae autem naturae absona et absurda nos dicimus, humanae constitutioni omnino consentanea illis videntur. Cur homini, ajunt, cum animo suo depugnandum est? cur cum geniis suis belligerandum? cur ille suis affectibus et cupiditatibus responsare debet? cur aliorum, ut vocant, jura suis commodis et utilitatibus praeferre? Nonne ad felicitatem natus est homo, quam illi consectari, omnibusque modis ac rationibus consequi licet?

Qui cum ingeniis conflictatur hujusmodi, acutiora illum arma adhibere et acrius certamen conserere oportet: adversarios videlicet eo usque, stricte ratiocinando, urgere, ut sui illos pudeat et, vel inviti, fateantur, communi se sensui vale-

(1) Sat est, caeteris praetermissis, S. Paulum commemorare, haec ad Romanos aperte scribentem: *Gentes, quae legem* (positivam) *non habent, naturaliter ea quae legis sunt, faciunt; ejusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex. Qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum.*

dixisse, utpote qui vel primis ipsis rationis principiis manifeste adversantur.

42. Quod ut consequamur, ad ultimam usque moralis obligationis rationem pervenire opus est, ad supremum nempe principium, vel, ut etiam in scholis vocant, primum imperativum, quod nonnisi meram ac germanam moralitatis essentiam complectatur et exprimat.

Hoc porro *supremum principium morale*, ita, cum Rosminio, efferri posse contendimus: « Practice (idest reapse et actu) recognose, in ordine suo intrinseco (prout nimirum est), ens a te directe cognitum ». Quod demonstrare haud magnum erit negotium.

43. Quidquid creavit Deus, *bonum* est; quaelibet nempe res, ens quodlibet est bonum, eo solum quod *est. In tantum*, ait S. Thomas, *est aliquid bonum, in quantum est ens: esse enim est actualitas omnis rei.* Bonum namque et ens, uti jam superius animadvertimus (n. 10), unum et idem sunt, et alterum cum altero convertitur (1). Jamvero, si ens quodvis attentius inspieimus, hoc naturâ ordinatum esse, intrinseco nimirum sibique necessario ordine praeditum esse facile patebit; qui ordo ex apta atque concinna elementorum et partium, quibus illud constat, dispositione oritur. Quo fit, ut ens omne in suo genere perfectum, atque ad finem, a natura illi praestitutum, consequendum idoneum sit. Quum igitur bonum et ens unum idemque esse dicimus, ens intelligimus in ordine suo consideratum: ens videlicet, utpote

(1) Veritatem hanc apertissime declarat Genesis; in qua haec legimus: *Vidit Deus cuncta quae fecerat, et erant valde bona.*

bonum menti nostrae apparet, quum haec in intrinseco et essentiali hoc ordine suo illud considerat; hujusmodi autem entis ordinem, eo ipso actu humana mens comperit atque cognoscit, quo ens ipsum cognoscit, cognitione scilicet directa et spontanea.

44. Ordo tamen, de quo hic loquimur, non in quolibet solum objecto, singillatim sumpto, se prodit, verum in pluribus etiam objectis fulget, quae humana mens simul concipit atque inter se confert: nam nequit fieri, quin haec varias eorumdem perfectiones, idest varios entitatis gradus dispiciat. Hac enimvero ratione, entia seu bona, pro cujusque merito ac pretio, in ordinem disponit. Sic, ex. gr., mens videt, in ente quod sensu caret (ut puta in arbore et lapide) minus pretii sive entitatis inesse quam in ente sensu praedito, cane, equo etc. Item, ente quopiam mere sentiente, et ente intelligente (humano quovis individuo) perceptis, unaque simul collatis, statim, naturaliter nulloque prorsus negotio perspicit ac videt, postremum hoc pluris esse quam illud; omnibus tandem, quaecumque sint, longe praestare Ens necessarium et absolutum, - quippe quod totam omnino in se entitatem, idest perfectiones omnes easdemque infinite complectitur -, adeoque Bonum summum appellatur (V. n. 12).

45. Ens nihilominus, seu bonum, usquedum in seipso speculative tantum consideratur, quatenus nimirum est simplex objectum menti praesens, quodque ipsa intuetur, nonnisi bonum *objectivum* dicendum est.

Atqui homo intrinsecum entis ordinem intueri, idest bonum contemplari non potest, quin una sentiat, se illud velle ac sibi adjungere necessario debere: quin nempe videat, bonum, quale revera est, omnino recognoscendum ideoque amandum esse. Porro bonum, ab intelligentia cognitum, ubi primum appetitur a voluntate, tum, uti jam alias diximus (n. 11), *boni moralis* naturam et nomen induit; quod idcirco definire licet « bonum objectivum, ab intellectu cognitum, et a voluntate, in ordine suo intrinseco, cupitum ac volitum ».

46. Quamobrem actus moraliter bonus, - qui nempe bonam efficit voluntatem -, quemque in hujus ad legem adhaesione posuimus (n. 5), in amore boni objectivi essentialiter consistit; vel, aliis verbis, est voluntarius reflexionis actus, quo practice, - idest reverentia et amore -, ens directe cognitum recognoscitur. Bonum namque objectivum, quemadmodum paullo ante animadvertimus, instinctive, necessario ac directe cognoscimus, uti revera est; neque illud revereri ac diligere potest voluntas, nisi quodam actu qui a voluntate ipsa proficiscitur: hic porro actus est practica recognitio.

Jamvero, - si in *recognitione practica* moralitas sita est, supremum autem principium nil aliud praeter simplicem ac meram moralitatis essentiam, imperativa quadam propositione seu formula, exprimere debet -, jam inde consequitur, hoc principium sic plane enunciandum esse: « Practice recognosce in ordine suo intrinseco ens, directe a te cognitum »; vel brevius, si libet: « Quod directe cognoscis, practice illud recognosce »; quod equidem demonstrandum nobis erat.

47. Principium autem ejusmodi, ita expressum, evidentissimum ac necessarium, propptereaque *su-*

premum esse, ex hoc patet, quod ipsi contradictionis principio immediate innititur. Profecto, rem practice recognoscendo, hanc nos talem esse affirmamus, qualem directe percepimus; quod si contrarium agimus, rem, sicuti est, nos percepisse negamus. At enim, affirmare, rem a nobis haudquaquam perceptam, reapse nos percepisse; vel, contra, non eam percepisse, quam vere percepimus, quid aliud est, quam contradictoria loqui, idest principio contradictionis aperte refragari?

Principium igitur, declarans atque praecipiens, voluntariam seu practicam recognitionem, et cognitionem directam, consentire inter se omnino oportere, quammaxima evidentia ac necessitate pollet, utpote quod in ipsum contradictionis principium manifeste resolvitur.

Quapropter verissime Rosminius animadvertit, immoralitatem in eo totam consistere, quod quis connititur, ut operetur absurdum, veritati contradicat, ens ipsum oppugnet; hinc malum vel peccatum quodvis, aliud demum non esse quam mendacium, quod homo secum ipse proloquitur (V. n. 21), dum se negat cognoscere, idest recognoscere non vult, quod revera cognoscit (1).

---

(1) Egregie ad rem Tertullianus in *Apologetico* suo contra Gentes: *Hoc est summa delicti nolentium recognoscere quem ignorare non possunt.* Passim autem, in libris divinis, internae hujus colluctationis, - singularis nempe hominis status, in quo secum ipse pugnat sibique contradicit -, fit mentio: *Audientes audiunt,* inquit Isaias, *et nolunt intelligere; et vident visionem, et nolunt cognoscere.* Item, S. Matthaeus: *Videntes non vident, et audientes non audiunt neque intelligunt.* In *prophetia Danielis* haec leguntur de duobus senibus judicibus, qui frequentabant domum Joakim, viri Susannae: *Everterunt sensum suum, et declinaverunt oculos suos ut non viderent coelum, neque recordarentur judiciorum justorum.* Similiter in Actibus Apostolorum: *Incrassatum est cor populi hujus, et auribus graviter audierunt, et oculos suos compresserunt; ne forte videant oculis, et auribus audiant, et corde intelligant, et convertantur et sanem eos;* juxta quod ait sacer Psalmista: *Noluit intelligere, ut bene ageret.* Eadem autem, in *Epistola prima ad Romanos* habet S. Paulus: *Cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt,* et ad Timotheum scribens: *Veniet enim tempus*, ait, *cum sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coacervabunt sibi magistros, prurientes auribus; et a veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur.* Quae omnia paucis ita perstringit Silvius Pellicus: « La mente vede un istante il vero; ma siccome questo non le piace, lo discrede l'istante appresso, sforzandosi di guardare altrove. » (*Le mie prigioni*).

48. Ex hisce omnibus colligere pronum est, Ethicam seu moralem philosophiam dignam esse, quae scientiae nomine donetur: non secus enim ac alia quaelibet, verae proprieque dictae demonstrationis est capax. Profecto, siquis moralis cujuspiam praecepti vel officii rationem quaerat: Cur, v. gr., super omnia diligendus sit Deus; cur aliena surripere nefas sit; cur egenti opem ferre deceat et similia; hoc unum Ethica respondet: Quia ens, in ordine suo intrinseco, practice recognoscendum est. Haec nimirum ultima est ratio, ad quam, per seriem plus minusve longam propositionum, - quae probe inter se sunt connexae, et aliae ab aliis rite deductae -, pervenire semper licet. Hoc porro, uti Logica docet, *demonstrare* dicitur; id omne, *scientiae* proprium est: quae, ex Giobertio, nihil est aliud, quam « principii alicujus explicatio ».

Atqui « principium recognitionis practicae » in ipsum, ut vidimus, contradictionis principium resolvitur (1); quod mehercule ne dubitandi qui-

---

(1) Re enim vera, - ipsis liceat Rosminii verbis uti: « Se noi diciamo di non conoscer ciò che pur conosciamo, se diciamo di conoscere ciò che non conosciamo, non facciamo noi con ciò uno sforzo per fare che non sia ciò che è, e che sia ciò che non è? In tal modo non operiamo noi contro il principio di contraddizione, che dice: ciò che è non può non essere, e ciò che non è non può essere? Non oppugniamo noi con questo l'*essere*, poichè ci sforziamo di fare che non sia ciò che pur è, e che sia ciò che pur non è? » (*Principii della scienza morale*).

dem possibilitatem admittit. Morum igitur scientia firmo ac solido fundamento consistit. Morale principium maxima fulget evidentia; nullumque propterea, quantumvis perfrictae frontis, sophistis jam patet effugium.

49. At enim, si ita sese res habet, quî igitur fit, quaeret fortasse quispiam, ut moralis scientia, tot, nullo non tempore, eosque acerrimos nacta sit adversarios? quod edepol de scientiis mathematicis asseri nequit.

Responsum in promtu est: Veritates mathematicae mere speculativae sunt seu theoreticae; morales, ex adverso, ad usum seu praxim spectant: munera quippe atque officia hominibus implenda praescribunt, unaque pravis eorum affectibus et cupiditatibus bellum indicunt. Cupiditates porro coërceri nolunt, reluctantur, obsistunt. Quae igitur causa materialistas, atheos, fatalistas, ut suo loco dictum est, facit, haec eadem, in moralem disciplinam hostili animo pugnantes gignit.

Sed fac, quaeso, turbulento alicui animi nostri motui ac cupiditati geometriam aliquando adversari; jam nemini dubium, quin hic, ad sui defensionem, argumenta ac sophismata, - pervicaci studio adinventa -, in medium allaturus sit, quibus vel geometriam ipsam erroris et falsitatis insimulare studeat (1).

(1) Nec profecto hujusce rei desunt exempla; quorum nonnulla refert Montucla, in sua *Scientiarum mathematicarum Historia*. Hinc acute Malebranchius: « Si les hommes, ait, avaient quelque intérêt que les côtés des triangles semblables ne fussent pas proportionnels, et que a fausse géométrie fut aussi commode pour leurs inclinations perverses que la fausse morale, ils pourraient bien faire des paralogismes aussi absurdes en géométrie qu'en matière de morale, parce que leurs erreurs leur seraient agréables, et que la vérité ne ferait que les embarasser, que les étourdir et que les fâcher.» (*Recherche de la Vérité*).

CAPUT III.

Falsa, vel imperfecta, circa morale principium systemata.

50. Si, uti vidimus, in practica entis recognitione supremum principium morale ponendum est, jam sequitur, quotquot, diversum ab eo principium admittunt, systemata a veritate plus minusve deerrare.

Ad quatuor porro classes revocari haec possunt.

51. Omnium primi sese nobis hic offerunt philosophi, qui nullum se omnino morale principium agnoscere aperte declarant. Hujusmodi sunt *materialistae;* de quibus in Metaphysica dictum est, quosque propterea omnino praetermittimus.

52. 2° Sunt qui morale quidem systema se admittere affirmant, illudque etiam in medium proferunt; sed una philosophicam profitentur doctrinam, cum qua, sciant nesciant, systema illud consistere nullomodo potest.

Inter quos in primis sunt *fatalistae;* qui nempe hominem libertate praeditum esse negant: absurdum quippe est, obligatione aliqua devinciri, qui ineluctabili necessitate obstringitur (V. n. 20). 2° *Pantheistae;* qui, non secus ac fatalistae, humanam libertatem inficiantur: quidquid enim contingit, aliud, per pantheistas, non est (uti fusius in Metaphysica explicavimus) quam necessaria unicae, quae in universo existit, substantiae explicatio et evolutio. 3° Cujuscumque generis *sceptici* (V. *Logica*, n. 206); qui, quum veritatem omnem

et certitudinem de medio tollant, jam nullum officio ac morali obligationi locum relinquunt.

53. 3° Huc pertinent qui systema, ut illis quidem videtur, morale proponunt; unaque doctrinae philosophicae adhaerent, a qua moralitas nequaquam excluditur. At morale proprie non est, ab his propositum systema: nam ubi eam inesse autumant, nequicquam ibi moralitatem requires.

54. 4° Demum illos omnes hic comprehendimus, qui utpote morale illud exhibent, quod morale revera est; in eo nihilominus errant, quod tamquam supremum, vel universale, vel evidens habent principium, quod est inferius, vel particulare, vel egens demonstratione; aut quia illud obscuris, indefinitis et incertis vocabulis enuntiant, cum morale principium clare, definite ac praecise exprimi debeat.

Sed ad nostri operis institutum minime pertinet, singula, quae modo memoravimus, systemata penitius expendere (1). Nobis tamen non licet illorum systema silentio praeterire, qui *utilitatem* (sive privatam et unicuique propriam, sive publicam et socialem) utpote moralitatis fundamentum ponunt (*fondano la morale sull' interesse*); quodque proinde *utilitarismum* vulgo appellant. Hujusce porro doctrinae, - haud profecto veteribus ignotae (2) -, se prae ceteris, nostra aetate, Bentham, natione Britannus, propugnatorem acerrimum praestitit.

(1) Ceterum, qui plura hac de re, eaque docte ac solerter exposita, scire avet, Rosminii opellam adeat, quae inscribitur *Storia comparativa e critica de' sistemi intorno al principio della morale*.

(2) Ad hanc enimvero spectat Horatius, ubi ait (*Sat.* I, 3):
Atque ipsa utilitas, justi prope mater et aequi.....
Nec natura potest justo secernere iniquum.

55. Utilitas, ait Bentham, est vis seu proprietas, qua actio vel objectum aliquod pollet, bonorum summam, - cum individuorum, tum communitatis -, augendi, aut summam malorum in iisdem minuendi. Quapropter utilitas individui nil est aliud, quam maxima bonorum summa, quam illi consequi datum est; communitatis autem sive societatis utilitas est summa utilitatum individuorum omnium, quae societatem illam constituunt.

Non aliunde igitur, quam ab utilitate, ita colligit Bentham, actionis cujuspiam bonitas, moralitas, aequitas originem ducit. Hoc autem veluti principium per se evidens nullaque indigens demonstratione, seu tamquam axioma ab eo ponitur.

56. At, bona illius pace, quod Bentham utpote axioma seu principium evidens habet, nil aliud est, quam falsum suppositum; vel, uti jam alias innuimus (*Logica*, n. 189), fallacis sensuum doctrinae, idest *sensismi* consectarium (1).

Propriam utilitatem (*l'interesse proprio*) inter humanos agendi motivos, heu nimium mehercule! adscribendam esse, haud inficiamur. Sed alter insuper adest, longe illo excelsior atque nobilior, nempe officium (*il dovere*). Hic autem unus, ut quidem decet, vere *obligatorius* est, *universalis*,

(1) Rem nitide declarat Royer-Collard, vir auctoritate gravissimus: « La sensation, ait, est relative à la sensibilité, la sensibilité à l'organisation; donc si la connaissance est déduite de la sensation, elle est relative à l'organisation. Celle-ci alterée, la connaissance s'altère avec elle; il y a autant de systèmes de vérité que d'organisations possibles, autant de systèmes de morale que de combinaisons possibles des besoins et des appétits. Point de vérité absolue, point de droit, point de devoir; la louange, le blâme, l'admiration surtout sont des mots vides de sens; l'utile est l'unique contemplation de l'entendement et toute la législation du cœur, législation capricieuse qui n'applique aux actions qu'une règle mobile, et qui n'en a point pour les intentions et les désirs » (*Fragments* etc.).

necessarius: qui characteres in propriae utilitatis motivo prorsus desiderantur; in quo proinde moralis obligationis fundamentum seu moralitatis principium subsistere nequit.

57. Ceterum, ad rem penitus conficiendam, sat esset, cum Stewartio, animadvertere, in quavis lingua vocabula esse, quorum alia quod unicuique *utile* ac jucundum, alia vero quod aequum et *honestum* est, significant: quae vocabula, utpote omnino inter se distincta atque diversa, semper et ubique sunt habita (1). Atqui linguae, populorum ac temporum sapientiam maxime referunt.

Verissimum quidem est, illum, cujus ratio plena humanitatis est et officii, bona ut plurimum et commoda sibi comparare, neque utile ab honesto dissociari posse (2); at unum idemque esse, prorsus negamus: inter haec namque ea perinde, quae inter effectum et causam, est distantia.

Honestum et aequum, - quod est proprium atque immediatum *Scientiae moralis* objectum -, illud dicitur, quod, uti habet Cicero (De inventione), *propter se petitur*, quod nempe colere ac perficere tenemur, ut boni simus; cujusque violatio nequam nos atque improbos facit. *Utile*, contra, illud est quod expedit nobis, quodque ad nostram felicitatem confert: de hoc autem proprie agit *Eudaemonologia*. Ex eo quod utile nobis quippiam videatur aut sit, haud sequitur et justum semper no-

(1) Distinctionem hanc, cum saepe alias, ita in sequenti *De officiis* loco, clare innuit Cicero: *Cum utilitas ad se rapere, honestas contra revocare ad se videtur, fit, ut distrahatur deliberando animus, afferatque ancipitem curam cogitandi.* Et rursus: *Est enim nihil utile, quod idem non honestum: nec quia utile, honestum est; sed, quia honestum, utile.*

(2) *Certe in eadem re*, inquit Tullius, *utilitas et turpitudo esse non potest* (De off.).

bis illud videri vel esse; aliunde vero, aequum atque honestum esse aliquid potest, quin commodi quidquam et utilitatis, hic et nunc saltem, nobis afferat (1).

58. Ad haec, posito utilitatis principio tamquam moralitatis fundamento, jam nulla, erga Deum, - ubi nil nobis ab illo sperandum esset vel pertimescendum -, superesset obligatio. Quapropter, amore vel odio illum prosequi, ejus mandata perficere aut violare, reverentem in illum atque obsequentem animum gerere vel impia proferre, idem propemodum esset: quod mehercule foedum et nefas est dictu.

Item: nullo filii in parentes, cives in patriam, in amicos amici debito ac munere obstringerentur, si nulla teneantur spe, se utilitatis aliquid inde consequuturos. Hinc enimvero liberalitatem, amicitiam, gratum animum, benevolentiam; brevi, *officium* omne ab mortalium societate exsulare necessum esset; neque hoc amplius verbo, utpote sensu omni carente, uti liceret (2).

(1) « Honestum, ait Cicero, id intelligimus, quod tale est, ut, de- « tracta omni utilitate, sine ullis praemiis fructibusve, per se ipsum « possit laudari » (*De finib.*). Item: « Rerum expetendarum tria ge- « nera sunt... Nam est quiddam quod sua vi nos alliciat ad sese, non « emolumento aliquo, sed trahens sua dignitate: quod genus, virtus, « scientia, veritas est. Aliud autem non propter suam vim et natu- « ram, sed propter fructum atque utilitatem petendum: quod pe- « cunia est..... In primo genere quae sunt, honesta appellabuntur. « Quae autem in secundo, utilia » (*De inventione*). Et Seneca: « Hoc « sibi quisque persuadeat: me justum esse gratis oportet » (*Epist.* CXIII). Expressius autem Rosminius: « La giustizia è un *principio*, l'utilità è una *conseguenza*. Fino che questa conseguenza della utilità si considera nel suo nesso col principio della giustizia, il pensare non è pervertito; quando l'utilità riman sola dinanzi all'attenzione dello spirito, allora è venuto il regno del sofisma nelle menti, che è anarchia nella società » (*Filosofia del diritto*).

(2) Quod quidem optime cognitum atque perspectum habuit Cicero: *Nam*, ait ipse, *qui summum bonum sic instituit, ut nihil habeat cum virtute conjunctum, idque suis commodis, non honestate metitur: hic,*

59. Ex his omnibus manifesto liquet, ab *utilitarismo* virtutem imminui, quin imo de medio penitus tolli, in ejusque locum vitium ipsum supponi. Si enim quod est utile, id ipsum utpote licitum habendum est, fas erit pejerare, calumniari, fidem prodere, necem alteri afferre, vel aliud quodvis facinus, si expedit, suscipere (1). Quo demum fit, ut nulla jam, praeter prudentiam, seu potius calliditatem et astutiam, virtus supersit; proindeque virtute praestantior atque laudabilior ille habendus sit, qui impune rationibus et utilitatibus suis melius studet ac prospicit (2).

Haec porro consectaria, - a quibus hominum animus horrescens refugit -, utpote absurdum systema hoc, *ab utilitate* dictum, palam evincunt, quippe quod ordinem perturbat, omniaque funditus evertit moralitatis principia; quibus demtis, ut dudum vidimus (n. 40), humanam societatem corruere necesse est (3).

---

si sibi ipse consentiat, et non interdum naturae bonitate vincatur, neque amicitiam colere possit, nec justitiam, nec liberalitatem...... Hae disciplinae igitur, si sibi consentaneae esse velint, de officio nihil queant dicere (De off.).

(1) *Si utilitate*, inquit Cicero, *omnia metienda sunt, negliget leges easque perrumpet si poterit, is, qui sibi eam rem fructuosam putabit fore. Ita fit, ut nulla sit omnino justitia, si neque natura est et ea, quae propter utilitatem constituetur, utilitate alia convellitur* (De legib.).

(2) *Si poena, si metus supplicii, non ipsa turpitudo, deterret ab injuriosa facinorosaque vita, nemo est injustus; at incauti potius habendi sunt improbi* (Cic., *De legib.*); vel, uti ait Seneca : *Prosperum ac felix scelus virtus vocatur.*

(3) Quae consectaria vel ipse Bentham plane fatetur. « Demandez à Bentham, ut iisdem Theodori Jouffroy verbis utamur, pourquoi il faut être vrai? Il vous répondra que c'est pour obtenir de la confiance; probe? pour avoir du crédit... bienfaisant? pour qu'on vous rende des services gratuits. Demandez-lui par quel motif il est bon d'éviter un crime caché? Il vous dira que c'est par la crainte de contracter une habitude honteuse qui bientôt se trahirait, et à cause de l'inquiétude que cause un secret à garder. Demandez-lui quelle est la source du plaisir d'être aimé, il vous apprendra que c'est la

60. Haec autem omnia ad Thomam Hobbesium referri etiam possunt. Qui, nil naturâ justum esse vel iniquum, atque, inter utrumque, discrimen, merum hominum inventum esse contendit. Ultimus, ait Hobbesius, actionis cujuslibet, proindeque et hominis ipsius, finis est voluptas et bonum cujusque proprium: quapropter voluptatis et proprii boni amor, tamquam unus et universalis actionum humanarum motivus et impulsor habendus est. Inde conficitur, in statu naturae, quidquid lubet sibique utile putat, omnino homini licere (1). Quum nihilominus, ita conjectando pergit Hobbesius, in hac rerum conditione, parum sibi securitatis adesse, nec placidam ac pacatam se vitam degere posse, facile homines animadvertissent, ad hanc ultro pactionem et conventionem accesserunt, ut nempe quisque sui juris partem aliquam, com-

---

vue des services spontanés et gratuits qu'on peut attendre de ceux qui vous aiment... Pourquoi faut-il tenir sa promesse, dit-il? — Parce que cela est utile. — On a donc le droit de la violer, si c'est nuisible? — Oui ».

Quid jam verbis opus est? nonne Bentham ipse vitiosam funditus et absurdam, doctrinam hanc suam, ideoque plane rejiciendam satis superque demonstrat?

(1) Semel posito, de boni et mali moralis natura, falso principio, horret animus flagitiosa et impia, quae ex hoc manant atque Anglus sophista, in libris *De cive* et *Leviathan*, intulit, recensere. Aliqua tamen juvat attingere: Solius imperantis voluntas est regula boni et mali, justi ac injusti; haec proinde regula est tantum civilis, nec quidquam justum vel injustum fuit, priusquam aliqua reipublicae forma, hoc est dominatus, - vel regius, vel optimatum, vel populi -, induceretur. In Christi doctrina consilia solum continentur, nequaquam vero praecepta; neque ipsa obligandi vim habent, sine principum voluntate: qui soli sacrae Scripturae interpretes sunt, ita prorsus, ut Religionis summa sit *Principum capessere jussa, et imperio, sive in sacris sive in profanis, parere.* Nihil injustum princeps mandare potest, ejusque potestas est indefinita; quare a subditis absoluta obedientia imperantibus debetur, et quidquid, principis mandato, agit subditus, justum est, nec, principi obediens, ullo in casu peccat. Nulla unquam subditis injuria a principe inferri potest; eique et innocentes interficere fas est, ubi in ejus bonum mors innocentium cedat.

munis utilitatis ergo, concederet. Hisce porro conventionibus initis, easdem fideliter servare aequum est, nefas infringere. Haec una, ut quidem illi videtur, legum moralium est origo.

61. Sed perperam, inter justum et injustum distinctionem, ad arbitrium confictam asserit Hobbesius: hanc enim necessariam, immutabilem et naturae ipsi innixam superius demonstravimus; unaque homini bonum (morale) amplectendum, et a malo abstinendum esse, nullo ad proprium commodum ac voluptatem, inde fortasse manantem, habito respectu, sed ob id solum quia sic agere debet, quia sempiternus ac divinus rerum ordo ita fert ac jubet.

Quod vero ad Hobbesianas conventiones spectat, ab his germanam, inter bonum et malum, differentiam constitui unquam posse omnino negamus. Reenimvera, vel naturaliter et essentialiter bonum est, pactis et conventionibus stare (ut nos quidem asserimus), vel non. Si primum, bonum ergo et malum naturâ differunt inter se; si vero alterum, nilque ante hominum conventiones, boni vel mali est, haud aliter profecto et post conventiones fore, quis non videt? simplex quippe humanae voluntatis actus, contingens, varius, fluxus, rerum naturam immutare nequit. Quid vero? nonne humanas ipsas leges atque pactiones ab lege aeterna, - utpote suprema justitiae norma -, vim omnem suam acceptam habere novimus? (V. n. 32....) (1).

---

(1) Apte in hanc rem Cicero: « Illud stultissimum, existimare omnia « justa esse, quae scita sint in populorum institutis aut legibus..... « Quod si populorum jussis, si principum decretis, si sententiis ju- « dicum, jura constituerentur: jus esset latrocinari, jus adulterari, « jus testamenta falsa supponere, si haec suffragiis, aut scitis mul- « titudinis probarentur..... Atqui nos legem bonam a mala nulla alia,

Ex quibus omnibus plane colligitur, in utilitate cujusque hominis propria et peculiari (ideoque varia et mutabili) justi atque injusti regulam nequicquam requiri: hanc enim universalem, immutabilem, necessariam esse oportet.

62. Quamquam, ne in ipsa quidem communi omnium utilitate, vel, ut dicunt, bono sociali, - quidquid in contrarium prima fronte videri possit -, hujuscemodi regulam ponendam esse contendimus (1). Etenim, si justitiae norma et moralis obligationis vis in bono societatis tota concluderetur, nulla jam alia, praeter ea quae ex hoc fonte fluunt, exstarent officia. Atqui lex moralis actiones non solum, quae ad societatem respectum habent, ve-

---

« nisi naturae norma, dividere possumus » (*De legib.*). Item Portalis: « L'inviolabilité des contrats, la puissance irresistible des obligations, le respect des engagements consentis, la scrupuleuse observation des conventions conclues, la fidélité aux promesses, la sainteté du lien de la parole, le règne de la bonne foi, sont les préceptes, les dogmes de cette loi toujours et partout subsistante » (*L'Homme et la Société*).

(1) Illorum systema, qui moralitatem omnem ad utilitatem uniuscujusque propriam seu privatam reducunt, *Egoismus* generatim appellatur; cujus tres potissimum sunt species: 1° *Edonismus* (mollis nempe et voluptuaria epicureorum disciplina); 2° *Epicureismus* (doctrina Epicuri); 3° *Pseudo-Christianismus*. Edonismum, - cujus defensionem, superiore saeculo, cynico plane ausu suscepit Helvetius in opere, cui titulus *De l'esprit* -, graphice pingit auctor libri *Sapientiae;* qui, epicureorum personam agens: « Venite ergo, ait, et frua- « mur bonis quae sunt, et utamur creatura tamquam in juventute « celeriter. Vino pretioso et unguentis nos impleamus; et non prae- « tereat nos flos temporis. Coronemus nos rosis, antequam marce- « scant; nullum pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra. « Nemo nostrum exsors sit luxuriae nostrae; ubique relinquamus « signa laetitiae; quoniam haec est pars nostra, et haec est sors ».

Systema autem illud, quod moralitatis fundamentum in communi seu publica utilitate collocat, dicitur *Philanthropismus;* cujus plura quoque genera recensentur: 1° *Sentimentalismus* (qui et ipse duo complectitur systemata, *sympathiae* nimirum, ut vocant, et *sensus moralis;* quorum prioris auctor est Smithius, alterius vero Hutchesonus); 2° *Patriotismus;* 3° *Cosmopolitismus*, seu *Principium socialitatis*, a Puffendorfio et Cumberlando propositum.

Sed haec raptim innuisse nobis sat est; quae qui plenius ac fusius nosse desiderat, adeat *Historiam philosophiae*.

rum etiam abditas quaslibet atque privatas, quin et ipsa desideria et interna animi sensa complectitur. Profecto, utut secretam et procul ab hominum consortio vitam quis viveret, haud omni officio solutus esset. Ratio namque illi semper cum Deo et seipso intercederet; hinc ejus officia erga Deum, sive Religionis, - quae quidem omnium prima et potissima sunt -, et officia erga se ipsum: de quibus omnibus mox fusius agemus (1).

63. Praeterquamquod, etiam ad officia socialia quod attinet, haec inter se interdum pugnantia esse nemo ignorat. Quo in casu, quodnam horum, quaeso, aliis anteponendum?

Ad haec, multiplex genus est societatis, quam homini cum hominibus inire licet; quod autem uni ex his societatibus est utile, exitiosum fortasse alteri esse potest. Hisce porro in adjunctis, nulla jam superest norma, ad quam hominum actiones componendae sint. At dubius numquam et anceps haerebit animus, ubi hujuscemodi norma non alia nobis sit nisi idea recti atque honesti, quemadmodum superius explicavimus (2).

(1) Aptissime Cicero: *Etiam solitario homini*, ait, *atque in agro vitam agenti, opinio justitiae necessaria est.... Nulla enim vitae pars..... neque si tecum agas quid, neque si cum altero contrahas, vacare officio potest* (De off.).

Merito igitur principium socialitatis, ab Puffendorfio inductum, vel ab ipsis acatholicis utpote inadaequatum rejicitur, cum ex eo officia hominis dumtaxat erga proximum, non vero erga Deum atque seipsum colligi possint. Revera Puffendorfius divinum cultum totamque Religionem parvifacere videtur (V. n. 35, nota 2). Quum enim, uti Leibnitius animadvertit, adaequatum Juris naturae objectum et finem in hujus vitae felicitate et reipublicae commodis Puffendorfius constituat, jam inde sequitur Religionem, imperii seu status utilitati omnino accommodandam, et pro mero hujus instrumento habendam esse.

(2) *Si quid rectissimum sit quaerimus, perspicuum est. Si quid maxime expediat, obscurum. Sin ii sumus, qui profecto esse debemus, ut nihil arbitremur expedire, nisi quod rectum honestumque sit, non potest esse dubium, quid faciendum nobis* (Cic., *Epist. ad Famil.*).

64. Caeterum, commune omnium bonum studiose quaerendum esse, quis negat? Sed animadvertimus, a lege ipsa naturae, seu recta ratione, id praecipi; quae una vetat, in bono publico promovendo, fines ab aequitate ipsa praefinitos quemquam praetergredi. Quamobrem pervulgatae illi sententiae: *Salus populi suprema lex esto* (1), haec altera, multo quidem illâ verior atque nobilior, sufficienda videtur: *Pereat mundus, et fiat jus.* Operae interea pretium hic est, consilium commemorare (de fraudulenter incendenda Lacedaemoniorum classe) ab Themistocle, per Aristidem, Atheniensibus datum: *utilissimum* sanepol consilium, sed quia *iniquum*, ab his uno animo repulsum (2).

Haud magis igitur in publica, quam in privata hominis utilitate, juris fundamentum, idest summa atque universalis recti et justi norma consistit. Altius mehercule quaerenda est. Ubinam vero haec maneat: quodnam videlicet sit supremum morale principium, paullo ante vidimus.

(1) Quam Rosminius recte appellat « la formola più breve, che esprime lo stato della morale e della società pagana » (*Storia comparativa ecc.*). Hanc porro sententiam N. Machiavellus fusius hisce verbis declarat, quae profecto horret animus referre: « Dove si delibera al tutto della salute della patria, non debbe cadere alcuna considerazione nè di giusto nè d'ingiusto, nè di pietoso nè di crudele, nè di laudabile nè d'ignominioso » (*Discorsi ecc.*).

(2) « Dixitque (*Aristides*) perutile esse consilium quod Themistocles afferret, sed minime honestum. Itaque Athenienses quod honestum non esset, id ne utile quidem putaverunt; totamque eam rem, quam ne audiverant quidem, auctore Aristide repudiaverunt »; quemadmodum refert Cicero (*De off.*). Qui, ultra etiam progressus: « Sunt quaedam, ait, partim ita foeda, partim ita flagitiosa, ut ea, ne conservandae quidem patriae causa, sapiens facturus sit ».

CAPUT IV.

De legis naturalis promulgatione.

65. Lex ignota non obligat: id per se liquido patet.

Quapropter, in jure publico, nullam lex habet vim, usquedum iis, qui eam observare debent, clara aliqua propositione indubitanter non manifestetur; vel, ut ajunt, non sit sufficienter promulgata. *Promulgationis* autem nomine, quod ad leges positivas, intelligitur « externus quidam actus, cujus ope, superioris et jure imperantis decretum inferioribus innotescit ».

66. Ergo et legem naturalem homini manifestari et promulgari necesse est; secus enim, qui jure hic posset legis violationis insimulari?

At in primis animadvertimus, legis naturalis promulgationem, adinstar legum positivarum nequaquam fieri: nullus quippe externus actus opus est, qui palam eam faciat, atque obligandi vi pollere ostendat. Quum enim naturae lex, uti ex dictis constat, ad claram atque genuinam boni moralis notionem redigi possit, quisquis hujusce boni essentiam cognitam habet atque perspectam, jam hoc ipso actiones se suas ad illud componere teneri sat novit ac sentit. Justi itaque et injusti norma, nulla externa, neque humana neque divina, promulgatione indiget; nec proinde speciali Dei revelatione, uti quibusdam visum est (1).

(1) Quamquam, utilissimam quidem, imo necessariam, divinam revelationem fatemur, ad legem naturalem evolvendam et explicandam, variasque ejus applicationes tutius ac facilius determinandas atque definiendas.

67. At quamvis homo justi atque injusti normam sibi naturâ ipsâ insitam atque congenitam habeat, hinc tamen non sequitur, se illam, utpote agendi regulam, nullo non tempore agnoscere: homini videlicet naturalem legem, vel a primo existentiae suae momento, indici atque manifestari. Neminem enim fugit, in cujusvis hominis vita, quoddam esse temporis spatium, quo ipse moralitatis est incapax, - bonum nempe a malo morali nequit distinguere -, nec proinde actionum suarum rationem reddere tenetur; quemdam autem vitae gradum seu aetatem, utut in singulis hominibus non eamdem, inesse (quum nempe ad rationis usum pervenisse nos dicimur), in qua praecepto alicui seu legi obnoxios nos esse primum advertimus; quae idcirco sapienter *aetas discretionis* nominari consuevit: aetas nimirum, qua homo bonum et malum discernit; idest inter fas et nefas, inter virtutem et vitium *discrimen* dignoscit.

68. Non vacat, in continuis ac perpetuis humanae rationis explicationibus inquirere, ejusdemque varios evolutionis gradus expendere. Id solum generatim animadvertimus, quum ad aetatem illam, quam supra memoravimus, homo pervenit, - quum nempe propria ratione uti, suique juris esse incipit -, tunc enimvero illi se prodere et manifestam fieri legem; etsi jam antea, veluti latens, in ipso existeret: prima namque lex moralis, uti superius diximus (n. 34), nil est aliud, nisi innata idea entis, humanae ipsius intelligentiae forma (1).

(1) Haec siquidem idea, vel ab existentiae nostrae initio, nobis adest, eamque mens nostra jugiter intuetur (ens enim, uti saepius dictum est, humanae menti dat intelligere et esse); at serius aliquanto, - quum nempe ad rationis usum pervenimus -, hanc ideam utpote

Paucis igitur: Lex naturalis tum homini promulgatur, quum illi ad proprias actiones se animo convertere, deque harum bonitate vel pravitate judicium ferre datum est.

CAPUT V.

De legis naturalis sanctione.

69. Legis cujuslibet, cum divinae tum humanae, ea est natura atque conditio, ut sanctione aliqua fulciatur. *Sanctio* autem est decretum seu comminatio poenae, legis violatoribus infligendae; cui nonnunquam additur praemii alicujus promissio iis, qui legem accurate servaverint.

Quae, licet pars tantum legis coactiva sit, neque ad hujus essentiam et obligationis fundamentum pertineat (1), atque in eo sit tota, ut nonnisi ma-

legem, seu agendorum regulam advertimus atque dignoscimus. Quod profecto mirum esse non debet. Compertumne nobis est, quanti ideo quaelibet, quae possidemus, usui esse possint? nonne id omne studio et experientia sensim consequimur?

(1) Rem enimvero sedulo perpendenti plane constat, poenae metum vel praemii spem nil omnino ad obligationis sensum gignendum conferre. Qui autem hisce tantum motivis adductus agit, haud bonum mehercule, sed proprii commodi atque utilitatis studiosum recte illum dixeris; cui propterea accommodanda videntur quae habet Horatius (*Epist.* I, 16):

Oderunt peccare boni virtutis amore.
Tu nihil admittes in te formidine poenae;
Sit spes fallendi, miscebis sacra profanis.

Hinc praeclare Cicero: *Satis enim nobis, si modo in philosophia aliquid profecimus, persuasum esse debet, si omnes deos hominesque celare possimus, nihil tamen avare, nihil injuste, nihil libidinose, nihil incontinenter esse faciendum* (De off.). Exinde vero, prodigiosi Gigis anuli mentione injecta: *Hunc igitur ipsum anulum*, subdit, *si habeat sapiens, nihil plus sibi licere putet peccare, quam si non haberet. Honesta enim bonis viris, non occulta, quaeruntur.*

jorem vim addat motivis, quibus ad legi ipsi parendum impellimur; ab hac tamen nunquam abesse ac sejungi posse, nemo non videt. Sapientis quippe legislatoris est, legis suae executionem modis omnibus promovere. Quid porro lex esset, omni sanctione carens, quaeque absque metu et impune violari atque infringi posset?

70. Inde conficitur, legem quoque naturalem sanctione communitam esse oportere (1). Quod quidem ex iis manifestum est, quae jam alias et in *Metaphysica* praesertim, animadvertimus, a bono scilicet morali bonum eudaemonologicum, veluti effectum a causa, necessario manare. Id nempe fert evidentissima et inviolabilis justitiae lex, ut qui probe atque honeste, ad rectae rationis praescriptum agit, meritum assequatur; qui vero inique, demeritum. *Meritum* porro et *demeritum* nil aliud est, quam « relatio ad laudem et vituperationem, - proindeque ad praemium vel poenam -, quam actio humana moraliter bona vel mala, in eo gignit, qui actionis illius verus et liber est auctor ».

Brevi igitur: indubium est atque certissimum, virtutem praemio, poena autem vitium, pro merito, serius ocius, affectum iri. *Serius ocius*, inquam: siquidem hisce in terris, vel in altera, post hanc, vita id potest contingere. Quare duplex legis naturae sanctio: temporalis, et religiosa seu divina. Illa, plus semper minusve imperfecta; haec autem perfecta et adaequata.

(1) *Cui (legi) qui non parebit, ipse se fugiet, ac naturam hominis aspernabitur; atque hoc ipso luet maximas poenas, etiamsi caetera supplicia, quae putantur, effugerit* (Cic., *De republ.*).

Art. 1. — *De sanctione temporali.*

71. Sanctio temporalis consistit in mercede, quam homo, dum hanc vitam vivit, adipiscitur, et poena, quae illi irrogatur, prout bene vel male agit; duplex autem est: *naturalis* et *civilis*. Haec cujuscumque generis punitiones complectitur, quibus a societate civili legum violatores multantur; illa effectus omnes, - bona nempe vel mala -, quae naturaliter ac necessario virtutem et vitium sequuntur.

72. De sanctione civili ad nos dicere minime spectat; quibus autem materiam hanc, - non parvi edepol unicuique momenti -, perspectam habere placet, hi jurisconsultos, vel codicem poenalem adeant.

At, quod ad sanctionem naturalem attinet, neminem sane, humanarum rerum conditionem ac processus paullo attentius considerantem latere potest, virtutem, vel in hac vita, quammaxime ac potissimum ad felicitatem prodesse; adeo ut hominum, - caeteris etiam praetermissis -, se illi totos dedere intersit; vitium contra miserias atque infelicitatem gignere. Profecto, virtutis cultus atque observantia, - religio, aequus sui aliorumque amor, temperantia, justitia, veracitas, fidelitas, caeteraque officia, quae naturalis lex praecipit, si, uti par est, adimpleantur -, uberrimos nobis optimosque fructus pariunt; corporis animique vigorem conservant, rem familiarem augent, aliorum existimationem, fiduciam, benevolentiam conciliant, nosque ad munia, cum oeconomica, tum civilia et politica, rite obeunda aptiores faciunt. Virtuti de-

mum, animi pax atque tranquillitas jugiter comitatur. Innumera e contrario, ex eorumdem officiorum violatione, mala proficiscuntur (1). Inter quae potissimum enumerari debent conscientiae angor et stimuli, quibus dies noctesque torquentur improbi (V. n. 39); quemadmodum de Catilina scribit Sallustius: *Namque animus impurus, dii hominibusque infestus, neque vigiliis, neque quietibus sedari poterat; ita conscientia mentem excitam vexabat* (2).

73. Quod autem de individuis diximus, de civitatis quoque corpore et de republica affirmandum est. Quae ubi bene morata et recte constituta sit, prospero fortunae statu utitur, pace ac tranquillitate gaudet, commerciorum negotiorumque omnium emolumentis floret, majora etiam in dies incrementa ac potentiam consecutura. At, ex adverso, si corrupti sunt mores, si, pro frugalitate et moderatione, licentia, cupiditas, fraus, avaritia, luxuria dominantur, nulla tunc amplius quies atque securitas; artes atque industria languescere, commercia, quae fide et honestate maxime continentur, labasci; prospera inde fortuna penitus inte-

(1) « La strada dell'iniquità, ait Al. Manzonius, è larga; ma ciò non vuol dire che ella sia comoda: ha i suoi buoni intoppi e i suoi triboli; è noiosa la sua parte e faticosa, benchè vada all'ingiù » (*I promessi Sposi*).

(2) Quas quidem poenas nunquam effugere poterunt, nec qui clam peccant, nec quibus legum civilium sanctionem aut cetera infortunia, - per ingenii calliditatem atque vafritiam -, vitare datum est: hos enim:

. . . . . diri conscia facti
Mens habet attonitos et surdo verbere caedit
Occultum quatiente animo tortore flagellum.
Poena autem vehemens ac multo saevior illis,
Quas et Caedicius gravis invenit et Rhadamantus,
Nocte dieque suum gestare in pectore testem.

uti ait Juvenalis (*Sat.* XIII).

rire. Hinc enimvero perturbationes, civiles dissensiones, bella intestina; hinc exterarum gentium aggressiones, direptiones; postremo imperii ipsius eversio: diuturnum quippe in corrupta civitate imperium esse nequit (1).

Quae quidem omnia luculentissime docet historia, quae varios populorum casus ac vicissitudines enarrat. Sat est Assyriorum, Medorum, Persarum, Graecorum et Romanorum regna mente recolere. Quod vero ad hos praesertim spectat, juvabit Romam, - ea tempestate qua viverent Camillus, Fabius, Manlius, Scipio -, cum Roma, sub Tiberii, Caligulae, Neronis dominatu, conferre. Illa, moderatione ac simplicitate praestans, incredibile dictu est, quantum exinde potentiae quantamque nominis celebritatem sit adepta; haec, fastu elata et luxuria diffluens, mox paullo barbarorum ferro petita, irrisio gentibus atque ludibrium facta est.

Art. 2. — *De sanctione religiosa.*

74. Satis itaque, sive ratione sive experientia edocemur, Deum, naturae auctorem, legem naturalem, in hac etiam vita, quibusdam praemiis poenisque, tamquam sanctione, reapse firmasse.

At dicet fortasse quispiam: Demus quidem, quod in fabula « Homo et Asinus », scribit Phaedrus: *Majorem turbam punitorum reperies. Paucis*

(1) « Nam imperium, uti verissime Sallustius animadvertit, facile « iis artibus retinetur, quibus initio partum est. Verum, ubi pro la- « bore desidia, pro continentia et aequitate lubido atque superbia « invasere, fortuna simul cum moribus immutatur. Ita imperium « semper ad optumum quemque ab minus bono transfertur ». Totam autem sententiam hisce, cedro hercle dignis, verbis concludit: « Quae homines arant, navigant, aedificant, virtuti omnia parent » (*Bell. Catilin.*).

temeritas est bono, multis malo. Nemo tamen inficiabitur, etiam sceleribus suam inesse voluptatem, item injustitiam multa saepe commoda et emolumenta adferre; atque adeo bona physica, ob naturalem rerum nexum, saepenumero pravis actibus comparari: honores, v. gr., ex malis artibus, ex furtis divitias, uti et Phaedrus ipse testatur: *Qui rapuere divitias, habent.* Quamvis igitur generatim ad felicitatem magis conferat virtus quam vitium, nihilominus praemia et poenae, virtuti ac vitio singulorum hominum, in hac vita, aequa proportione minime respondent. Neque enim ii, qui accuratiore legum custodia et observatione praestant, plus semper existimationis, honoris, opum, tranquillitatis habent. Non raro, ex adverso, nequam homines rebus omnibus undique ereptis, uti de Verre ait Cicero, circumfluunt atque abundant. Ad haec, justitia, fides caeteraeque virtutes quandoque aut non satis animadvertuntur ab hominibus, aut, etiamsi oculos percellant, meritos honores haud consequuntur, juxta illud Juvenalis: *Probitas laudatur, et alget* (Sat. I). Aliquando vero improbi, ob externam virtutis speciem, debita virtuti praemia obtinent; vel, propter divitias atque potentiam, quas sibi quomodocumque compararunt, non solum scelerum poenas effugiunt, sed nomen sibi, laudem et auctoritatem conciliant (1). Boni contra nonnunquam jacent, criminum, a se nequaquam commissorum, poenas luunt, vel, ob ipsam quoque virtutem, quam improbi fastidiunt, horum calumniis impetiti, in odia, inimicitias atque

(1) . . . . Multi
Committunt eadem diverso crimina fato:
Ille crucem pretium sceleris tulit, hic diadema (Juv., *Sat.* XIII).

calamitates incurrunt. Nonne rem ita se habere, quotidiana docet experientia? (1).

75. Haec omnia verissima esse, haud profecto negamus. At quid inde legitime colligi potest? Nil aliud, praeter hoc solum, sanctionem scilicet temporalem, uti jam innuimus, insufficientem esse atque imperfectam; aliam proinde, post hanc vitam, admittendam, quae virtuti ac vitio omnino consentanea sit. Absurdum quippe est, dum mundus physicus et materialis maximum ubique rerum ordinem atque concentum nobis admirandum praebet, tantam in mundo morali dissonantiam et inordinationem inesse: utriusque enim mundi auctor et princeps est Deus. Qui profecto legum suarum observantiam debitumque sibi obsequium negligeret, si nullum inter subditos obsequentes et contumaces discrimen poneret.

Quum itaque impraesentiarum legis naturalis sanctio inadaequata sit atque imperfecta, in altera vita perficiatur necesse est: in qua pro meritis debita sibi praemia vel poenas a justo virtutis remuneratore scelerumque vindice Deo quisque recipiet; uti jam fusius in *Metaphysica* dictum est, quum de animorum immortalitate sermo haberetur.

SECTIO TERTIA

TERTIUM BONI MORALIS ELEMENTUM.

76. Ad ordinem moralem constituendum, nec per se sola lex sufficit, nec per se sola voluntas: quaedam insuper voluntatis ad legem ipsam

(1) Haec autem vel suo tempore lamentabatur Ecclesiastes: « Omnia, « ait, in futurum servantur incerta, eo quod universa aeque eveniant

dispositio seu relatio requiritur. Quae tamen relatio duplex esse potest: vel enim ad legem sese componit voluntas, vel eidem adversatur. Primo in casu, actus voluntatis est moraliter bonus (V. n. 46), moraliter malus in altero; hinc bonum et malum morale. De hoc porro actu voluntatis, seu humano, agendum nobis est.

Primum itaque *actus humani* analysim instituemus; 2° dicemus de actuum humanorum *imputatione*: regulas nimirum proponemus, quas nos sequi oportet, ut de humanarum actionum merito vel demerito probe dijudicare possimus; 3° de recta legis ad actiones nostras proprias applicatione, seu de *conscientia morali*.

CAPUT I.

De actu humano, ejusque speciebus.

77. Varia sunt actuum genera, quorum homo, - utpote subjectum animale, intellectuale et volitivum -, capax est.

Quidam sunt actus, qui in eo, non secus ac in corporibus inanimis fiunt, vi legum, quibus spectabilis hic mundus regitur; et *physici* vel *mechanici* dicuntur. Talis est actus, quo quis, in deambulando, - linea, ut ajunt, directionis extra basim quomodocumque projecta -, in terram delabitur (1).

« justo et impio, bono et malo, mundo et immundo, immolanti victimas, et sacrificia contemnenti; sicut bonus, sic et peccator; ut « perjurus, ita et ille qui verum dejerat..... Verti me ad aliud, et « vidi sub sole, nec velocium esse cursum, nec fortium bellum, nec « sapientium panem, nec doctorum divitias, nec artificum gratiam; « sed tempus casumque in omnibus ».

(1) Quo omnino sensu Aligherius in *Inferno*:

E caddi come corpo morto cade.

Sunt insuper actus, qui in homine, quatenus est animal, contingunt. Quorum tamen alii a viribus physicis vel chimicis, vitalibus etiam confluentibus, unice gignuntur: sanguinis, ex. gr., circulatio, humorum secretio etc.; alii vero ab instinctu sensuali vel animali originem ducunt: cujusmodi est deambulatio, vocis emissio et similia. Illi, actus *vitales* vel *organici;* hi autem, *animales* sive *instinctivi* nominantur. Utrique hominibus cum brutis communes sunt.

Actus demum sunt nonnulli, quos homini tantum, - per potentias, quae illius sunt propriae quibusque a ceteris animantibus distinguitur, intelligentiam nempe et voluntatem -, exsequi datum est: qui igitur actus *humani* vocantur.

78. Qua ex definitione patet, humanum, stricte loquendo, nuncupari etiam posse merum intelligentiae actum, - sicuti est naturalis entis intuitio, vel perceptio intellectualis; necnon quemlibet actum voluntatis, etiamsi necessarium. Quamquam, *humanus*, vel, uti etiam dicitur, *voluntarius*, ille tantum actus appellari consuevit, qui libera voluntatis electione fit; quae ubi desit conditio, non humanum, sed *hominis* actum communiter vocant moralistae. Hujus generis est actio, a puero, - qui rationis usum nondum adeptus est -, a somniante, vel deliro, vel demente peracta.

Quod si voluntatis objectum est recognitio entis in ordine suo, illius actus, *moralis* generatim appellatur. Quare actus moralis, *necessarius* esse potest (quemadmodum est actus, quo caelites beati Deum diligunt), vel *liber*. Vulgo tamen huic postremo, *actus moralis* est nomen; quem propterea definire licet « actum humanum, respectu ad legem consideratum ».

79. Pervulgata est, penes moralis disciplinae doctores, humanorum actuum divisio in elicitos et imperatos. *Eliciti* sunt illi, qui in voluntate ipsa, unde manant, sistunt atque perficiuntur: hujuscemodi est practicum objectorum judicium et aestimatio; internum voluntatis decretum seu propositum, etc. *Imperati* autem actus illi dicuntur, qui a voluntate quidem, tamquam a causa, procedunt, sed ab alia potentia, cum interna tum praesertim externa, - vi nempe corporis motrice -, exercentur: ex. gr. deambulatio, locutio, scriptio.

Art. 1. — *De caüsis, quae in actum humanum influunt.*

80. Ad actum humanum seu voluntarium perficiendum, duo, ut modo diximus (n. 78), requiruntur: cognitio scilicet intellectus, et libera voluntatis determinatio. Ex quo fit, ut quidquid in aliquod ex duobus hisce elementis, actum voluntarium constituentibus, influit, in actum ipsum immutationem aliquam inducat; qui proinde, plus minusve voluntarius, vel interdum etiam omnino involuntarius fit (1).

Quatuor ex hisce causis a moralistis enumerari solent, idest: ignorantia, quae *intellectus cognitioni* adversatur; vis et metus, quae opponuntur *propensioni voluntatis;* concupiscentia demum, quae in *libertatem* agit. De his singillatim inqui-

(1) Ad hoc velim animadvertant fatalistae, - praesertim vero nostrorum temporum aequales, Herzenus et Molescottus -, nos libenter admittere, complures causas in humanam voluntatem agere, vel, ut dicunt, influere, hancque ab his multimode modificari; at negamus, influentiam hujusmodi, ineluctabilem prorsus et determinantem semper esse, ut hi quidem contendunt (V. n. 22, *nota* 5.a).

rendum nobis est, ut pateat, quatenus voluntarium de medio tollere, aut minuere, aut augere etiam possint.

81. *Ignorantia,* - quae generatim est cognitionis defectus (V. *Logica*, n. 246) -, definiri potest « privatio cognitionis circa ea, quae agenda vel omittenda sunt ». Est autem duplex: ignorantia nempe *juris,* - ut siquis nesciat legem existere, quidpiam praecipientem aut vetantem; et ignorantia *facti,* - quum quis legem quidem cognoscit, at nescit, factum idest rem de qua agitur, sub lege illa contineri ab eaque contemplari (1).

Utraque autem in vincibilem et invincibilem dividitur. *Invincibilis,* ut nomen ipsum significat, est ea, quae, omni etiam studio ac diligentia, cujus quispiam capax est, ad id opus collata, vinci et removeri nequit; quod si, sedula atque opportuna, uti unumquemque decet, adhibita diligentia, depelli potest, *vincibilis* nominatur. Quae postrema dupliciter iterum distinguitur: altera nimirum, quae oritur ex torpore quodam negligentiae in necessariis rerum notionibus sibi comparandis, et dicitur *crassa;* altera vero, quae consulto et de industria quaeritur, ut quis liberius cupiditatibus suis indulgeat, neque ea conscientiae vulnera persentiat, quae legis vel facti cognitio illi impingeret: hanc porro ignorantiam *affectatam* appellant (2).

82. *Vis*, seu violentia, est « externus impetus vel aggressio, qua quis impeditur, ne quid agat,

(1) Si quem, v. gr., lateat, vectigalium fraudationem lege vetari, hic in juris ignoratione versari dicitur. Quod si, legem hanc optime callens, nesciat tamen, quam secum affert, mercem, vi legis ejusdem, furtim admitti non posse, ignorantia facti laborat.

(2) Ad hanc enimvero ignorantiam respicit regius Psalmista, ubi ait: *Noluit intelligere, ut bene ageret* (V. n. 47).

vel ad aliquid agendum invitus cogitur ». Sic pone, validiorem quempiam, correptam meam manum ad alterum laedendum adhibere, hic profecto vim mihi inferret.

Metus definiri solet, « instantis vel futuri periculi causa, mentis trepidatio ». Duplex autem esse potest: levis, vel gravis. Dicitur *levis*, si eo vix animus afficitur: quum nempe, vel malum per se leve; vel, si grave, ex levi et improbabili causa, timetur. Est autem *gravis*, si graviter hominem commovet. Gravis autem *absolute* dicitur, si metus causa talis est, ut hominem quemcumque, utut animosum et intrepidum, fortiter afficere possit; *relative* autem gravis, quum illius causa, licet per se levis, ob personae nihilominus pusillanimitatem, ad hanc perterrefaciendam idonea est. Exempla omittimus; quae facile cuique occurrunt.

83. *Concupiscentia* est « motus appetitus sensitivi »; atque in antecedentem et consequentem dividitur. Vocatur *antecedens*, quae voluntatis consensum et determinationem omnem praevertit; *consequens* autem, si a voluntate ipsa, vel ea saltem assentiente neque obstante, promoveatur atque excitetur (1).

Art. 2. — *De actu morali; et primum de actus moralis fontibus et principiis.*

84. Quid *actus moralis* nomine veniat, paullo ante animadvertimus (n. 78). Ex quo patet, humanum actum, moraliter *bonum* esse, si legi consentaneus sit; si illi adversetur, moraliter *malum*.

(1) Concupiscentiae antecedentis exemplum in homine habemus,

Ut porro actio cum lege consentiat, tria requiruntur: 1° ut ejus objectum, id nempe circa quod versatur actio, sit bonum, vel, si in se indifferens, idoneum tamen, quod ad finem honestum perducatur; 2° ut propter bonum finem, idest recta intentione, suscipiatur actio; 3° ut haec debita ratione fiat: quod pendet a circumstantiis, ut vocant, in quibus fit actio, adjunctis scilicet temporum, locorum, personarum, eorumque omnium, quae in actionis ipsius bonitatem vel pravitatem plus minusve influere possunt (1).

Objectum igitur, *intentio* sive specialis finis agentis, et *circumstantiae* quae actionem ipsam comitantur, tria sunt principia seu *fontes* actus moralis.

85. Ex quo conficitur, ad actionem moraliter bonam constituendam, haud satis esse, sub aliquo tantum respectu hanc cum lege congruere, sed requiri, ut in omnibus suis partibus cum lege consentiat: ea ferme ratione, qua *recta* vere dicitur linea, quae ad regulam ita exacta sit, ut nullum ejus punctum ne minimum quidem ab ea deflectat; juxta illud scholasticorum: *bonum ex integra causa*. Quod si actio a lege quomodocumque deficiat: si nempe aut illius objectum honestum non sit, aut ob pravum finem, aut in incongruentibus adjunctis perficiatur, jam hoc ipso

---

qui, postquam inimico suo, acceptae injuriae oblitus, veniam ex animo dedit, quotiescumque illum revisit, veteris irae flammas in se reviviscere sentit. Quod si quis consulto illatam sibi injuriam secum animo volutat, ut functas iras stimulet, sicque majore contra inimicum odio exardescat, is concupiscentia laborat consequente.

(1) Septem ex hisce circumstantiis enumerari solent, quae hoc versiculo exhibentur:

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.

Hujusce porro significatum quisque facile intelligit.

mala est actio; quo spectat hoc aliud scholasticorum effatum: *malum ex quocumque defectu*.

Profecto, bonam in se abstinentiam et temperantiam esse, neminem fugit. At siquis cibo ac potu tantisper se abstineret, ut his postmodum ingurgitare se possit, nae foedam et malam rem ageret. Item, pulcrum est, in cives beneficum esse; haec tamen beneficientia esset scelesta, si ad seditiones excitandas adhiberetur. Inopi et egenti opitulari, aequum mehercule ac laude dignissimum est; sed rem alienam, ad hunc finem, auferre, quis nefas esse non videt? (1). Multa quidem per se licent, quae non semper nihilominus decent. Multa etiam, certo tempore vel loco, nedum licere, laudabilia esse novimus; quae, si aliis in adjunctis perficiantur, animadversione sunt digna et in agentis dedecus vertunt (2).

86. Si haec probe teneantur, facilè patebit responsum quaerenti, utrum humani quidam actus esse possint, qui nec boni nec mali sint, seu *indifferentes?* Distinguendum nempe est inter actus indifferentes, uti ajunt moralistae, *in specie* sive in abstracto, et indifferentes *in individuo*. Dicuntur actus considerari in specie, quum ratio tantum habetur ad ejus objectum, utrum per se bonum an malum sit, a ceteris abstractione facta. Actus autem considerantur in individuo, quum eorum objecti non solum, sed etiam finis, qui agenti propositus est, nec non adjunctorum, quae illos circumstant, ratio habetur.

---

(1) *Qui aliis nocent*, ait Cicero, *ut in alios liberales sint, in eadem sunt injustitia, ut si in suum rem alienam convertant* (De off.).

(2) Sic mulierem fortem, et in qua cor viri sui confidat, nemo illam dixerit, quae, - negotiis domesticis neglectis -, quod his impendere

Jamvero, actus quosdam, in specie consideratos, indifferentes esse posse, manifestissimum est: plura quippe sunt objecta, quae, - nec bona nec mala per se -, ad bonum aeque vel ad malum, prout hoc vel illo modo adhibentur, conferre possunt. Hujusmodi, v. gr., est actus scribendi, si generatim et in abstracto spectetur: potest enim quis veritates aut errores, honesta vel turpia conscribere.

At actus humanus, in individuo consideratus, bonus semper aut malus est, numquam vero indifferens. Nam homo, deliberate agens, vel aliquem sibi finem proponit, vel non: si primum, actio est bona vel mala, prout bonus vel malus est finis; quod si nullum, ne implicitum quidem, propositum sibi finem habeat, jam hoc ipso actio mala est: malum est enim, rationalem creaturam, nullum ob finem, sed temere et inconsequenter agere, quum etiam minima quaeque ad certum finem referri oporteat; finis autem, quod animal rationale (homo) proponere sibi debet, hic profecto est, ut ad rationis normam operetur.

Art. 3. — *De actu morali per se; et de actu morali per participationem.*

87. Actus quilibet humanus, generatim loquendo, plus minusve complexus est: plura nimirum elementa, ceu totidem speciales actus, quibus constat, complectitur. Hic porro quaeritur, in quo-

---

opus esset, in aliis, caeteroquin bonis, sed inopportunis, exsequendis, tempus insumeret.

nam horum elementornm insit moralitas: quodnam videlicet ex peculiaribus hisce actibus, vere ac proprie et per se moralis appellari debeat?

Quanquam ad haec, - quum de supremo principio morali ageretur (n. 46) -, responsum jam dedimus, optimum tamen ducimus, hocce argumento paullo amplius retractando immorari: de re quippe maximi, in morali disciplina, momenti agitur. Majoris autem perspicuitatis ergo, exemplo uti juvabit.

88. Pone Titium alienam surrepisse rem, idest *furtum*, quod dicunt, commisisse: en actum plenum et partibus omnibus absolutum.

Jamvero nunquam edepol animum induxisset Titius, ut actum hujuscemodi patraret, nisi hic aliis quibuslibet tum praeponendus sibi visus esset: ni videlicet praevalente in rem illam affectu seu *amore* se incendi sensisset. Hic porro amor, *practicus* recte appellandus videtur, utpotequi actum proxime praecedit, illum promovet atque producit.

89. At enim, rursus quaeritur, undenam amor hujusmodi? quî in Titio excitari hic potuit?

Respondemus, neminem amore quidpiam prosequi posse, nisi illud tamquam bonum consideret (bonum namque est essentiale voluntatis objectum); idest, nisi illud jucundum sibi et acceptum aestimet, seu judicet, iis omnino qualitatibus esse praeditum, quae prae ceteris amore dignum efficiant. Quaedam igitur aestimatio sive judicium de objecti illius amabilitate, amorem ipsum proxime et immediate praecedit, eumdemque gignit. Quae proinde (quemadmodum de amore diximus, n. 88), *aestimatio practica* et *judicium practicum* merito

nominantur: hac enim voce (*practicum*) quoddam intelligimus judicii genus circa rei perceptae qualitates et perfectiones, quod affectum erga eamdem immediate praecedit, illiusque efficiens est causa.

90. Inde conficitur, tria haec, - *actum* nempe *externum*, *amorem* et *aestimationem* -, arcto quodam vinculo (vi legis, pene dixerim, dynamicae) ita simul connecti, ut, posita rei aestimatione, ejusdem amor hanc sequatur necesse sit; amorem autem actus externus. Quo fit, ut hic coërceri vel quoquomodo immutari nequeat, ni prius in affectum immutatio fiat; neque immutari affectum, nisi et rei ipsius aestimatio immutetur.

Ex his aperte liquet, liberam hominis voluntatem, neque circa actus externos, uti jam alias animadvertimus (n. 9), neque circa affectus; sed circa aestimationem sive judicium practicum, quod de rebus, a se directe perceptis, ab homine fertur, primo et immediate versari. Quum autem libertas sit humana potentia essentialiter moralis, jam plane consequitur, judicium practicum, unice ac vere actum, *per se* moralem esse dicendum; affectum autem, et potiori jure actum externum morales non esse, nisi *per participationem*, idest practici ipsius judicii naturam participare: actus videlicet externus est bonus vel malus, prout bonus vel malus est affectus, a quo ortum ducit; hic autem ea ipsa bonitate vel pravitate, qua judicium practicum, praeditus est. At enim, quid aliud est judicium practicum, nisi actus quidam voluntariae reflexionis in rem, quam directe percepimus? idest ingenua recognitio et affirmatio, vel, contra, negatio veritatis, directa cognitione, nobis perspectae? Hinc enimvero, actus hujusmodi bonitas vel pravitas; quam deinceps alii subsequentes actus participant (1).

91. Huic porro doctrinae penitus congruit communis hominum sensus. Qui, ubi judicium de bono et malo ferre opus est, hoc nequaquam in externo et physico actu, sed in interno animi proposito, vel, ut ajunt, *intentione*, ponunt. Hinc siquem, ex. gr., quidpiam furari secum intus constituisse norint, jam eo ipso furtum commisisse illum affirmant, dignumque habent, qui furis nomine donetur; etiamsi fortasse, quoquomodo impedito, cupitam rem surripere datum illi non sit (2). Brevi: quidquid boni vel mali conficere homo potest, in intentione seu volitione (quae vere ad eum pertinet) proprie consistit; nil autem per se valet *exitus*: ad exitum quippe rem perducere, non semper in hominis potestate esse constat.

Verum quidem est, meram peccandi intentionem atque effectu carentem, nulla ut plurimum ab humanis legibus poena multari. Quî enim aliter fieri posset? genuina quippe cujusque sensa et de-

---

(1) Huc spectare videntur, quae in *Epist.* xcv scribit Seneca: « Actio « recta non erit, nisi recta fuerit voluntas: ab hac enim est actio. « Rursus voluntas non erit recta, nisi habitus animi rectus fuerit: ab « hoc enim est voluntas. Habitus porro animi non erit in optimo, « nisi totius vitae leges perceperit, et quid de quoque judicandum « sit, exegerit, nisi res ad verum redegerit ».

(2) In rem perbelle Juvenalis (*Sat.* XIII):

Has patitur poenas peccandi sola voluntas.
Nam scelus intra se tacitum qui cogitat ullum,
Facti crimen habet.

Et Cicero: *Ut peccatum est,* inquit, *patriam prodere, parentes violare, fana depeculari, quae sunt in effectu; sic timere, sic moerere, sic in libidine esse, peccatum est, etiam sine effectu* (De finib.).

« Combien de mauvaises actions, ait Franciscus Bouillier, restent à l'état de pensées et de désirs, uniquement parce qu'il est impossible de les en faire sortir »? (*De la conscience* etc.); nec tamen actiones hujuscemodi, quod occultae, *malae* esse desinunt, nec minus animum coinquinant atque pervertunt.

sideria nonnisi Deo comperta sunt. Quanquam profecto humanae *leges* ac *magistratus*, non secus atque moralis disciplina, ad agentis intentionem praesertim respectum babent. Haud equidem de intentione ipsa judicant; hanc nihilominus, hancque solam, prae oculis habent atque considerant, quum de effectibus inde ortis statuere, eosque agentibus imputare opus est, uti mox clarius patebit.

CAPUT II.

De imputatione morali.

92. Verbum *imputare*, ex arithmetica ductum, proprie significat, aliquem cujusdam pecuniae summae debitorem inscribere. Quapropter, actionem alicui imputare, idem est ac eam illi, tamquam vero ejusdem effectori attribuere; cujus proinde rationem reddere teneatur. *Moralis* igitur *imputatio* definiri potest « judicium de actionum humanarum merito vel demerito: quo judicio, earumdem actionum bonum vel malum, quaeque inde oriuntur consectaria, libero ipsarum auctori adscribuntur ». Haec porro consectaria sunt laus et praemium, vituperium et poena (V. n. 70).

Ex quo manifestum est, nullam homini actionem imputari posse, cujus hic vera et effectrix causa non sit; vera autem causa esse nequit, nisi sit libera; libera porro voluntas, intellectus cognitionem complectitur. Hoc igitur actionum imputandarum, seu *imputabilitatis* praecipuum et inconcussum principium sit: « Nonnisi actio voluntaria, quaevis autem voluntaria actio, suapte

natura, imputabilis est » (V. n. 78). Neque alia profecto est causa, cur quis queri non possit, quod sibi actio quaedam imputetur, nisi quod ipse; prudens, sciens vidensque illam ediderit (1).

93. 1° Itaque jure illi imputatur actio, - facta, vel omissa -, cujus auctor et causa fuit, quamque omittere vel facere tenebatur.

94. 2° Imputari nequeunt actus mere naturales, vel ea quae homo a natura ipsa sortitus est: vitia corporis, ex. gr. (membrorum pravitas, distorsio, deformitas); mentis aut animi defectus, ut puta labilis memoria, ingenium ad iram proclive (2). Item, eorum actiones qui rationis expertes sunt, - quales dixeris infantes, amentes, furiosos, ebrios, somno oppressos -, imputationem nullam admittunt: locum quippe imputatio non habet, ubi deficit intellectus cognitio, proindeque liberum voluntatis arbitrium. Qui enim quid faciant nesciunt nec illud valent cum lege conferre, horum profecto actiones humanae non sunt, nullamque propterea moralitatem includunt (3).

---

(1) Abs re non erit hic animadvertere, praetermissiones ab juris et moralis disciplinae peritis inter actiones quoque recenseri; qui enim aliquid consulto praetermittunt, hi profecto, in facultatum suarum exercitio, cessare se velle positive constituunt.

(2) Etsi naturales cum mentis tum corporis dotes ex seipsis neque in bonam neque in malam partem imputari possint, illis nihilominus impendenda laus est, qui sua cura et industria, vel ingenitas excolunt virtutes, vel vitia, - si quae natura sevit -, emendare student. Quibus contra, ob improbitatem vel socordiam, inquinata mens vel debilitatum est corpus, iis merito animi sordes et corporis imbecillitas imputantur.

(3) Hic fortasse quispiam objiciet, et pueros ipsos, si perperam egerint, objurgari ac puniri etiam consuevisse. Ad quod respondemus, haud poenam, proprie loquendo, sed simplicem animadversionem et correctionem hanc esse, cujus praecipuus finis est obstare, ne puer pravos habitus contrahat. Neque aliter dicendum de poenis, uti etiam improprie vocant, quibus belluae, - quum praesertim ad exercitia quaedam instruuntur -, affici solent.

Advertendum tamen est, si quis voluntarie et sua culpa effecit, ut aliquid hujuscemodi contingeret, actionem tunc esse *voluntariam*, ut dicunt, *in causa;* ideoque agenti, quamvis ejusdem nescio, merito imputari. Sic, qui data opera in se merum ingurgitat, flagitii in ebrietate a se forte admissi reus utique habetur (1). Idem dic de delirio, cujus aliquis voluntaria sit causa.

Inter actiones autem voluntarias in causa, indeque imputabiles, enumerandae quoque sunt quae a brutis animantibus fiunt; nec non causarum etiam naturalium, quicumque sint, necessarii effectus, siquem constet, hos potuisse ac debuisse impedire vel temperare, seque in illis impediendis vel temperandis segnem atque indiligentem praestitisse (2).

Hujuscemodi facta, quibus, haud equidem consulto, sed ob quamdam, plus minusve culpabilem, inconsiderantiam atque imprudentiam, damnum aliis infertur, *quasi delicta* nuncupari solent.

95. 3° Circa actiones, per ignorantiam patratas, in universum statuitur, imputandum illud non esse, quod per inexsuperabilem seu invincibilem ignorantiam fit.

Contra vero, quod per ignorantiam vincibilem

(1) Hinc lex illa, paullo quidem severior, cujus, uti refert Plutarchus, auctor fuit Pittacus, unus e septem Graeciae sapientibus: qua nimirum, siquis per ebrietatem peccaret, dupli, qua multaretur sobrius, poenam subiret.

(2) Super hac re exempla exhibemus, a nostro *Codice civili* petita, quae profecto cujusque interest probe callere: « Il proprietario di un animale o quegli che se ne serve per il tempo in cui ne usa, è responsabile per il danno cagionato da esso, sia che si trovi sotto la custodia, ovvero siasi smarrito o sia fuggito ». — « Il proprietario di un edificio è tenuto per i danni cagionati dalla rovina di esso, quando sia avvenuta in conseguenza di mancanza di riparazione, o per un vizio nella sua costruzione ».

perficitur, jure agenti imputatur: hic namque, plus minusve voluntaria facti illius est causa (1).

96. 4° Quod ad actus externos attinet, ad quos vi aliquis compellitur, distinguendum est: si hic vi sibi illatae, quoad ejus fieri potest, resistit, involuntarii plane sunt, neque idcirco imputabiles (2). Quod si ille obsistit quidem, sed minus revera quam possit, tunc actus, - licet non omnino -, aliquatenus tamen voluntarii dicendi sunt: plus scilicet minusve, prout minor vel major est reluctatio. De actibus externis, sive *imperatis*, loquimur: nulla quippe coactio, uti jam alias animadvertimus (n. 9), ad actus elicitos pertinet. Nemo revera est, utut viribus praevalidus, qui vel miserulum homunculum ad quidpiam volendum adigere possit invitum.

97. 5° Quae quis, timore perculsus, agit, partim voluntaria sunt, ideoque imputabilia: propriae namque actionis conscius est, quam volens aggreditur; partim vero involuntaria: siquidem ad agendum, haud sua penitus sponte, sed aegre et animo reluctante sese determinat.

Quare metus, etiam gravis (ni eo fortasse perveniat, ut hominem subito de mente deturbet) voluntarium quidem imminuit, at omnino non tollit.

(1) Sic iniqua sententia ab judice lata, merito illi imputatur, si, juris vel facti accuratam disquisitionem omittens, ea nescivit quae scire tenebatur, quo justam sententiam ferret. Hinc enimvero patet, quae quantaque actionum suarum ratio reddenda sit magistris, medicis, jurisconsultis..., omnibusque generatim, qui munus aliquod in republica sustinent, ubi ea scientia, qua opus est, mentem imbuere negligant, ut susceptum munus adamussim explere valeant.

(2) Hoc nempe in casu, qui vim alteri intulit, actionis editae vera et sola est causa; cui soli proinde illa est imputanda. Qui autem actionem vi adactus fecit, - quandoquidem ratione mere passiva se habuit -, non magis ei potest actio imputari, quam vel gladio, vel fusti, vel alii cuivis instrumento, quo quis ad aliquem caedendum usus est.

Non enim supra vires humanas positum est, ut quis ineat consilium, dolorem potius, imo mortem ipsam oppetendi, quam ab officio suo discedat (1).

98. 6° Inordinatae instinctuum commotiones imputari debent, quoties a voluntate ipsa expresse excitantur. Quod si voluntas, non actu quidem positivo, aliquatenus tamen concurrat, - inordinatis nempe illis motibus, uti opus est, non obsistens, sed illis, quasi iners spectatrix, cedens -, hi procul dubio, licet minus, imputandi etiam sunt. Major igitur imputabilitas actionis, quae plena atque perfecta voluntatis determinatione fit, quam quae ex animi plus minusve vivida adfectione oritur. Quare actus, ex concupiscentia consequente prodeuntes, multo magis imputandi et graviore poena multandi sunt, quam qui ab antecedente proficiscuntur. Nam peccatum quod homo, antecedente concupiscentia victus, patrat, merum est peccatum, ut dicunt, *infirmitatis*; quod vero ex concupiscentia consequente admittitur, - quippe quod ex plena animi deliberatione procedit -, in peccata purae *malitiae* refertur (2).

At contingere quidem potest (tanta nimirum est, in praesenti rerum statu, hominis infirmitas

---

(1) Hinc, vel apud ethnicos moralis disciplinae magistros non defuerunt, qui hanc sententiam acriter propugnarent, non esse quidquam adversus Religionem aut justitiam, doloris suppliciique metu, faciendum. Sic Juvenalis (*Sat.* VIII):

. . . Ambiguae si quando citabere testis
Incertaeque rei; Phalaris licet imperet, ut sis
Falsus, et admoto dictet perjuria tauro,
Summum crede nefas animam praeferre pudori,
Et propter vitam vivendi perdere causas.

(2) *In omni injustitia*, inquit Tullius, *permultum interest, utrum perturbatione aliqua animi, quae plerumque brevis est et ad tempus, an consulto et cogitato fiat injuria. Leviora enim sunt ea quae repentino aliquo motu accidunt, quam ea, quae meditata et praeparata inferuntur* (De off.).

atque imbecillitas!) (1), ut motus instinctivus adeo subitus et praepotens sit, ut voluntatem ipsam expugnet quodammodo et frangat, neque ullum liberae electioni locum relinquat (2). Quo in casu nulla est actionis imputabilitas: agens nimirum commiseratione quidem, nequaquam vero poena dignus habendus est (3).

---

(1) Haec hominis infirmitas, uti Christiana docet Sapientia, primaevae humani generis corruptioni tribuenda est.

Deus hominem initio rectum et in statu integritatis creavit: in statu nimirum innocentiae, justitiae ac felicitatis, non quidem completo, sed omnibus instructo praesidiis, ad complementum assequendum idoneis, atque illis obstaculis immuni, quae tam arduum modo ac difficile ad perfectionem iter nobis efficiunt.

Sed protoparentes nostri legem sibi a Deo datam, licet observatione facillimam, aliena sollicitatione victi violaverunt; hinc peccatum, originale dictum, quod totam eorum posteritatem commaculavit; hinc immensa malorum seges; hinc, brevi, humani generis corruptio. Corruptionis autem nomine generatim intelligitur inordinata propensio sive cupiditas, quae hominem, si occasio fuerit, ad malum, ad falsa nempe judicia et ad actiones pravas sollicitat. Hoc sensu cupiditas, malorum omnium radix jure appellatur. Hujusmodi autem esse praesentem Adae filiorum statum, res est unicuique manifestissima, quamque, nedum sacrae Litterae, sincera rerum humanarum observatio atque experientia testatur. Errat itaque Russojus, qui hominem nasci bonum, sed a societate corrumpi opinatur.

Deus nihilominus, summe bonus atque misericors, hominis a se conditi oblitus non est; sed, ubi plenitudo temporis venit, Filium suum misit in mundum, qui peccatum tolleret, viam hominibus ad veram patriam aperiret, evangelica luce densas iniquitatis tenebras dispelleret, uno verbo: perditum humanum genus redimeret. Redemptionis namque status ille dicitur, in quo homo, - per infinita Christi reparatoris merita, Deo reconciliatus -, supernaturali gratia et divinis illis auxiliis donatur, quibus Deo, - fide, spe, charitate ac praescripto cultu -, serviens, beatitudinem sempiternam consequi potest.

Tres porro fundamentales, quos modo memoravimus, naturae humanae status, idest *integritatis originalis*, *corruptionis* et *redemptionis*, prae oculis jugiter habere nos decet, quum de rebus humanis, - de hominis nempe origine, natura, officiis ac fine, judicium ferre opus est - ni perpetuis tricis implicari, vel ridiculis hypothesibus et ineptis fallaciis unice contenti, a veritate quammaxime aberrare velimus.

(2) Huc respicit illud Aligherii, in *Inferno* (C. v):

E solo un punto fu quel che ci vinse.

(3) Ex quo patet, - in hujuscemodi regula ad speciales casus accommodanda -, magnam sane prudentiam, circumspectionem, atque animum tranquillum omnique partium studio immunem requiri, ut certo

99. 7° Non propriae actiones tantum, verum etiam alienae imputari illi debent, qui earum *causa moralis* fuit: qui alterum videlicet ad agendum quoquomodo exstimulavit et impulit, falsis doctrinis, ex. gr. (1), consilio, imperio, mercede, blanditiis, minis etc..(2); aut ne faceret non impedivit, quum deberet ac posset (3).

Hoc sensu parentibus imputantur actiones filiorum, actiones servorum dominis; et generatim, qui aliis vigilare ex officio tenentur, - cujusmodi sunt rerum civitatis administratores, duces belli, magistratus, tutores etc. -, his profecto illorum actiones imputari possunt (4).

---

dignosci possit, utrum, et quales quantaeque sint *circumstantiae*, ut vocant, *attenuantes:* quae nimirum actionis malitiam et improbitatem plus minusve attenuant ac minuunt. Sed animadvertendum est, - ut hic obiter, data occasione, dicam -, circumstantias attenuantes idem non esse, atque circumstantias *determinantes;* quemadmodum Herzeno placet, iisque generatim omnibus, qui humanam libertatem, indeque actionum imputationem de medio tollere student: hoc quippe desperatissimum perfugium est, quo, uti jam alias innuimus (n. 22), perpetuo utuntur sophistae.

(1) Ad haec proinde animo attendere omnino oportet, cum publice tum privatim docentes, scriptores generatim, praesertim vero qui ephemerides in vulgus edunt: incredibile namque est, quot inde mala, eaque gravissima, proficisci possint.

(2) Modi, quibus ad alterius actionem, tamquam cooperator, se quis potest adjungere, duobus hisce versiculis comprehendi solent:

Jussio, consilium, consensus, palpo, recursus;
Participans, mutus, non obstans, non manifestans.

(3) Quo spectat illud tragici auctoris: *Qui non vetat peccare, cum possit, jubet;* subde, *et debeat.* Aliena quippe actio imputari illi non potest, qui, - aliquid agens vel omittens -, eidem causam indirecte praebuerit, nisi, legis vinculo, ad illud non omittendum vel non agendum obstringeretur. Qui non obsistit peccanti, si potest et debet, injuste facit; sed qui actionem malam non impedit, ad quam impediendam nulla obligatione tenetur, hanc illi imputandam esse negamus. Duritiae quidem et inhumanitatis, nequaquam vero injustitiae, stricte loquendo, insimulari potest.

(4) Hinc Cicero seditionis reum merito Pisonem arguit, quod, cum consul esset ac sciret tribunos plebis turbas excitare, iis tamen non resisteret. Neque vero multum interest, praesertim in consule, utrum ipse, perniciosis legibus atque improbis concionibus rempublicam vexet, an alios illam vexare patiatur.

Item Fenelonus, in opella, cui titulus *Dialogues des morts*, M. Au-

100. Hactenus dicta actionum moralium *qualitatem* praesertim respiciunt, idest meram ipsarum bonitatem vel pravitatem. Sed earum insuper *quantitas* spectanda est: quantum nempe in actione quavis insit boni vel mali, ut aequum de ipsa et rectum fiat judicium sive imputatio; cujus proinde varii sunt gradus.

Quum porro duobus elementis, ut vidimus, *lege* nimirum et *voluntate*, constet actus moralis, fit, ut ad illorum rationem accommodare se debeat imputatio: hanc scilicet eo majorem esse oportet, quo gravior est lex, idest majoris ponderis atque excellentior est actio, quam ipsa praescribit; et quo, in actu bono vel malo exsequendo, promtiorem se atque alacriorem praebuit voluntas.

101. 1° Igitur spectari debet *actionum objectum:* quanto enim objectum est sublimius, tanto etiam praestantior, quae in illud fertur, est actio; major autem, ex adverso, et severiore poena digna transgressio. Hinc peccata, in Deum ipsum directe commissa, graviora sunt, quam quae in homines.

2° Consideranda venit *agentis qualitas* et *conditio.* Sic quod ab inimico confertur, praestitum ab amico beneficium superat; major contra et foedior est ab amico, quam quae ab inimico, illata injuria.

3° Expendenda *natura ipsa actionum:* prout scilicet, in iis exsequendis, plus minusve difficultatis inest. Quo enim, ceteris paribus, difficilior

---

relium imperatorem cum Antonino Pio, de filio suo Commodo graviter conquerentem inducit; quo audito, sic eum Antoninus jure objurgat et corripit: « J'ai su qu'il (Commode) a mené une vie infâme. Mais pourquoi as-tu négligé son éducation? tu es cause de son malheur; il a bien plus à se plaindre de ta négligence qui l'a perdu, que tu n'as à te plaindre de ses désordres ».

est actio, eo etiam pulcrior et laudabilior habenda est. At e contrario, quo facilius erat pravum facinus non admittere, eo magis damnandum illud est, et acerbiore supplicio multandum (V. n. 179, *nota*).

4° Adverti etiam debent actionis *exitus*. Eo quippe majore laude vel vituperatione digna est actio, quo facile erat prospicere, illius exitus utiliores vel nocentiores fore.

5° Hisce omnibus addi possunt *adjuncta* temporis, loci, etc., in quibus fit actio: ab his enim illius bonitatis vel pravitatis quantitas quammaxime pendet.

102. Virtutis itaque et nequitiae, indeque meriti et demeriti, sui sunt gradus; hi autem elatiores vel demissiores esse possunt. Hinc, quoties alicui, definito modo, imputanda est actio, hanc momento suo ponderare opus est. Nam, ut paucis dicta perstringam, - prout major aut minor est actionis dignitas, ratione legis, quae illam praecipit; prout majus aut minus est bonum vel malum, ex actione partum; prout plus minusve difficile erat, actionem facere vel omittere; prout majore vel minore libertate edita est actio; prout validiores aut infirmiores fuerunt causae, quibus ad agendum quis fuit impulsus; prout agens plus minusve intenso cordis affectu, vel segniter ac perfunctorie rem est adgressus; prout demum ejus menti et consilio major aut minor vis fuit ac firmitas -; sic etiam actionis imputatio majorem minoremve efficaciam habet, hujusque imputationis effectus vel fructuosiores sunt vel exitiosiores.

103. Ex his omnibus liquido patet, quid de

Stoicis sentiendum sit, qui peccata omnia, non secus ac recte facta, aequalia esse docent. Ad hoc porro paradoxum propugnandum, plura ipsi congerunt, quemadmodum penes Ciceronem videre est (*Parad.* III): *In quo peccatur*, ajunt, *id potest aliud alio majus esse, aut minus; ipsum quidem illud peccare*, *quoquo verteris*, *unum est* (1)..... *Siquidem est peccare, tamquam transilire lineas; quod cum feceris, culpa commissa est: quam longe progrediare, cum semel transieris, ad augendam transeundi culpam nihil pertinet. Peccare certe licet nemini. Quod autem non licet, id hoc uno tenetur, si arguitur non licere. Id si nec majus nec minus unquam fieri potest,..... quae ex eo peccata nascuntur, aequalia sint oportet.*

Arguta et subtilia haec esse, taliaque ut prima fronte fucum facere possint, haud inficiamur. At si, subtilitatibus et cavillis posthabitis, res ingenue ac nuda ponatur, inepta illa esse nullo negotio perspicitur. Nihilne igitur, amabo, interest, patrem quis enecet, an servum? Qui privato alicui mentitur, haud minore scelere commaculatum nec leviore poena dignum dixeris, quam qui patriam prodit?... Haec porro, absurda plane et communi sensui repugnantia, quis nostrum est, quin statim intelligat? (2).

---

(1) Ad quod magis magisque confirmandum, hac etiam speciosa comparatione utuntur: *Auri navem evertat gubernator, an paleae; in re aliquantulum, in gubernatoris inscientia nihil interest.*

(2) In rem apte atque eleganter Horatius (*Sat.* I, 3):

Si quis eum servum, patinam qui tollere jussus
Semesos pisces tepidumque ligurrierit jus,
In cruce suffigat; Labeone insanior inter
Sanos dicatur.....
Comminxit lectum potus, mensave catillum
Evandri manibus tritum dejecit: ob hanc rem,

CAPUT III.

De conscientia morali, ejusque regulis.

104. In Capite superiore diximus, quomodo ad alienos actus applicanda sit lex, quo recta illorum fiat imputatio. Dicendum modo de legis applicatione ad actiones nostras proprias; unde specialis quaedam imputatio, nobis ipsis facta, sive *conscientia moralis*.

Quae nihil est aliud, quam « judicium speculativum de actionum nostrarum moralitate » (1), judicium, inquam, *speculativum*, nequaquam vero *practicum:* quippe quod, - tametsi circa res morales versatur -, moralitatem nihilominus, sive practicam, minime comprehendit, totumque in mera affirmatione logica consistit. Judicium practicum, ex adverso, seu practica recognitio (V. n. 90), ipsissimus est moralis actus. Quare conscientia moralis definiri etiam poterit « judicium speculativum de judicii nostri practici ejusque effectuum moralitate ». Effectus autem judicii practici sunt affectus et actus externi; qui, uti vidimus (n. 88-9), practici ipsius judicii naturam induunt: boni nempe sunt vel mali, prout rectum vel iniquum est ju-

Aut positum ante mea quia pullum in parte catini
Sustulit esuriens, minus hoc jucundus amicus
Sit mihi? quid faciam, si furtum fecerit, aut si
Prodiderit commissa fide, sponsumve negarit?
Quis paria esse fere placuit peccata, laborant,
Quum ventum ad verum est; sensus moresque repugnant.

(1) Hinc discrimen patet, quod probe retinendum est, inter conscientiam moralem, et conscientiam psychologicam seu theoreticam, uti jam alias innuimus (V. *Logica* n. 2).

dicium, quod praecedit et a quo ortum ducunt (1).

105. Ex praejacta conscientiae moralis notione, manifestum est, hanc posse (2) judicium practicum sive actum moralem praecedere, - determinando scilicet, quomodo perfici hoc debeat -; vel ipsi comitem ire; vel illud subsequi, adprobando nempe vel improbando, prout recte vel inique confectum est.

Conscientia itaque moralis, si *tempus* spectetur, quo in homine primum se prodit, triplex distinguitur: *antecedens*, *concomitans* et *consequens*.

106. Quod si ratio habeatur ad *veritatem,* - quae una proprie norma conscientiae esse debet -, haec dividitur in veram, et errantem seu falsam. Quibus adjungi potest conscientia *recta;* de qua postmodum dicemus.

Vera est conscientia, quum, lege et actione sedulo inter se comparatis, legi consentaneam, vel dissen-

(1) Judicium practicum, eique proximos affectus et externos actus, internum quoddam gaudium, vel tristitia consequitur, prout conscii sumus, judicium illud, ad legis praescriptum (adinstar scilicet cognitionis directae, quae proxime nobis est lex), vel legi ipsi adversum, nos protulisse. Hoc porro gaudium et tristitia, vel, - uti communius dicunt -, conscientiae pax et morsus, naturalis et prima est legis sanctio, de qua suo loco mentio facta est (n. 72).

(2) *Posse*, inquam: falso enim quispiam arbitraretur, conscientiae actum, necessario et semper, cum actu morali conjunctum iri. Quod sibi quisque facile persuasum habebit, si animadvertat, actum judicii practici duobus hisce elementis omnino constare: 1° scilicet directa entium cognitione (quae cognitio, normae vel legis locum tenet); 2° reflexa seu practica eorumdem entium, directe perceptorum, aestimatione (haec autem est normae ipsi seu legi voluntatis adhaesio). Ad actum porro moralem constituendum nil amplius requiri, perspicuum est. Quae igitur illi comes adjungitur, conscientia, tertius quidam est actus ab illo distinctus. Id insuper ex eo etiam invictissime comprobatur, quod homo in actus quosdam saepenumero erumpit, quin eorum sit conscius; juxta generale illud principium, quod jam in *Logica* statuimus (n. 79), nempe: « Quilibet animi nostri actus sibi ipsi incognitus est ».

taneam actionem esse declaramus, quae cum lege revera consentit, vel ab ea dissentit. Sic, qui, - omnes licet homines celare possit -, nihil tamen avare, nihil injuste, nihil libidinose, nihil incontinenter sibi faciendum esse putat, veram illi conscientiam tribuimus. Si contra judicamus, actionem legi congruentem, vel incongruentem esse, quae reapse non sit, conscientia dicitur *errans* (1). Hinc conscientia laborat erronea, qui, - uti Pythius ille (quem memorat Cic., *De off.*), qui argentariam faciebat Syracusis -, alterum censeat, utilitatis suae causa, fallere doloque deludere sibi licitum esse; vel qui, ut solus regni potiatur (quemadmodum de Romulo legimus) fratrem interimi jure posse existimet. — Dupliciter tamen erronea esse potest conscientia: vincibiliter, aut invincibiliter. Error (non secus ac de ignorantia diximus, n. 81), est *vincibilis*, quum a voluntate, utpote praecipua ejus causa, dimanat; *invincibilis* autem, si alicui alii causae, citra voluntatem, adscribendus sit (2).

107. Conscientia demum, - quod ad *persuasionem* spectat, quam sibi quis induit de propriae actionis moralitate -, in certam, dubiam et probabilem dividi solet (V. *Logica*, n. 229).

Certa dicitur conscientia, quum firma et rationalis nobis inest persuasio, de morali actionis nostrae qualitate recte nos dijudicasse. Sic certa est conscientia judicis, qui testibus, fide omnino dignis

(1) Triplici tamen ratione errare potest conscientia: vel nempe circa *existentiam legis*, vel in ejusdem *applicatione*, vel quoad facti, ad quod lex applicatur, *adjuncta*.

(2) Ex his, quae de lege morali innata sive naturali, diximus, manifestum est, errorem invincibilem, circa hanc ipsam vel proxima ejus consectaria, admitti non posse.

atque inter se consentientibus, fultus, necnon aliis argumentis, - ab adjunctis loci, temporis, personarum.... depromtis -, innixus, sententiam de reo aliquo profert. Quod si nulla sit ratio cui innitamur ad judicium quoquomodo ferendum, vel rationes hinc inde aequales et secum ipsae pugnantes, pro actionis bonitate et pravitate, nobis appareant, conscientia vocatur *dubia*. Exemplum conscientiae dubiae nobis fortasse praebet filius, qui, quum patrem exitium atque perniciem patriae clam moliri rescierit, anceps haeret et incertus, utrum paternum scelus magistratibus palam facere, an silere debeat: hinc namque parentis, illinc vero patriae charitate trahitur (1). At si rationes, cur judicium formemus, adsint quidem, sed insufficientes, - ad plenam scilicet animi persuasionem gignendam nequaquam idoneae -, tunc conscientia *probabilis* nuncupatur. Cujus exemplum habemus in bono illo viro (de quo Cic., *De off.*); qui, *ab Alexandria profectus Rhodum, magnum frumenti numerum advexerit in Rhodiorum inopia et fame summaque annonae charitate; si idem sciat complures mercatores ab Alexandria solvisse, navesque in cursu frumento onustas petentes Rhodum viderit: dicturusne sit id Rhodiis, an silentio suum quamplurimo venditurus?* Negat ille, ex. gr., se teneri rem Rhodiis manifestare, atque ita ferme argumentatur: Sine insidiis ago; nulla in frumento sunt vitia, quae, quatenus jure civili constitutum

(1) Si tamen Ciceroni credimus, nullum hoc in casu dubium suboriri potest: *Quid*, quaerit ipse, *si tyrannidem occupare, si patriam prodere conabitur pater, silebit ne filius?* quibus sic plane respondet: *Immo vero obsecrabit patrem, ne id faciat; si nihil proficiet, accusabit, minabitur etiam. Ad extremum, si ad perniciem patriae res spectabit, patriae salutem anteponet saluti patris.*

est, dicere me oporteat; *exposui, vendo meum non pluris quam ceteri; fortasse etiam minoris, cum major est copia. Cui fit injuria?* Non extorqueo emptoribus pecuniam, nec merces meas ipsis obtrudo. Ex quibus omnibus probabilem hanc conclusionem conficit mercator: Licet mihi de navibus, Rhodum adventantibus, silere (non enim quidquid aliis audire utile est, id mihi dicere necesse est), intereaque frumentum meum plurimo vendere (1).

Sunt et aliae complures conscientiae species, v. gr., *scrupulosa, dormitans, laxa, cauterio usta, Pharisaica*, etc., uti penes scriptores videre est, qui hanc fusius materiam pertractant; quas proinde, utpote a proposito nostro alienas, silentio praeterimus.

108. Ex proposita definitione conscientiae moralis (n. 104), hanc liquet proximam esse actionum nostrarum regulam: *proximam*, inquam, ut a lege morali distinguatur; quae, in se ipsa simpliciter spectata et quatenus in mente nostra naturaliter inest, nonnisi regula *remota* dicenda est.

Maximi igitur est momenti, conscientiam rite adhibere eamque caute ac prudenter consulere, ut recte agere possimus. Qua de re praeceptiones quaedam tradi solent: hae nimirum sunt, quas *Regulas conscientiae* appellant. Quarum praecipuas

(1) Quod tamen ad conscientiam dubiam et probabilem attinet, abs re non erit animadvertere, usquedum nobis est dubium, utrum licita sit actio an illicita, vel ad judicium de illius moralitate efferendum, sat apta et sufficientia desunt argumenta, nullam, proprie loquendo, de re illa, nobis inesse conscientiam. Quapropter satius erit fortasse, praedictis adpellationibus dimissis, binos animi nostri status, ad conscientiam quod spectat, distinguere: *conscientiam* nempe *factam*, et *conscientiam infectam* (nondum factam).

saltem, quasque magis cujusque interest nosse, uti nostri est muneris, exponemus.

109. Sed hoc in primis generatim statuendum est, teneri unumquemque conscientiam suam illustrare; totis nempe viribus conniti, ut rectam sibi conscientiam comparet: *recta* porro dicitur conscientia, quam tuto sequi liceat (1). Ad quod consequendum, cum legem, tum actionem cui lex applicari debet, naviter expendere opus est: nil scilicet eorum praetermittere, quibus legis mens atque vis plane intelligi potest, quaeque ad propositam nobis actionem penitus dignoscendam faciunt; sedulo insuper exquirere, utrum doctrina, sagacitate, prudentia aliisque adjumentis, ad rectum de re, de qua agitur, judicium ferendum, simus instructi. Quae quidem omnia maxime juvant et necessaria sunt, ni turpem levitatis ac temeritatis notam subire velimus.

110. Ad speciales modo conscientiae Regulas venio; quarum haec est

1ª « Nunquam licet contra conscientiam veram agere, quae actionem utpote vitiosam declarat ». Quod autem de actione dicimus, de *omissione* id quoque dictum puta.

2ª « Illicitum semper est contra conscientiam, utut erroneam, agere ». Qui enim actionem quampiam, malam esse judicat, et tamen conficit, malum scienter amplectitur, ideoque peccat (2).

(1) Is enim turpiter hallucinaretur, qui, - eo quod conscientia, nostrarum actionum proxima est regula, illud putaret recte fieri, quidquid sibi fingeret vel lege praecipi vel permitti. Hoc namque primum sciendum est, an justa et rationabili de causa persuasum quid habeamus.

(2) Hominem porro ad conscientiae suae dictamen semper agere oportere, Scriptura sacra aperte docet. Sic Apostolus, in *Epistola*

At in mentem revocare opus est, duplici ratione erroneam esse posse conscientiam: invincibiliter et vincibiliter. Si primum, quum agens se in errore versari insons ignoret, non modo potest, verum etiam debet conscientiam invincibiliter errantem sequi (1). Si alterum, semper peccat (proh misera ejus conditio !), sive conscientiae pareat, sive ei reluctetur contraque ejus dictamen agat: primo enim in casu, actionem illicitam patrat, quae ipsi voluntaria est in causa, ob culpabilem nimirum in veritate inquirenda negligentiam; in altero vero, ad id voluntatem inclinat, quod, licet falso, malum esse existimat (2). Maximi igitur cujusque interest, uti jam paullo ante monuimus, propriam conscientiam erudire atque illustrare: siquidem, quoties discuti potuit error, nec discussus est, misere cogitur ipse peccare, quascumque partes amplectatur. Huc spectat sequens Regula

3ª « Conscientiam vincibiliter erroneam exuere quisque tenetur » (3).

---

ad Romanos: *Qui autem*, ait, *discernit* (inter cibos, sibi persuadendo aliquos prae aliis esse illicitos), *si manducaverit, damnatus est: quia non ex fide. Omne autem quod non est ex fide* (idest ab conscientia, seu ingenua recte agendi persuasione) *peccatum est.* Peccat ergo, qui comedit cibos licitos, putans illicitos esse; sibi namque, ex conscientia erronea, persuasum habet, peccatum esse illos comedere, et tamen comedit.

(1) Unde liquet, male a nonnullis conscientiam rectam et non rectam pro vera et errante assumi. Siquidem *recta* (V. n. 109) generatim dicitur conscientia, quam sequi debemus. Atqui et conscientiae invincibiliter erranti, ut modo vidimus, obsequendum est. Quare conscientia, *errans* simul et *recta* esse potest; haec igitur latius patet quam *vera*.

(2) Ad rem S. Thomas: *Si tali conscientia* (erronea) *manente, agere disponat, quantum in se est, ex hoc ipso habet voluntatem legem Dei non observandi: unde mortaliter peccat* (De verit.).

(3) Complures, ad id consequendum, viae nobis et rationes patent; cujus praecipuae sunt: 1° « Sincerum atque ardens boni (moralis) desiderium ». 2° « Aequa et genuina ejusdem boni aestimatio; indeque salutaris, illius amittendi metus ». 3° « Animus pravis opinionibus et

111. Hic tamen juvat animadvertere, - ut recte et secundum conscientiam agere possimus -, certitudinem omnimodam atque perfectam, quaeque vel ipsam errandi possibilitatem tollit, nequaquam requiri; sed eam sat esse, quam vulgo *moralem* appellant (rectius fortasse *normalem* vel practicam diceres). Hoc quippe nomine certitudo illa donatur, quam talia gignunt argumenta, ut prudentem omnem removeant errandi formidinem, nullumque rationabiliter dubitandi locum relinquant.

112. Pauca modo de conscientia probabili et dubia, sive de conscientia nondum facta.

Non semper homini datum est eam adipisci conscientiam, quae principiis certis et demonstrativis, - quantum saltem per moralium rerum naturam licet -, innititur; ita ut judicium, quod de actione aliqua instituit, rectum esse, probari omnino possit. Saepissime namque fit, ut, - quamvis de judicii quod ferimus, veritate aliquatenus constet, eaque nobis, ut ita dicam, suboleat -, per certa nihilominus principia, recte ratiocinando, demonstrari nequeat. Conscientia, quae hoc in casu de actionis moralitate nobis inest, nonnisi *probabilis* est.

113. Conscientia probabilis suum habet fundamentum in exemplo atque auctoritate, quibus subobscurus quidam naturalis convenientiae sensus et interdum causae vulgares accedunt, quae ex ipsa rerum natura deductae videntur.

---

praejudiciis vacuus, idemque culpis ac vitiis, quoad ejus fieri possit, immunis ». Prae ceteris demum, « preces et obsecrationes humiles ac supplices ad Deum, qui renes et corda scrutatur, ut animi nostri labes ac maculas funditus eluat ». Deum autem preces nostras exauditurum, aperte Christus ipse, in *Evangelio* S. Lucae, hisce verbis nobis praestat: *Petite, et dabitur vobis; quaerite, et invenietis; pulsate, et aperietur vobis.*

Hac porro probabili conscientia plerique hominum ducuntur. Quotus enim quisque est, qui, per veram nitidamque consequentiarum seriem, ex genuinis fontibus necessitatem (moralem) hauriat exequendorum officiorum? Quod etiam difficilius evadit, si de illis moralis disciplinae praeceptis agatur, quae, cum a primis principiis remotiora sint, longam ratiocinationem desiderant. Contra rationem igitur non faciunt, qui, ubi certa deest conscientia, probabilem, tamquam ducem sequuntur (1).

114. Sed quoniam non ita demum firma sunt conscientiae probabilis fundamenta, ut iis omnino insistere possimus, hae nobis Regulae statuendae videntur:

1ª « Totis viribus enitendum est, ita verisimillimas opiniones nostras reddere, ut, quantum fieri potest, ad conscientiam bene illustratam et certam accedamus; nec probabilibus immorandum, nisi quum ulterius progredi non licet ».

2ª « Si duae nobis de re aliqua probabiles opiniones sint praesto, probabilior minus probabili anteponenda est, ac prae illa amplectenda ».

115. At pone, hominem inter duas opiniones aeque probabiles versari, status ille animi tunc exoritur, quem *dubitationis* appellant; pro quo subsequentes Regulae praescribuntur:

1ª « Si de legis *positivae* existentia addubitetur, neque dubitationem eximere datum sit, lex profecto non obligat; at ubi dubitatio circa rem sit,

(1) Ita omnino sentit et Seneca: *Nunquam*, ait, *expectamus nos certissimam rerum comprehensionem, quoniam in arduo est veri exploratio, sed ea imus, qua ducit veri similitudo: omne hac via procedit officium* (De benef.).

quae ad legem *naturalem* pertinet, - ideoque malum, actioni ipsi intrinsecum, spectet -, mali hujusce periculo defungi, proindeque ab agendo se penitus abstinere opus est » (1).

2ª « Quod si eo adductus sit homo, ut illi ratio et tempus, ad rem ulterius expendendam, non suppetat, atque alterutra ex partibus hic et nunc necessario amplectenda sit, pars tutior tunc est eligenda » (2): tutior autem est illa, quae magis removet errandi periculum (3). Sic, ubi de reo aliquo sit ferenda sententia, - si legitima de crimine illi adscripto suboriatur dubitatio -, hunc absolvere omnino convenit: tutius namque et satius est non punire sontem, quam innocentem condemnare. Sic etiam, stipem deprecanti, - quem dubites, utrum vere inops sit -, conferre decet: nam melius et tutius est illi dare qui non eget, quam egenti denegare (4). Item, qui dubitat, utrum dato aliquo cibo, ex Ecclesiae legibus, vesci esurialibus feriis liceat, nec ne, ab illo edendo abstinendum illi est: hanc enim liquet partem esse tutiorem (5).

(1) *Bene praecipiunt*, teste Tullio, *qui vetant quidquam agere, quod dubites aequum sit an iniquum; aequitas enim lucet ipsa per se; dubitatio cogitationem significat injuriae* (De off.).

(2) Quemadmodum monet Polignacus in *Antilucretio:*

In dubiis porro, quae pars est tutior, illam
Recta sequi suadet ratio.

(3) Quare opinio *tutior* dicitur favere legi, eo quod asserit extare praeceptum, aliquid jubens aut vetans; *minus tuta,* contra, favere libertati, quia praeceptum hujusmodi esse negat: homini scilicet liberum permittit arbitrium, alterutrum eligendi.

(4) Tutior generatim est pars illa, quae adversatur cupiditatibus, nec nimium hominum studiis et propensionibus indulget. Hinc, in dubia causa, rarum est discrimen, si amorem illum potius auscultes qui aliis debetur, quam quo teipsum prosequeris.

(5) At cavendum hic est, ne, dum partem tutiorem anquirimus, plus aequo aestuet animus ac perturbetur. Quod illis praesertim contingit, qui scrupulis sunt obnoxii, unde conscientia *scrupulosa*. Scrupulus autem, - vel, ut recte etiam dicitur, pusillanimus spiritus -, est

Sed hic gradum nos sistimus: quae enim de conscientia morali breviter disseruimus, philosophiae elementorum studiosis sat esse arbitramur. Caeterum, qui plura hac de re sciendi desiderio tenetur, egregium Rosminii opus adeat, cui titulus, *Trattato della coscienza morale*.

PARS ALTERA

ETHICA SPECIALIS; IDEST DE RECTE AGENDI, SIVE BONUM MORALE ACQUIRENDI RATIONE.

116. In prima Ethices parte, boni moralis naturam expendimus; nunc modus seu ratio tradenda est, qua homo bonum hoc consequi, sicque bonus et ipse fieri potest.

Jamvero bonum, proindeque malum, morale suis sibi homo comparat actibus et habitibus (V. n. 4). Quibus idcirco, veluti instrumentis, ad meliorem vel deteriorem conditionem suam faciendam, ipse utitur. De actibus humanis jam supra dictum est; restat ut de habitibus dicamus.

---

inanis metus mentem invadens, nullis quidem sat firmis innixus fundamentis: quaedam videlicet formido, ex levibus ac futilibus motivis orta, quae persuasionem ingerit, peccatum esse ubi revera non est, hominemque in agendo anxium perpetuo atque sollicitum habet.

Multae porro sunt scrupulorum causae, quemadmodum rerum divinarum magistri docent; inter quas notatu potissimum digna est, ut hic obiter dicam, occulta quaedam superbia, qua quis se prae ceteris aestimat, proprio nempe nimium fidit judicio, neque alieno acquiescit. Huic igitur malo in promtu, idque simplicissimum, est remedium: Quos scrupulosa angit conscientia, hos omnino necesse est, pro peritorum et sapientum hominum judicio se gerere; neque alia profecto est via, quam hi tuto possint insistere. Qui namque ita sunt misere constituti, adolescentulis assimilari possunt, quorum tenellum adhuc est ac mobilissimum ingenium; quos propterea moderatorum suorum monitis patienter aurem accommodare, eorumque praeceptis, quin ne minimum quidem ambigant, confestim obsequi oportet.

117. *Habitus* nomine intelligitur « quaedam ad agendum facilitas, per frequentes actus acquisita » (V. *Logica*, n. 47). Quum autem diversi, - pro potentiarum, a quo gignuntur, diversitate -, sint actus, fit ut diversi quoque, triplicis nempe generis, distinguendi sint habitus: animales, intellectuales et morales (V. *Logica*, n. 124).

Habitus igitur morales, de quibus hic agimus, ab actuum moralium frequentia ortum ducunt. Hinc, quemadmodum actus, ita et habitus morales, boni vel mali esse possunt.

118. Habitus bonus, uno nomine, virtus; malus autem, vitium appellari consuevit.

Est igitur *virtus* « acquisita quaedam propensio, seu habitus voluntatis, actiones omnes, ad legis praescripta componentis »(1): habitus vero contrarius, sive « inclinatio ad agendum contra legem », *vitium* nuncupatur (2).

119. Ex hac virtutis notione liquet, plura virtutum genera distinguenda esse. Quae tamen omnes ad quatuor praecipuas, - vel ab antiquissimis temporibus -, reduci consueverunt, quas proinde *virtutes cardinales* appellant: quippe quae caeterarum fons et principium sunt, ac veluti *cardo*, quo

---

(1) Vel, quemadmodum definit Cicero: ***Virtus est animi habitus naturae modo rationi consentaneus*** (De invent.).

(2) Ex quo manifesto liquet, ad virtutes et vitia constituenda, singulares quasdam et fluxas actiones nequaquam sufficere, sed bene vel male agendi consuetudinem requiri. Quapropter, ut probus ab improbo recte dignoscatur, hominum vitam eorumque agendi rationem in universum expendere opus est. Profecto, nonne vel optimum atque eximium virum, tanta nimirum est humanae naturae infirmitas! quidpiam interdum delinquere; scelestum contra et vitiis sordescentem, laudabile aliquando facinus patrare videmus? Ne igitur mortales, recti vel mali prima fronte decepti, meliores aut nequiores statuamus, quam revera sunt; sed eadem cura et diligentia, cum probitatis, tum nequitiae gradus secernantur.

tota hominum vita incumbere ac verti debet. Hae porro sunt *temperantia*, *prudentia*, *fortitudo* et *justitia;* de quibus postmodum dicemus.

120. Virtus itaque est habitus bonus (1); bonus autem habitus eo spectat, ut actus bonos gignat. Ex quo palam fit, habitum, - qui ab actu, ut modo vidimus (n. 117), tamquam effectus proficiscitur -, ejusdem vicissim *causam* esse posse. Humani porro actus dicuntur boni, quum officiis moralibus satisfaciunt.

Quare virtus, - quam bene agendi, seu bonos actus exsequendi habitum diximus -, recte nuncupari etiam poterit « habitus proprium officium adimplendi »; vitium autem, « habitus ab officio suo discedendi ».

121. *Officium*, generatim, uti vox ipsa declarat, illud est, quod quisque *efficere* debet; quod nempe homo, ad legis praescriptum, facere tenetur, ut bonus sit. Sensu autem concreto et subjectivo, est legis ipsius observatio, seu « actus, qui erga ens aliquod intelligens, juxta moralem ejus exigentiam, libere exercetur ». Neque aliud hoc demum est, quam simplex supremi ipsius Principii moralis applicatio.

Profecto, supremum morale Principium, vel, ut etiam vocant, Primum imperativum nos jubet ens, - in ordine suo, utpote nimirum est -, practice recognoscere: idest *entia* percepta, pro cujusque dignitate sive entitatis gradu, genuine aestimare atque diligere (V. n. 42). Summum igitur atque universale hominis officium exprimit, in quo alia omnia implicite continentur; quibus satisfaciendo,

(1) *Habitus* quippe ex eo dictus videtur, quod potentia ad actus suos bene vel male se *habeat*.

bonum honestum seu morale sibi comparat homo, et bonus fit.

122. Jamvero, super omnia longe excellit atque eminet Ens absolutum et perfectum, quod nempe totam in se entitatem sive entis plenitudinem complectitur: id porro est Deus (V. n. 44). Cum quo cetera entia si conferantur, nonnisi relativam quamdam ac, pene dixerim, commodatam entitatem haec habere manifestum est.

Omnium itaque finis est Deus; nihil Enti absoluto praeferre licet; practica quae de eo fit, aestimatio absoluta quoque esse debet; atque ad illud cetera entia referenda sunt (V. n. 101).

123. Horum tamen entium duo genera distinguuntur: alia nimirum intelligentia sunt praedita, uti homo; alia carent, cujusmodi sunt bruta animantia, plantae etc. Illa ad Ens absolutum, tamquam ad proprium finem cum eoque conjunctionem, recta tendunt; haec contra, ad entium intelligentium usum tantummodo constituta et ordinata sunt. Quare entibus intelligentia instructis absolutum quoddam est pretium, quippe quae ad Entis absoluti possessionem spectant: hinc enimvero illorum dignitas atque praestantia.

Entia igitur, quae intelligentia pollent (utpote *personae*) rationem habent *finis;* quae autem intelligentia sunt destituta (quatenus *res* merae) nil aliud sunt, quam *instrumenta*, quibus priora illa utuntur. Sub hoc itaque, cuique proprio et peculiari respectu, - tamquam *personae* nimirum, et *res* -, hujusmodi entia consideranda sunt; secus enim perperam aestimarentur, inordinatum de illis atque perversum fieret judicium; hinc iniqua nostra agendi ratio.

124. Ex his porro omnibus colligere pronum est: 1° Virtutis moralis fundamentum in *Ente absoluto,* nempe Deo, inesse, ad quem omnia omnino entia referuntur; 2° quo practica de rebus aestimatio sit moraliter bona, requiri, ut in *ente intelligente* initium et finem habeat: ut nimirum intelligens sit cum subjectum actionis, tum illius objectum. Quapropter nullum, proprie loquendo, in entia irrationalia officiorum genus; quod vel ex ipsa officii definitione perspicuum est (V. n. 121).

Deus igitur et *homo*, en vera et propria moralium officiorum objecta: Deus scilicet, utpote Ens absolutum; homo, quatenus ad absolutum spectans.

125. Atqui et ego ipse homo sum, - humana autem natura, ubicumque sit, practice recognosci, seu uti decet in pretio haberi ac diligi debet -; ergo in me quoque officia quaedam mihi exsolvenda esse manifestum est.

Quae tamen officia, - quippe quae ab humano individuo (dall'*io*) haud recta proficiscuntur (1), sed istinc unice emanant, quod homo quilibet intelligentia praeditus atque humanae naturae particeps est -, peculiare quoddam, et ab aliis distinctum, officiorum genus minime constituunt, sed inter generalia hominis erga homines officia adnumeranda sunt.

126. At enim, quì homo scire posset, quid humana ab eo natura reposcat, quidve illi tribuendum sit, nisi hanc in seipso experiretur ac per-

(1) Siquidem, uti jam alias animadvertimus (n. 33), absurdum est dicere, quempiam sibi seipsum obligare posse. *Nemo*, ait Seneca, *sibi debet; et hoc verbum* debere *non habet nisi inter duos homines* (De benef.).

sentiret? Homo scilicet hominem in seipso et per seipsum cognoscit: quid nempe humanam naturam deceat, quodnam proprium illius sit bonum, quid illi prosit vel noceat, quid gratiam apud illam, quid vero offensionem habeat. Brevi: ex nostrummet atque illorum quae in nobis contingunt cognitione, hominum seu nostri similium cognitionem haurimus: eorum scilicet indigentias atque necessitates, et quidquid generatim illorum interest, novimus; hinc quomodo erga illos, affectos nos esse oporteat, perspectum habemus.

Quo fit, ut ea, quae nos respiciunt, distincta, proprie loquendo, ac peculiaria officia (uti jam paullo ante monuimus), dicenda non sint, sed potius norma quaedam ac regula, ad quam officia erga alios homines sunt exigenda. Quod cum divino illo christianae charitatis praecepto omnino consentit: *Diliges proximum tuum, sicut teipsum;* quibus verbis unum tantum a Christo, nequaquam vero duplex, quod ad creaturas intelligentes spectat, mandatum nobis impositum est (1).

127. Hisce tamen praemissis atque animadversis, nil prohibet, quominus, majoris perspicuitatis gratia, universa hominis officia in tres classes, uti penes rerum moralium scriptores mos est, et nos dividamus: in officia videlicet erga *Deum*, erga *seipsum*, et erga *sui similes* idest proximum suum (2).

(1) Haec enimvero legimus in *Evangelio* secundum Matthaeum: *Interrogavit eum* (Jesum) *unus ex eis legis doctor, tentans eum: Magister, quod est mandatum magnum in lege? Ait illi Jesus: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et in tota anima tua, et in tota mente tua. Hoc est maximum et primum mandatum. Secundum autem simile est huic: Diliges proximum tuum, sicut teipsum.*

(2) Huc profecto spectare videntur verba haec, quibus Apostolus, in *Epistola ad Titum*, nos admonet, ut *pie*, *sobrie* et *juste* vivamus in hoc saeculo.

SECTIO PRIMA

ETHICA RELIGIOSA SEU DE HOMINIS OFFICIIS ERGA DEUM.

128. Suprema lex moralis (idest supremum morale Principium), quae practicam jubet entis recognitionem in ordine suo, si ad Deum referatur, hanc induit formam: « Recognose practice Deum, uti revera est, seu tamquam Ens absolutum »; proindeque dignum, quod immensum prae ceteris et infinite aestimetur. In hoc porro praestantissima *Religionis virtus* tota consistit; cujus duae sunt partes: *cognitio* Dei, ejusque *cultus*.

Hominis igitur erga Deum officia (Ethica religiosa) ad bina reducuntur, suntque: 1° Deum nosse; 2° rite eum colere (1).

CAPUT I.

Officium cognoscendi Deum.

129. Primum hominis erga Deum officium est ipsum *cognoscere*, idest ejus existentiam firmiter credere ac pro certo habere, de eoque recte sentire: illum videlicet tamquam Ens supremum, aeternum, infinitum, omnipotens, sapientissimum, mundique a se conditi imperatorem summum ac providentissimum, necnon humani generis patrem amantissimum profiteri (1).

(1) Quod omnino cum iis consentit, quae, vel a pueris, e *Cathechismo* didicimus: « Ad hunc finem creavit nos Deus, ut eum cognoscamus, diligamus, eique famulemur ».

Quod quanti momenti sit, nemo profecto est quin videat; ubi enim falsa et distorta de Deo viget opinio, ibi vitiatam funditus atque corruptam moralem hominis naturam esse necessum est: exemplo sunt luculentissimo gentes, impura deorum superstitione adstrictae.

130. Atqui idea Dei est homini, in primis principiis lumine naturae notis, quodammodo insita; quo fit, ut ejus existentia a nemine invincibiliter ignorari possit. Hujusce insuper veritatis sat est attendisse dilucida et tamquam sub sensus cadentia argumenta, quae catervatim undequaque prosiliunt. Profecto, causarum inter se is est nexus eaque ordinatio, ut in aliqua prima causa necessario consistendum sit. Ad haec, ita mirabiles orbis totius sunt ordo, structura et pulcritudo, ut quisque facile intelligat, sapientissimum rerum omnium ordinatorem atque gubernatorem admittendum esse. Postremo, omnes omnino homines, semper et ubique terrarum, una mente ac voce, de supremi Numinis existentia consentientes habemus: quod mehercule validissimum veritatis argumentum esse, neminem fugit.

Sed haec leviter attigisse sufficiat: nam de Dei existentia ejusque attributis jam fusius in *Metaphysica* dictum est.

(1) *Deos colit qui novit..... Primus est deorum cultus, deos credere; deinde reddere illis majestatem suam, reddere bonitatem, sine qua nulla majestas est: scire, illos esse qui praesident mundo, qui universa vi sua temperant, qui humani generis tutelam gerunt* (Seneca, *Epist.* xcv).

CAPUT II.

De cultu Dei.

131. Primum, ut diximus, erga Deum officium est ipsum nosse; alterum, colere (1). Dei namque cognitio, sterilis et otiosa non manet, sed operosa progreditur, atque utilissima ex divinis attributis colligit consectaria: actuum nimirum seriem, hisce respondentium, deducit.

Jamvero, « complexio actuum omnium, cum animae tum corporis, quibus infinitam Dei excellentiam testamur, ejusque supremum in res omnes dominium agnoscimus », *cultus* nominatur; qui propterea duplex distinguitur: internus et externus.

Art. 1. — *De cultu Dei interno.*

132. *Cultus internus* est « animae Deo devotae veneratio, internis actibus concepta » (2). Hi porro actus maxime sunt:

---

(1) *Non potest*, ita perbelle Lactantius, *nec religio a sapientia separari, nec sapientia a religione secerni: quia idem Deus est, qui et intelligi debet, quod est sapientiae, et honorari, quod est religionis; sed sapientia praecedit, religio sequitur, quia prius est Deum scire, consequens colere* (Divin. Instit.).

(2) Obligationem actus religiosos obeundi, seu interno cultu Deum honorandi, omnes, etiam ethnici, semper senserunt. *Natura*, inquit Tullius, *Deum venerari novit; nec quisquam est homo, qui lege, quae hoc praecipiat, careat* (Orat. pro Flacco).

Verum quidem est, Deum hominum cultu minime indigere. Posito tamen, quod hominem ad sui similitudinem creaverit, non potest ab eo cultum sui non exigere: quandoquidem omnia propter seipsum operatus est Dominus; alius autem finis quilibet, in hominis creatione, Deo esset indignus. Quum itaque Deus obsequium, reverentiam, obedientiam ab homine exspostulat, eumque leges a se datas servare jubet, non sua profecto id efficit causa, et quasi boni aliquid inde illi proveniat, - Deus enim sibi soli sufficit, perfectissimus omnique ex parte beatissimus -, sed ut felicitatis sibi destinatae particeps homo fiat. Quare optime S. Augustinus: *Qui Dei leges violat, non Deo nocet, sed sibi.*

1° *Amor*. Essentiale voluntatis objectum est bonum; quo fit, ut quidquid speciem boni prae se ferat, natura ipsa impellente, diligamus. Atqui Deus est Bonum summum atque perfectum, ad quod homo, uti in *Metaphysica* diximus, tamquam ad ultimum finem suum, perpetuo tendit: Deus enim est, quemadmodum S. Thomas animadvertit, *qui sua solus bonitate potest voluntatem hominis perfecte implere* (1). Ergo super omnia amore ardentissimo, - et ea omnino charitate, quam in *Epistola ad Corinthios* prima S. Paulus describit -, diligendus est Deus. Verus autem Dei amor est studium impensum, magna cum voluptate conjunctum, divinae naturae cognitionem amplificandi, atque efficiendi, ut status noster moralis Deo gratus et acceptus sit: quare propositum absolutum et efficax complectitur totam naturae legem perfecte adimplendi. Unde amorem patet, praecipuum interni cultus actum esse (2); a quo, veluti a fonte, cetera manant erga Deum officia (3).

Sed Deum vere diligere nemo proprie dicendus est, nisi qui una illum *imitari*, - ad morales nempe illius perfectiones, quoad ejus fieri possit, vitam suam componere -, studeat: non alia enim

---

(1) *Et ipsa*, ait S. Augustinus, *est beata vita gaudere ad te* (Domine) *propter te; ipsa est et non altera* (Confess.).

(2) *Hoc est maximum et primum mandatum:* ait Christus in *Evangelio* S. Matthaei. Et S. Paulus, in *Epist. ad Corinthios*, nuper memorata: *Nunc autem manent fides, spes, charitas: tria haec. Major autem horum est charitas.*

(3) Quapropter in *amore*, Dei cultus proprie ac simpliciter consistit: *Nec colitur ille, nisi amando*, inquit S. Augustinus.

ratione Deo placere potest, et dignus haberi qui ab ipso probetur. Hinc enimvero Platonici supremum morale principium in Dei imitatione ponebant (1). Nequis tamen gravem atque intolerabilem arrogantiam hanc esse putet. Nonne, quaeso, hominem ad imaginem et similitudinem suam condidit Deus? nonne ad sui ipsius possessionem nos vocat? (2).

133. 2° *Timor;* quem mehercule cum Dei amore conjunctum iri oportet. Etenim, infinite quidem bonus est Deus; at una sanctus et justus, - qui iccirco peccatum et peccatorem non odisse atque improbare nequit; sapientissimus, - quem nulla cogitatio nostra, nedum actio, latere potest (3); omnipotens, - cui semper, ad hominum maleficia punienda patet via. Magno itaque erga Deum timore esse debemus, et curas omnes impendere, ne aliquam nobis irascendi ac succensendi causam illi unquam praebeamus (4).

At optimum parentem, nequaquam vero formidolosum aut saevum numen Deum esse novimus; quem proinde non jam servili, sed reverenti metu nos prosequi opus est: quemadmodum bene mo-

(1) *Ut breviter*, ita ad Lucilium suum Seneca, *tibi formulam scribam: talis animus sapientis esse viri debet, qualis Deum deceat* (Epist. xcii); clarius autem in *Epist.* xcv: *Satis illos* (deos) *coluit, qui imitatus est.*

(2) Hinc Christus ipse, in *Evang.* S. Matthaei, ita discipulos suos aperte alloquitur: *Estote ergo vos perfecti, sicut et Pater vester coelestis perfectus est.* Et S. Paulus, ad Ephesios scribens: *Estote ergo*, inquit, *imitatores Dei, sicut filii carissimi.*

(3) *Sit igitur jam hoc a principio persuasum civibus, dominos esse omnium rerum ac moderatores deos... et qualis quisque sit, quid agat, quid in se admittat, qua mente, qua pietate colat religiones intueri; piorumque et impiorum habere rationem*, uti habet Cicero (*De legib.*). Item Seneca: *Nihil Deo clusum est. Interest animis nostris, et cogitationibus mediis intervenit* (Epist. lxxxiii).

(4) *Deum time,* ait Ecclesiastes, *et mandata ejus observa: hoc est enim omnis homo.*

ratum decet filium, qui, patris sui diligentissimus, ne in illum vel minimum delinquat, maximopere cavet (1).

134. 3° *Fides.* Sapientissimus et verax est Deus (2); vel potius, Veritas ipsa realis ac subsistens: hinc neque ipse decipi, nec alios decipere potest. Omnimoda ergo atque plenissima illi fides adjungenda est: firmiter nimirum et absque ulla animi fluctuatione, tum illae veritates credendae, quas per lumen rationis (nobis divinitus datum) detegimus, tum illae, quae divino nobis afflatu patefiunt, tametsi arcana et supra captum cogitationis ardua fortasse videantur.

Vix dum igitur constet, locutum esse Deum, lege naturali tenetur homo Fidem alacriter amplecti; neque illi a Fide semel suscepta recedere, aut, circa ipsam, dubitationem aliquam admittere licet. Quemadmodum enim qui justum mandatum regis, sufficienter promulgatum, adimplere abnuat, injuriam infert regi; sic Dei majestatem graviter laederet, ipsique naturali rationi obsisteret, qui contra Fidem, sat clare ac manifeste propositam, repugnaret.

135. 4° *Spes.* Qui hominem e nihilo libens eduxit Deus, non alium profecto, quod ad illum spectat, sibi propositum habuit finem, quam ut ad felicem ac beatam vitam perduceret. Quum autem optimus sit Deus, omnipotens et providentissimus,

(1) Optime Varro, apud S. Augustinum, ait, *Deum a religioso vereri, a superstitioso timeri.*

(2) Veracitatem Dei, quasi ad fidem nostram confirmandam, passim sacrae Litterae commemorant. Sic in *Exodo* legimus: *Deus misericors et clemens, patiens et multae miserationis, ac verax.* Item in *Evangelio* S. Jo.: *Quia Deus verax est. — Est autem Deus verax*, scribit S. Paulus ad Romanos; et ad Titum...: *spem vitae aeternae quam promisit, qui non mentitur, Deus.*

- ejus nempe consilio ac sapientia mundus gubernetur -, jam totam in eo, sine ulla haesitatione, spem nostram reponere, nosque omnino in ejus fidem committere debemus (1).

Firma porro, de sapienti mundi gubernatione, persuasio; nilque nobis, Deo nolente aut invito, contingere unquam posse, omniaque demum ad hominis utilitatem vertere, haec, inquam, persuasio in rebus gerendis animos regit ac confirmat, atque in adversis tranquillat; haec ad rerum conditionem, quam mutare non possumus, fortiter patiendam, et ad mala quaecumque ac fortunae incommoda aequanimiter et patienter toleranda nos adjuvat (2). Patientia autem atque perfecta nostrae voluntatis ad voluntatem divinam conformatione, quae nobis adveniunt mala et infortunia, leviora atque tolerabiliora reddimus; acerbiora contra, aegre illa ferendo, vel obluctando (3).

136. 5° *Preces*. Plena, ut diximus, in Deo spes atque fiducia habenda est. Sed Deo dignam hanc esse oportet; Deo autem digna non erit, nisi erga

(1) *Jacta super Dominum curam tuam, et ipse te enutriet*, ait regius Psaltes (Ps. LIV). Et S. Petrus, in *Epist.* sua prima: *Omnem sollicitudinem vestram projicientes in eum* (Deum), *quoniam ipsi cura est de vobis*.

(2) *Optimum est pati*, inquit Seneca, *quod emendare non possis; et Deum, quo auctore cuncta proveniunt, sine murmuratione comitari. Malus miles est, qui imperatorem gemens sequitur. Quare impigri atque alacres excipiamus imperia, nec deseramus hunc pulcherrimum cursum, cui, quidquid patimur, intextum est* (Epist. CVII). Paucis autem ac mirifice S. Paulus in *Epist.* ad Romanos: *Domino servientes; spe gaudentes; in tribulatione patientes*.

(3) *Si libenter crucem portas*, - sic, ingenue ac simpliciter, auctor « De imitatione Christi » -, *ipsa portabit te, et deducet ad desideratum finem... Si invite portas, onus tibi facis, et teipsum magis gravas, et tamen oportet ut sustineas*. Quod et ethnici ipsi plane viderunt:

Si dii immortales id voluere vos hanc aerumnam exequi,
Decet id pati aequo animo; si id facietis, levior labor erit:

sic legimus in Plauti comoedia, quae inscribitur *Captivi*.

ipsum obsequio ejusque mandatis obedientiae conjuncta sit. Errat igitur, qui, sola Dei bonitate ac providentia confisus, quod in se est, facere negligit.

Verum enim vero quum natura imbecillus, atque ad finem suum consequendum, absque Dei auxilio, impotens sit homo, hoc illi enixe implorandum est, atque ad Deum precibus confugiendum. Scio equidem, vanas a nonnullis et inutiles preces haberi: omnia quippe, ajunt, quae a Deo orantes deposcimus, jam illi ab aeterno cognita sunt et clare perspecta (1). At animadvertimus, non Dei, sed nostrum interesse, precibus illum adire: qui bona quaedam, nonnisi sub lege precationis nobis largiri constituit, ut sic magis magisque, venerationis, devotionis atque amoris affectu in eum accendamur (2).

Quae porro a Deo precamur, bona vera esse debent, talia nimirum, ut palam, omnibus etiam audientibus, petere possimus (3): fidem, justitiam,

(1) *Scit enim Pater vester*, uti Christus ipse discipulos suos monet, *quid vobis sit opus, antequam petatis eum* (Evang. S. Matth.).

(2) Quo omnino sensu S. Augustinus: *Cur ergo tibi* (Domine) *tot rerum narrationes digero? Non utique ut per me noveris ea, sed affectum meum excito in te..... Nam oramus, et tamen Veritas ait*: « Novit Pater vester quid vobis opus sit, priusquam petatis ab eo ». *Affectum ergo nostrum patefacimus in te, confitendo tibi miserias nostras et misericordias tuas super nos, ut liberes nos omnino, quoniam coepisti, ut desinamus esse miseri in nobis, et beatificemur in te* (Confess.).

(3) Ita nempe Macrinus; de quo Persius (*Sat.* II):

. . . Non tu prece poscis emaci
Quae nisi seductis valeas committere divis.

At illico subdit:

Haud cuivis promtum est, murmurque humilesque susurros
Tollere de templis, et aperto vivere voto.
Illa sibi introrsum et sub lingua murmurat: « O si
« Ebullet patrui praeclarum funus! *et*, O si
« Sub rastro crepet argenti mihi seria, dextro
« Hercule! pupillumve utinam, quem proximus haeres

bonam mentem, bonam valetudinem animi, exinde etiam corporis, et similia. Quum tamen in magna interdum, circa vera bona, ignoratione versemur, eaque saepenumero in votis habeamus, quae nobis, - quid petamus fortasse nescientibus -, perniciem afferrent, optimum erit, veteris poëtae modestiam et prudentiam imitari, qui hac precatione uteretur: « Jupiter rex, res quidem bonas, sive precemur sive non precemur, nobis concede; res vero noxias, etiamsi illas postulemus, a nobis arce » (1).

Quo tandem oratio nostra placens et accepta sit Deo, humilis, sincera, perseverans ac patiens sit oportet; talis nimirum ut, neque, ob dilatam opem, subito cesset, neque, ob negatam, in que-

« Impello, expungam! Namque est scabiosus, et acri
« Bile tumet. — Nerio jam tertia conditur uxor »!

Item Seneca (*Epist.* x): « Nihil Deum roges, nisi quod rogare possis « palam. Nunc enim quanta dementia est hominum! turpissima vota « diis insussurrant: siquis admoverit aurem, conticescunt; et quod « scire hominem nolunt, Deo narrant ». Nobilissimis autem hisce verbis epistolam concludit: « Sic vive cum hominibus, tamquam Deus « videat; sic loquere cum Deo, tamquam homines audiant ».

(1) Nam, uti optime Plato animadvertit in *Alcibiade* 2°: « Invenies praeterea nonnullos homines, qui filios votis exoptant; at cum filios adepti sunt, in calamitates doloresque maximos incidunt ». Quod enimvero contigit patri infelicissimo, de quo Molierus in comoedia, quae inscribitur *Le festin de pierre;* quemque hisce, notatu dignissimis, verbis secum conquerentem inducit: « Hélas! que nous savons peu ce que nous faisons, quand nous ne laissons pas au Ciel le soin des choses qu'il nous faut, quand nous voulons être plus avisés que lui, et que nous venons l'importuner par nos souhaits aveugles, et nos demandes inconsiderées ». Hinc sapienter Juvenalis (*Sat.* x):

. . . . . Si consilium vis,
Permittes ipsis expendere numinibus, quid
Conveniat nobis rebusque sit utile nostris.
Nam pro jucundis aptissima quaeque dabunt Dî,
Carior est illis homo quam sibi. Nos, animorum
Impulsu et caeca magnaque cupidine ducti,
Conjugium petimus, partumque uxoris; at illis
Notum, qui pueri qualisque futura sit uxor.

stus et murmurationes abeat; praesertim vero, a mente, sceleris pura, et mundo corde proficiscatur: vitae namque integrum diligit Deus, vitiis contra commaculatum a se longe repellit (1).

137. 6° *Gratus animus.* Si amantem redamare, atque pro acceptis beneficiis grates rependere natura ipsa docet, - vix enim ferarum est beneficium oblivisci (2); quo nos animo erga Deum esse oportet, quot illi gratias persolvere, a quo tot nobis beneficia collata sunt, atque in dies conferuntur (3)? cui immo soli, quidquid sumus et quidquid ad nos pertinet, debemus? Hoc porro grati animi officium in eo positum est, ut homo, quanti potest, divina beneficia aestimet atque testetur; ipsisque, prout illius facultates ferunt, respondere studeat.

138. 7° *Actionum relatio ad Deum.* Deus, uti jam saepius animadvertimus, ultimus ac verus est hominis finis, quem ubi assecutus fuerit, perfecta felicitate perfrui illi tandem datum est: in suum porro finem perpetuo spectare hominem decet. Inde conficitur, actus omnes nostros ad

(1) Hinc in libro *Proverbiorum* legitur: *Dominus... orationes justorum exaudiet;* et mox paullo: *Qui declinat aures suas ne audiat legem, oratio ejus erit execrablilis.* In *Ecclesiastico* similiter: *Homo qui jejunat in peccatis suis et iterum eadem faciens, quid proficit humiliando se? orationem illius quis exaudiet?* et in *Evangelio* S. Jo.: *Scimus autem quia peccatores Deus non audit; sed si quis Dei cultor est et voluntatem ejus facit, hunc exaudit.*

Neque secus et ethnicis ipsis visum est. Inter quos Plato (*De legibus*) animadvertit, « deos nonnisi virtutem audire ». Item Seneca: *Vis deos propitiare? bonus esto.*

(2) *Nullum officium*, inquit Cic., *referenda gratia magis necessarium est* (De off.). Et Q. Curtius: *Beneficiorum gratia sempiterna est.*

(3) *Quem vero*, ait Tullius, *astrorum ordines, quem dierum noctiumque vicissitudines, quem mensium temperatio, quemque ea, quae gignuntur nobis ad fruendum, non gratum esse cogant, hunc hominem omnino numerare qui decet?* (De legib.).

Deum referri, a Deo scilicet principium capessere, in eoque absolvi omnino opus esse. Id autem vel ethnici ipsi probe cognitum habuerunt; quorum bene multa ac praeclara exstant testimonia (1).

Quum nihilominus, ob naturalem hominis infirmitatem, arduum plane ac difficile, ne dicam impossibile, nobis sit, actiones omnes, intentione actuali et explicita ad Deum referre, id saltem virtualiter atque implicite perficiatur, oportet; interim vero, mente nostra, quo saepius fieri potest, ad Deum conversa, intentio illa identidem in nobis reviviscat.

Art. 2. — *De cultu Dei externo.*

139. *Cultus externus* consistit in externis actionibus, interna in Deum officia significantibus (2): cujusmodi sunt verbales invocationes et laudes; manus et oculos in coelum attollere, in genua procumbere et similia. Hic autem, publicus est vel privatus.

Verum quidem est, cultum externum, ab interno sejunctum, per se nihil valere, valde quinimo improbandum esse; utpote qui nil aliud sit, quam fucata quaedam virtutis ac religionis species, sive hypocrisis, quam tantopere Christum

(1) Sic Plato, in *Timaeo:* « Omnes, ait, qui mentis compotes sunt, in operis cujuslibet, sive parvi sive magni initio Deum invocant ». — Plinius *Panegyricum* suum, Trajano imperatori dictum, hisce verbis exorditur: *Bene ac sapienter majores instituerunt, ut rerum agendarum, ita dicendi initium a precationibus capere; quod nihil rite, nihilque providenter homines, sine deorum immortalium ope, consilio, honore auspicarentur.* — Paucis autem Horatius: *Hinc omne principium, huc refer exitum.*

(2) Vel, quemadmodum ait Bossuetus: « Le culte extérieur n'est qu'un langage pour signifier ce qu'on ressent au dedans » (*Lettre sur l'adoration de la Croix*).

odio habuisse constat (1). Hinc damus libentissime, ut iisdem Plinii (in *Panegyrico* nuper memorato) verbis utamur, *non tam accuratis adorantium precibus, quam innocentia et sanctitate* (deos) *laetari; gratioremque existimari qui delubris eorum puram castamque mentem, quam qui meditatum carmen intulerit* (2). At nihili faciendum, ut nonnulli contendunt, atque amandandum esse cultum externum, omnino negamus. Re enim vera, Deus, qui ex toto hominem condidit, ab homine toto colendus est; atqui homo anima constat et corpore; non anima igitur solum, sed et corpore Deum colere debet. Qua in re omnes ubique terrarum populos consentientes iterum habemus; quod jam in *Metaphysica* animadvertimus. Nullibi enim gentem, utut rudem atque agrestem, invenies, quae templa vel loca non habeat Deo dicata; quae precibus, aut jurejurando, aut sacrificiis non utatur; penes quam, brevi, publicus aliquis Dei cultus non vigeat.

140. Nullius autem ponderis sunt quae opponi solent, nempe: Deum, utpote purissimum spiritum, spiritu et corde colendum (3), propterea que externum cultum indignum illo esse; actibus ex-

(1) Huc enimvero spectant verba Christi adversus scribas et pharisaeos: *Hypocritae, bene prophetavit de vobis Isaias dicens: Populus hic labiis me honorat; cor autem eorum longe est a me* (Evangel. S. Matthaei, et S. Marci).

(2) E pria tu divo Spirto, a cui più grato
È d'ogni tempio un retto core e puro:

sic, Papio interprete, Miltonus, sub initium poëmatis, quod inscribitur *Il Paradiso perduto.*

(3) Nonne, ajunt adversarii, genuina haec est Christi doctrina? *Venit hora, et nunc est,* sic ille ad Samaritanam, *quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate. Nam et Pater tales quaerit, qui adorent eum. Spiritus est Deus, et eos qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare* (Evang. S. Jo.).

ternis Deum minime indigere, ut internos ac secretos animi nostri affectus cognoscat; idque genus alia. Nam 1°, quum et ipsum corpus sit opus Dei et humanam personalitatem participet, quî, quaeso, absonum et indignum videri potest, animum, illius ope ac ministerio, Deum colere? Quod autem, Christi ipsius verbis, addunt, in spiritu et veritate adorandum esse Deum, id sibi tantummodo vult, Dei cultum in internis animi actibus potissimum consistere, - quod et nos paullo ante aperte declaravimus -, at cultum externum nequaquam excludit. Ad 2^{m} respondemus, Deum quidem externis actibus, ad hominis mentem penitus introspiciendam, nequaquam opus habere: nil quippe Deum latet; sed contendimus, hujuscemodi actus homini ipsi necessarios esse, sive ut affectus suos erga Deum (ob intimum animae cum corpore commercium, de quo in *Metaphysica* mentio facta est) vehementius inflammet (1), sive ut alii homines ad Deum celebrandum debitaque reverentia colendum, de illo capiant exemplum.

Ex his autem facile quisquis intelligit, quantae utilitatis quantique momenti sit publicus cultus. Quum enim homines se totos ut plurimum negotiis suis dedant iisque perpetuo distineantur, Dei officiorumque erga illum notitiam citius amitterent, ni per publicum cultum, certis ac praefinitis diebus,

(1) Unde patet, etiam a solitario homine cultum externum Deo praestandum esse. Acute, more suo, S. Thomas: « Exercentur etiam « ab hominibus quaedam sensibilia opera, non quibus Deum exci- « tent, sed quibus seipsos provocent in divina... Deus affectum men- « tis et etiam motum corporis non propter se acceptat; sed propter « nos facimus, ut per haec sensibilia opera intentio nostra dirigatur « in Deum, et affectio accendatur: simul etiam per hoc Deum profi- « temur animae et corporis auctorem, cui et spiritualia, et corporalia « obsequia exhibemus » (*Contra Gentes*).

haec in illis quodammodo exsuscitaretur. Vel ipsum igitur bonum societatis, - ad quam homo, ut mox videbimus, factus est -, id postulare videtur: hac quippe ratione in hominum animis reviviscunt et confirmantur religionis principia, - quae fidei ac justitiae sunt fundamentum -, sine quibus nulla potest societas consistere.

141. Hactenus de cultu externo, generatim spectato. At, inter tot Deum colendi rationes, quaenam vera? quaenam digna Deo? quae ipsius naturae consentanea? Deum quippe cultum quemlibet, quem ad libidinem sibi fingeret homo, gratum et acceptum habere posse, nefas est dictu.

Hic porro humana ratio obmutescit, atque gravissimae huic quaestioni solvendae se imparem declarat. Quum igitur homo, marte suo ac lumine naturali unice ductus, certo nequeat dignoscere, qui externi actus Deo placere possint, quibusnam ritibus ac caeremoniis ab homine coli ac venerari ipse velit, consequens est, specialem Dei ipsius revelationem ad id necessario requiri, quo illius voluntas clare nobis manifestetur. Haec autem necessitas vel ipsam veterem melioris notae philosophiam minime latuit; quae, propriae imbecillitatis conscia, aliquem praestolabatur, qui coelo delapsus, verum Dei cultum, omniaque vitae officia hominem edoceret (1).

(1) Praeclarus extat Platonis locus in *Alcibiade 2°*, seu *De prece*,: ubi Socrates cum discipulo suo hunc in modum disserit: « *Socrates* Consultissimum, quod praestare possumus, est, ut patienter expectemus; omnino expectare oportet, dum quis veniat, qui nos officia erga Deum et homines doceat. *Alcibiades:* Quando aderit hora illa, et quis est, qui nos his in rebus instruat? vehementi hunc magistrum videndi desiderio teneor..... O utinam veniat! Ego, quantum in me est, ad omnia, quae jusserit praestanda, animo sum paratissimo, modo ipse sim melior evasurus..... In illud itaque tempus hoc sa-

142. Posita divinae revelationis necessitate (1), quaeritur, utrum haec a Deo revera facta sit?

Atqui Deus in necessariis non deficit; perfectionibus autem suis, bonitati praesertim ac providentiae, aperte adversaretur, si rem, ad finem suum consequendum adeo necessariam, homini a se condito denegavisset. Quod porro ratio demonstrat, eventus ipse indubitanter confirmat: siquidem, Deum vere locutum fuisse, divinam scilicet revelationem existere, solemne quoddam est factum, incorrupte atque integre judicanti extra omnem dubitationem positum. Profecto Deus protoparentes nostros et patriarchas primitus edocuit, iisque palam voluntatem suam fecit; exinde Hebraeam elegit gentem, cui, Moyse potissimum interprete, jussa et mandata sua indixit; postremo, per filium suum, idest Christum, nobis locutus est (2); cujus doctrina, seu *Religio*, - quae ab ejus nomine *Christiana* est dicta -, jam jam longe lateque per totum orbem diffusa, gentes omnes instituit, ac luce sua illustravit.

143. Divinam porro proindeque omni ex parte

---

crificium differre optimum fore censeo. *Socr.* Et recte quidem: tutius enim est, quam tanto periculo se subjicere. *Alcib.* Bonis igitur avibus, cum dies ille advenerit, Deo litabimus: in ejus bonitate confido fore, ut dies hic non procul absit ».

(1) Quae necessitas, non solum quod ad *externum* Dei *cultum* spectat, sed ad complures alias veritates, quas hominis omnino interest nosse, liquido patet; inter quas praesertim ea est, quae hominis cum Deo *reconciliationem* respicit: qua nempe via et ratione, admissa scelera expiare, Numen offensum placare atque in ejus gratiam redire homo possit. Quod illi mehercule maximi momenti est, ut de re omnium gravissima tandem conquiescat; neque eo adducatur, ut sollicitam perpetuo atque anxiam vitam degat, nesciens, utrum Dei amore an odio dignus sit.

(2) *Multifariam multisque modis*, ita *Epistolam* suam ad Hebraeos exorditur Apostolus, *olim Deus loquens patribus in prophetis, novissime diebus istis locutus est nobis in Filio, quem constituit haeredem universorum, per quem fecit et saecula* (V. n. 98, *nota* 2).

veram atque certissimam, Christi doctrinam esse, plane ostendunt eximii divinitatis characteres, quibus ipsa effulget; inter quos hi praecipue enumerantur:

1° Doctrinae hujus *sublimitas, excellentia, sanctitas:* sive arcanas veritates, ad credendum ab ea propositas; sive morum ac vitae praecepta; sive officia, quae ergo Deum et homines jubet, inspicias (1).

2° *Prophetarum oracula;* quibus Christi, utpote novi legislatoris, adventus, necnon facta praecipua quae ad illius vitam spectant, per singulas partes designata, pluribus ante saeculis clare et aperte praenuntiantur (2).

3° *Miracula;* quae Deus, ad Christi doctrinam et evangelicas veritates confirmandas, operatus est (3). Inter haec autem eminet Christi ipsius anastasis (a mortuis resurrectio); quae totius christianae fidei est fundamentum (4). Hoc porro fa-

---

(1) Quum divinam dicimus Christi doctrinam, una illius auctorem utpote Deum asserimus. Eloquentissimum J. J. Russojum, - judicem sane in hac causa minime suspectum -, de Christo et Scriptura sacra loquentem audiamus: « Je vous avoue, que la majesté des écritures m'étonne; la sainteté de l'Évangile parle à mon cœur. Voyez les livres des philosophes avec toute leur pompe: qu'ils sont petits près de celui-là! Se peut-il qu'un livre si sublime et si simple tout à la fois soit l'ouvrage des hommes? Se peut-il que celui dont il fait l'histoire ne soit qu'un homme lui-même?.... Quelle douceur, quelle pureté dans ses mœurs! quelle grâce touchante dans ses instructions! quelle élévation dans ses maximes! quelle profonde sagesse dans ses discours! quelle présence d'esprit, quelle finesse et quelle justesse dans ses réponses! quel empire sur ses passions! Où est l'homme, où est le sage qui sait agir, souffrir et mourir sans faiblesse et sans ostentation »? (*Émile*).

(2) *Venit et Christus; complentur in ejus ortu, vita, dictis, factis, passionibus, morte, resurrectione, ascensione, omnia praeconia prophetarum* (S. Augustinus, in *Epist.* ad Volus.).

(3) Hinc ingeniose Ricardus a S. Victore: *Domine, si quod credimus error est, a te decepti sumus; nam ea quae credimus, confirmata signis et prodigiis fuere, quae nonnisi per te facta sunt.*

(4) *Si Christus non resurrexit, vana est fides vestra*, uti ad Corinthios

ctum tot tamque solidis argumentis comprobatum est, ut nullus omnino dubitationi sit locus.

4º Dira, neque per secula intermissa, christianorum per tyrannos *vexatio*, indeque *martyres* innumeri; qui pro Christo longa atque exquisita tormenta invicto animo passi, mortem laeti oppetere non dubitarunt. Quod profecto nunquam factum fuisset, ni alta atque firmissima, de Christi ejusque doctrinae divinitate in eorum animis inhaesisset persuasio (1).

5º Incredibilis plane atque mirifica christianae religionis *propagatio;* mirifica, inquam: sive homines spectes, quos doctrinae suae praecones, idest Apostolos, sibi Christus delegit, - homines scilicet, obscuro loco natos, non factiosos, non divites, nullius auctoritatis et gratiae, postremo ingenii omnisque eruditionis expertes (2); sive abstrusa mysteria, et severioris disciplinae praecepta, quae credenda, vel facienda tradebant Apostoli; sive gentes et populos consideres, ad quos docendos hi mittebantur (3).

---

scribit S. Paulus. Quoniam autem de S. Paulo mentio facta est, abs re non erit animadvertere, et hujus ad Christum *conversionem*, in miraculis de quibus agimus, annumerandam esse. Cui enimvero repentina haec hominis, acerrime in Christum infensi, immutatio haud omnino mira videri queat? Hinc non defuere, qui, hoc uno argumento suffulti, christianae religionis veritatem demonstrare adgressi sunt. Videsis opellam, ab Georgio Lyttelton, Anglo, conscriptam, cui titulus: « Christiana religio, per sancti Pauli conversionem et apostolatum demonstrata ».

(1) *Quid hoc mali est,* quaerit Tertullianus, *cujus reus gaudet, cujus accusatio votum est, et poena felicitas?* (Apolog.).

(2) De quibus propterea verissime scribit Apostolus ad Corinthios: *Quae stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat sapientes; et infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia; et ignobilia mundi et contemptibilia elegit Deus et ea quae non sunt, ut ea quae sunt destrueret, ut non glorietur omnis caro in conspectu ejus.*

(3) Hinc celebre S. Augustini dilemma, quod Cesaris Balbi, - insignis inter nostrates historici -, verbis placet referre: « O questa propagazione del cristianesimo, che sarebbe stata innaturale in ogni età,

6º Demum, admirabiles prorsus, qui evangelicae doctrinae propagationem sequuti sunt, *effectus;* idest totius propemodum mundi *renovatio*. Profecto, si tempora, quae christianae sapientiae pervulgationem praecesserunt cum iis quae subsecuta sunt, comparamus, facile patebit, evangelicae doctrinae beneficio illud effectum fuisse, ut hominum mores mitescerent; dulcesceret publicum regimen; multum de severitate remitterent leges; servitus, proh generis humani dedecus et opprobrium! undique pene evanesceret; uxorum ac liberorum longe melior atque tolerabilior fieret conditio; paucis, nova eaque splendidior, orbi terrarum dies illucesceret: Christiana quippe sapientia hominum genus ad *civilitatem* reduxit (*civilizzò il mondo*); civilitas porro ab simplici *cultura* magnopere distat. Haec namque ad intelligentiam tantummodo, illa, contra, ad voluntatem potissimum refertur; atque in comitate quadam, humanitate ac modestia posita est, superbiae, crudelitati nimioque sui amori contraria. Quare populos aliquot, - ut puta veteres Graecos et Romanos -, excultos quidem et una barbaros, nequaquam vero civiles appellare licet: quo nomine nonnisi gens christiana donanda est (1). Quibus omnibus pro-

---

che fu innaturalissima in questa della massima coltura antica, fu effetto de' miracoli che persuasero i convertiti; ovvero avvenne il miracolo maggiore d'un fatto grandissimo, adempiutosi contro a tutte le ragioni naturali, un effetto senza causa; e nell'un caso e nell'altro è sopranaturale il fatto, sopranaturale la causa, la religione sortane è rivelata, divina » (*Sommario della storia d'Italia*).

(1) Quaerenti porro, quî id factum sit? cum Donoso Cortès, viro, inter Iberos, clarissimo, respondemus, triplici potissimum via ac ratione christianam sapientiam eo pervenisse: Haec nempe *auctoritatem* effecit inviolabilem; *obedientiam*, utpote quid sanctum hominibus indixit; *charitatem* demum in res divinas adscripsit. Auctoritatis itaque *inviolabilitas*, obedientiae *sanctitas*, charitatis *divinitas*: en tria elementa,

fecto nemo animum sedulo advertere unquam poterit, quin cum regio Psalte exclamet: *A Domino factum est istud; et est mirabile in oculis nostris* (1).

144. Sed quae cursim et extremis quasi digitis attigimus, penitius evolvunt et clara in luce ponunt theologi, ad quos haec pertractare potissimum spectat; quibusque proinde lectores nostros committimus.

Id tamen monere admodum refert, divina revelatione posita, jam nova, quibus erga Deum obstringimur, officia exoriri:

quae, Christianae Sapientiae virtute, in mundum semel immissa, hunc plane immutarunt. Quam bene autem, de tota humana familia, Religio Christiana merita sit, - ut alios bene multos, vel inter illius adversarios, omittamus -, perspicue ac nitide ostendit S. Augustinus; qui eam ita compellat: « Tu pueriliter pueros, fortiter juvenes, quiete « senes, prout cujusque non corporis tantum, sed et animi aetas est, « exerces ac doces. Tu foeminas viris suis..., ad propagandam prolem « et ad rei familiaris societatem, casta et fideli obedientia, subjicis. « Tu viros conjugibus, non ad illudendum imbecilliorem sexum, sed « sinceri amoris legibus praeficis. Tu parentibus filios libera quadam « servitute subjungis, parentes filiis pia dominatione praeponis. Tu fra- « tribus fratres religionis vinculo firmiore atque arctiore, quam san- « guinis, nectis. Tu omnem generis propinquitatem et affinitatis ne- « cessitatem, servatis naturae voluntatisque nexibus, mutua charitate « constringis. Tu dominis servos, non tam conditionis necessitate, « quam officii delectatione, doces adhaerere. Tu dominos servis, « summi Dei communis domini consideratione placabiles, et ad con- « sulendum, quam coërcendum, propensiores facis. Tu cives civibus, « gentes gentibus, et prorsus homines, primorum parentum recor- « datione, non societate tantum, sed quadam etiam fraternitate con- « jungis. Doces reges prospicere populis, mones populos se subdere « regibus; quibus honor debeatur, quibus affectus, quibus reveren- « tia, quibus timor, quibus consideratio, quibus admonitio, quibus « cohortatio, quibus disciplina, quibus objurgatio, quibus suppli- « cium, sedulo doces, ostendens, quemadmodum, et non omnibus « omnia, et omnibus charitas, et nulli debeatur injuria » (*De moribus Ecclesiae*).

(1) Quum autem christianam Religionem meritis laudibus extollimus, Ecclesiam catholicam nos intelligimus, cujus caput est Pontifex romanus; quem Christus, utpote B. Petri successorem, sui in terris Vicarium et omnium christianorum Patrem ac Doctorem constituit; cuique Ecclesiam universam tuendi ac gubernandi plenam tradidit potestatem.

1° Itaque, pro tanto nobis conlato beneficio, perpetuae Deo agendae atque habendae sunt grates; 2° iis, quae divinitus nobis, per Christum, revelata sunt, firma ac plena fides adjungenda est (V. n. 134); 3° ad christianae sapientiae praescripta, vita nostra omnino componenda.

145. Pauca modo de vitiis, virtuti Religionis oppositis; quae omnia ad superstitionem et impietatem reduci possunt.

Superstitio (1) est cultus Dei spurius, ex falsa de Deo ejusque attributis opinione ortus. Duo autem potissimum superstitiosorum distinguenda sunt genera: prout nimirum circa religiosi cultus *objectum*, vel circa ejusdem *modum* falluntur et peccant.

146. Inter primos illi merito annumerandi sunt, qui non verum Deum, sed ejus loco, aliud quid, - ut solem, lunam, ceteraque coeli sidera, vel homines ipsos et animantia quaeque, vel inanimata etiam -, colunt: cui superstitionis generi nomen est *idololatria*. Ad hos quoque illi pertinent, qui Deo tribuunt quae nullo illi pacto conveniunt: corporalem formam, ex. gr., humanas affectiones atque cupiditates etc. (2).

(1) Notatu digna est origo vocis *superstitio;* de qua ita scribit Cicero: *Qui totos dies precabantur et immolabant, ut sui sibi liberi* superstites *essent*, superstitiosi *sunt appellati*: *quod nomen postea latius patuit. Qui autem omnia, quae ad cultum deorum pertinerent, diligenter retractarent et tanquam* relegerent, *sunt dicti* religiosi, *ex relegendo, ut* elegantes *ex eligendo, tanquam a diligendo* diligentes, *ex intelligendo* intelligentes (De nat. deor.).

(2) Hanc superstitionis speciem, - post longam earum rerum narrationem, ex quibus deorum nomen ortum esse dicitur -, ita Cicero insectatur: « Videtisne igitur, ut a physicis rebus, bene atque uti- « liter inventis, tracta ratio sit ad commentitios et fictos deos? Quae « res genuit falsas opiniones erroresque turbulentos et superstitiones « paene aniles. Et formae enim nobis deorum, et aetates, et vestitus, « ornatusque noti sunt; genera praeterea, conjugia, cognationes, om-

Altera superstitionis species circa modum cultus divini versatur. Sunt enim nonnulli, qui mandatum divinum se sequi existimant; hoc tamen per errorem aut falsam imaginationem, haud recte intelligunt, vel ultra quam decet, extendunt. His proxime accedunt qui in solo externo Dei cultu, - in quibusdam nempe, interdum etiam ridiculis, caeremoniis et exercitationibus -, spem omnem salutis collocant, de cultu interno, vel animo a vitiorum sordibus purgando verisque virtutibus exornando parum solliciti.

147. Silentio praeterimus ineptas et ridiculas superstitiones de astrorum influxu, unde *astrologia;* de vi et efficacia quae plantis, gemmis, lapidibus et quibusdam animantium corporis partibus, necnon literis, signis, characteribus, amuletis aliisque hujusmodi commentis attribui solet.

Superstitiones mittimus circa tempora, loca, et nomina quae hominibus imponuntur, maxime vero circa futurorum divinationem; quae postrema latissime patet: tanta nimirum homines futura praenoscendi cupiditate exardescunt! Hinc *Necromantia*, qua a mortuis; *Chiromantia*, qua ab inspectis manuum lineamentis futura vel occulta petuntur. Hinc *auguria*, *auspicia*, aliaque similia snperstitiosorum hominum figmenta.

148. Quoddam nihilominus vitium, Religioni adversum et superstitioni affine silere non licet, *fa-*

« niaque traducta ad similitudinem imbecillitatis humanae. Nam et « perturbatis animis inducuntur: accipimus enim deorum cupiditates, « aegritudines, iracundias; nec vero, ut fabulae ferunt, dii bellis « praeliisque caruerunt; nec solum, ut apud Homerum, cum duos « exercitus contrarios alii dii ex alia parte defenderent, sed etiam, « ut cum Titanis, ut cum Gigantibus, propria bella gesserunt. Haec « et dicuntur, et creduntur stultissime, et plena sunt futilitatis sum- « maeque levitatis » (*De nat. deor.*).

natismum nempe (1), uti vocant, vel enthusiasmum, quo illi exagitantur, qui divinos afflatus et revelationes jactant, vel in magna et singulari apud Deum gratia esse gloriantur. Unde *tumor animi religiosus*, quo mehercule genuinae pietati nil magis adversatur: ab hoc enim fluunt charitatis defectus, aliorum hominum contemtus, intolerantia, vexatio (2).

149. *Impietas*, seu irreligio, est habitus animi, omnem de Deo ejusque cultu cogitationem a se abjicientis. Hoc in numero est *atheismus* (de quo in *Metaphysica* jam dictum est), qui Deum ipsum de medio tollit; *rationalismus*, qui propriam solummodo rationem, - revelatione omni seposita, quam inter commentitia accenset -, veluti ducem sequendam esse docet; *indifferentismus*, a quo religiones omnes uno eodemque loco habentur. Huc spectat etiam *blasphemia*, *Religionis irrisio* (3),

(1) Superstitio et fanatismus iisdem de causis, ex pravo nimirum de Deo conceptu, oriuntur. Hoc nihilominus inter utrumque interest, quod illa animos pusillos et angustos, hic contra, clare ac magnifice de se sentientes sibique placentes maxime pervadit.

(2) *Tu autem*, ait Apostolus, *quid judicas fratrem tuum? aut tu quare spernis fratrem tuum?* (Epist. ad Rom.). Item, S. Jacobus: *Tu autem quis es, qui judicas proximum?* (Epist. catholica). Caeterum, exosum hoc hominum genus graphice depingit Christus in parabola de Pharisaeo et Publicano, quam *dixit ad quosdam qui in se confidebant tanquam justi, et aspernabantur ceteros*, uti legimus in Evangelio S. Lucae: *Duo homines*, ait Christus, *ascenderunt in templum ut orarent: unus Pharisaeus, et alter Publicanus. Pharisaeus stans, haec apud se orabat: Deus, gratias ago tibi, quia non sum sicut ceteri hominum raptores, injusti, adulteri, velut etiam hic Publicanus. Jejuno bis in sabbato; decimas do omnium quae possideo. Et Publicanus* etc..... hac, memoratu dignissima sententia parabolam concludens: *Omnis qui se exaltat, humiliabitur; et qui se humiliat, exaltabitur.*

(3) Quare inter impios ii non solum adscribendi sunt, qui ex animo Religionem labefactare atque argumentis oppugnare adgrediuntur, verum etiam qui dicteriis, vel scriptis, fabulis, commentitiis historiolis, in theatris et ludicris spectaculis, veneranda Religionis mysteria ac divinos libros in jocum vertere, aut sacros Ecclesiae ritus ejusque ministros irridere non erubescunt. *Impia consuetudo est contra deos disputare, etiam simulate*, uti (*De nat. deor.*) animadvertit Cicero

perjurium. Perjurium dicitur « jusjurandum falsum ». *Jusjurandum* autem est « rei alicujus affirmatio vel promissio, Deo teste, facta »; vel brevius, ex Cicerone, *affirmatio religiosa*. Ex quo patet, nunquam temere, vel levi quacumque de causa jurandum esse (1); tumque solum, quum necessitas suadet, jurejurando propriam fidem obstringi posse (2). Sub hac igitur tantum conditione, licitum est jusjurandum; quod, cum sit actus religiosus, ad assertionem quampiam vel pollicitationem confirmandam adhibitus, religionis ipsius obligationem parit, ideoque religiose servandum est (3). Summum itaque nefas est perjurium (V. n. 97): perjurus quippe in naturae legem, necnon apertum et solemne Dei mandatum nequiter agit (4).

Quod ad impietatis et irreligionis causas attinet, eae ferme sunt, quas in *Metaphysica* exposuimus, quum de atheismo sermo esset.

Qui idcirco in deorum rerumque divinarum contemtores fortiter invehitur, speciatim vero in P. Claudium; *qui*, ait, *etiam per jocum deos irridens, cum cavea liberati pulli non pascerentur, mergi eos in aquam jussit*, ut biberent, quoniam esse nollent. *Qui risus, classe devicta, multas ipsi lacrymas, magnam populo Romano cladem attulit..... Itaque P. Claudius a populo condemnatus est.*

(1) *Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum: nec enim habebit insontem eum qui assumpserit nomen Domini Dei sui frustra*, uti legitur in Exodo; et in Deuteronomio: *Non usurpabis nomen Domini Dei tui frustra; quia non erit impunitus, qui super re vana nomen ejus assumpserit.*

(2) Jurisjurandi *necessitas* datur in aliqua utilitate morali ad finem honestum; atque oritur ex audientium incredulitate, atque ex veritatis defectu, quae aliunde elici nequit.

(3) Magnam jurisjurandi vim vel ethnici ipsi probe perspectam habuerunt. « Nullum vinculum, ait Tullius, ad adstringendam fidem « jurejurando majores arctius esse voluerunt. Id indicant leges in « duodecim tabulis, indicant sacra, indicant foedera, quibus etiam « cum hoste devincitur fides; indicant notationes, animadversiones- « que censorum, qui nulla de re diligentius, quam de jurejurando « judicabant... In jurejurando, non qui metus, sed quae vis sit, debet « intelligi. Est enim jusjurandum affirmatio religiosa. Quod autem « affirmate, quasi Deo teste, promiseris, id tenendum est » (*De off.*).

(4) *Non perjurabis in nomine meo*, ait ipse in Levitico, *nec pollues nomen Dei tui. Ego Dominus*. Item, in Evangelio S. Matthaei: *Non perjurabis; reddes autem Domino juramenta tua.*

SECTIO SECUNDA

ETHICA INDIVIDUALIS SEU DE HOMINIS OFFICIIS ERGA SEIPSUM

150. Quum homo ardentissimo in seipsum amore naturaliter flagret, supervacaneum fortasse videri potest, illum edocere, quomodo, ad se quod spectat, agere debeat.

Sic profecto se res haberet, si homo, in sui amore, semper recta procederet, neque in hoc unquam falleretur. At non raro evenit, ut sibi fucum ipse faciat, et pro bonis atque utilibus habeat, quae non sunt, quaeque imo gravia interdum illi damna ac perniciem sunt allatura. Quod ne contingat, rectae rationis dictamina sedulo considerare atque adamussim sequi illum oportet.

151. Jamvero id in primis docet ratio, - quandoquidem ex corpore et animo sumus compositi -, utrique nobis prospiciendum esse. Quum tamen corpori longe animus praestet, illudque huic obnoxium omnino esse deceat (1), ratio item praecipit, corporeis bonis bona animi anteponere, atque ad hunc operam omnem ac diligentiam nostram maxime nos conferre debere.

Ex his liquet, officia hominis erga se ipsum ad bina haec revocari posse: ut se nimirum *conservet*, seque *perficiat*.

---

(1) *Animi imperio*, perbelle animadvertit Sallustius, *corporis servitio magis utimur: alterum nobis cum diis, alterum cum belluis commune est* Bell. Catil.).

CAPUT I.

De sui conservatione.

152. Propriae conservationis officium in eo est, ut suam quisque vitam tueatur, suique corporis saluti et incolumitati prospiciat; ita tamen, ut horum jacturam facere paratus sit, ubi Religio, veri honoris ac decoris, - quod in virtute positum est -, tutela, vel patriae salus id postulet.

Primum itaque tenetur homo ab se totis viribus arcere, quae corpori utcumque, ejusque membrorum integritati obesse possunt; ea deinde non solum, quae ad victum et vestitum stricte sunt necessaria, sed quae insuper ad vitam honeste atque apte agendam conferunt, labore, opere, industria sibi comparare, conservare diligenter, atque, - incertos fortunae casus cogitatione revolvens -, augere etiam, si licet (1): miserum quippe est, rerum inopia laborare; durum, aliena ope indigere, et qui tibi subveniat, in diem praestolari!

153. Quod vero ad corporis valetudinem attinet, uti cujusque membri singillatim cura esse debet, ita in primis eorum, quae sensuum externorum instrumenta sunt, - oculorum maxime et aurium -; quorum usus, cum ad rerum cognitionem adipiscendam (sicuti in *Logica* explicavimus), tum ad vitae necessitates et commoda, nemo unus ignorat. Generatim autem (non enim vacat per

(1) *Res familiaris*, ait Cicero, *quaeri debet iis rebus, a quibus abest turpitudo, conservari autem diligentia et parsimonia, iisdem etiam rebus augeri* (De off.).

singula membra discurrere) corporis sui curam gerere ille dicendus est, qui primum corporis ipsius, eorum deinceps quae illi aut prodesse aut nocere possunt, notitiam, - sive studio et disciplina, sive usu et observatione -, acquirere nititur, indeque valetudinis tuendae rationem discit; praesertim vero, qui sibi temperat, in cibo et potu modum tenet, cupiditates coërcet (1).

Sanus autem homo, qui et bene valet et suae spontis est, nullis se legibus obligare debet; varium habere vitae genus; quiescere interdum, ast frequenter se exercere et actuosam vitam degere; neque ad medicum, nisi necessitate compulsus, unquam confugere. Ita nimirum firmatur corpus et invalescit; hinc magis magisque, ad animae accommodate parendum, opportunum fit atque idoneum: corpus namque, ut diximus, servire, non imperare opus est (2).

154. Contra officium propriae conservationis peccant igitur, tum qui corpus, utpote quid vile et contemnendum habent, vel tamquam animae carcerem negligunt atque despiciunt, tum qui, - potiusquam laboribus exerceant et durius tractent, ne insolens animae male pareat -, iners et ignavum esse sinunt (3); tum qui immodicis laboribus, abs-

(1) *Valetudo sustentatur notitia sui corporis, et observatione earum rerum, quae res aut prodesse soleant aut obesse; et continentia in victu omni atque cultu, corporis tuendi causa, et praetermittendis voluptatibus; postremo arte eorum, quorum ad scientiam haec pertinent* (Cicero, *De off.*).

(2) « Il faut, inquit Russojus, que le corps ait de la vigueur pour obéir; un bon serviteur doit être robuste. Je sais que l'intempérance excite les passions; elle exténue aussi le corps à la longue. Plus le corps est faible, plus il commande; plus il est fort, plus il obéit. Toutes les passions sensuelles logent dans des corps efféminés: ils s'en irritent d'autant plus qu'il peuvent moins les satisfaire » (*Émile*).

(3) *Siquidem ignavia corpus hebetat, labor firmat; illa maturam senectu-*

que gravi causa susceptis, vel nimia inedia et abstinentia, - quam non ratio jubet vel Religio, sed scrupulosa conscientia suggerit -, illud extenuant; maxime vero, qui intemperantia: helluationibus nimirum, ebrietate, libidinibus atterunt et enervant.

Sed et complures sunt, qui alia, eaque opposita quadantenus via, ab hoc officio discedunt: molles nempe illi ac delicati homines, qui corpus in deliciis habent, Apiciana arte corrumpunt, nimium illi vestitu et ornatu indulgent, in eoque colendo ac blandiendo curam omnem ponunt (1). Unde fit ut debile atque imbecillum, innumeris morbis obnoxium, ante tempus senescat (2). Qui contra frugi sunt, qui modum in omnibus adhibent,

---

tem, hic longam adolescentiam reddit (A. Cornelius Celsus, *De re medica*).

(1) Ridiculum plane ac morosum hominum genus! Quibus apprime conveniunt, quae facete et apposite scribit Seneca: « Quid? illos « otiosos vocas, quibus apud tonsorem multae horae transmittuntur, « dum decerpitur, si quid proxima nocte succrevit, de singulis capillis in consilium itur, dum aut disjecta coma restituitur, aut deficiens hinc atque illinc in frontem compellitur? Quomodo irascuntur, si tonsor paullo negligentior fuit, tamquam virum tonderet? « quomodo excandescunt, si quid ex juba sua decisum est, si quid « extra ordinem jacuit, nisi omnia in anulos suos reciderunt? Quis « est istorum, qui non malit rempublicam turbari quam comam suam? « qui non sollicitior sit de capitis sui decore, quam de salute? qui « non comptior esse malit, quam honestior? Hos tu otiosos vocas, « inter pectinem speculumque occupatos »? (*De brevit. vitae*).

Adhibenda quidem est munditia, sed ea de qua loquitur Cicero, idest: « non odiosa, neque exquisita nimis: tantum quae fugiat agrestem et inhumanam negligentiam » (*De off.*).

(2) Seneca, longa narratione morbis enumeratis, qui mollem ac vitiosam vivendi rationem sequuntur, quosque *supplicia luxuriae* aptissime vocat: « Immunes erant ab istis malis, *ait*, qui nondum se « deliciis solverant, qui sibi imperabant, sibi ministrabant. Corpora « opere ac vero labore durabant, aut cursu defatigati, aut venatu, « aut tellure versata. Excipiebat illos cibus qui, nisi esurientibus, « placere non poterat. Itaque nihil opus erat tam magna medicorum « supellectile, nec tot ferramentis atque pyxidibus. Simplex erat « ex simplici causa valetudo: multos morbos multa fercula fecerunt (*Epist.* xcv).

quorum ante oculos aureum illud *Nequid nimis* perpetuo obversatur, nae hi tranquillam atque aerumnis vacuam vitam transigunt, et, ad exactam usque aetatem, commoda utplurimum atque integra valetudine gaudent (1).

155. Plenius tandem ac directe officium, de quo agimus, perrumpitur ac violatur suicidio et duello: duobus nempe excessibus, seu potius flagitiis, quae jamjam, aetate nostra, - quod profecto vel memorare pudet -, in consuetudinem venerunt; de quibus proinde paullo fusius dicendum nobis est.

Art. 1. — *De suicidio.*

156. *Suicidium* (quasi sui caedes) est actus, quo quis, nulla legitima et rationabili causa impellente, ultro sibi mortem consciscit (2). Hoc porro, - quum propriae conservationis officio, quo naturae lege omnes devinciuntur, necnon praecepto Dei positivo *Non occides*, plane adversetur -, jam per

---

(1) *Est quiete et pure et eleganter actae aetatis placida et lenis senectus* (Cic., *De senect.*).

(2) Nam si justa mortem oppetendi sit causa (V. n. 152), tunc mehercule non suicidium, - eo saltem sensu quo hic a nobis accipitur -, sed actio potius, laude ac praemio digna dicenda est. Praeclara et memoranda hujus exempla nobis exhibent Samson, Eleazarus, sanctae martyres Pelagia et Sophronia, Petrus Micca, aliique.

Unde sequitur etiam, majoris boni consequendi vel gravioris mali devitandi gratia, vitam negligere, naturae jure permissum et quandoque praeceptum esse. Quare vitam, pro reipublicae salute, insumi ac deminui posse, quis neget? honestius enim est, uti ait Puffendorfius, brevioris vitae periculo aliis servire, quam domi desidem consenescere. Fas quoque est igitur, per ipsa vitae pericula, vitam quaerere; sic aegroto periculosam membri alicujus abscissionem, ad corporis totius incolumitatem servandam, pati profecto licet.

se nefas, illicitum et omnino damnandum esse manifestissimum est.

Quod si penitius rem consideremus, suicidium patebit, quoddam esse crimen *rebellionis* adversus Deum, *ingrati animi* in societatem, et *crudelitatis* in seipsum: quae omnia eo vel magis foedum atque execrandum illud ostendunt.

157. Et 1° quidem, suicida *rebellis* est in Deum; a quo illi vita ad hunc finem est tradita, ut ea, tamquam deposito, ad Dei ipsius gloriam, ad sui aliorumque bonum et utilitatem, non arbitratu suo et ad libidinem, uteretur; justam Dei indignationem in se convertit, locum ab eo sibi assignatum, per ignaviam et quasi ex insidiis deserens; divinae voluntati audacter obsistit, uti manifesto liquet ex mortis horrore, qui naturaliter hominem perfundit: siquidem naturalis hujusce propensionis, qua ad se conservandum obnititur, vehementiam considerans, facile quisque deprehendit sapientissimum Dei consilium, palam vetantis, ne, ob qualescumque molestias et aegritudines, vivendi taedio homines capiantur vitamque misere projiciant. Ad Deum itaque jus vitae omnino pertinet, cujus tantum usus homini conceditur; qui propterea in mundo, ceu miles in statione, positus est, a quo, sine imperatoris jussu, - quin in rebellionis et defectionis notam incurrat -, secedere nequit (1).

2° Societati, cui innumeris obstringitur beneficiis, *ingratus* est suicida; utpotequi homine illam

(1) Hac lege homines adstringi, vel ethnici ipsi, - foedis sophistarum doctrinis haud irretiti -, probe senserunt. Inter quos M. Tullius, in *Somnio Scipionis*, haec habet notatu dignissima: *Quare et tibi Publi, et piis omnibus retinendus est animus in custodia corporis; nec injussu ejus, a quo ille est vobis datus, ex hominum vita migrandum est, ne munus humanum assignatum a Deo defugisse videamini.*

orbat, qui in ejus utilitatem vitam impendere tenetur; atque sui similes opera, consilio, consolatoriis verbis, aliisque modis, quos pro opportunitate caritas suggerit, juvare (1). Caeterum, neminem in eo infortunii et aerumnarum statu versari unquam putamus, ut nullum omnino bonum et commodum societati conferre possit. Nam, praeterquamquod certo ille non novit, quatenus praesens impotentiae status sit duraturus, illi semper datum erit, contemptione fortunae, doloris et calamitatum tolerantia, sublimia fortitudinis, patientiae, in Deo ejusque providentiae ordine fiduciae, fortasse etiam criminum suorum expiationis exempla praebere; quae quantum caeteris hominibus profutura sint, nemo profecto est quin videat.

3° Demum suicida in seipsum *crudelis* sibique infensus est. Vita namque sponte sua excedens, omnem sibi, finem suum consequendi viam intercludit; atque operum suarum rationem redditurus, quo in statu coram Deo se sistat, facile quisquis intelligit; eo vel maxime, si subita mors superveniat, quin illi se ad Deum cogitatione convertere, ab eoque veniam petere datum sit. Quam tristis igitur ac misera suicidae conditio! qui, dum mala praesentia devitare studet, ad aeterna, eaque immensum graviora, se damnat: quod ne ipsos qui-

(1) Egregie in rem nostram Russojus: « Écoute-moi, jeune insensé, tu m'es cher; j'ai pitié de tes erreurs. S'il te reste au fond du cœur le moindre sentiment de vertu, viens, que je t'apprenne à aimer la vie. Chaque fois que tu seras tenté d'en sortir, dis en toi-même: Que je fasse encore une bonne action avant que de mourir; puis va chercher quelque indigent à secourir, quelque infortuné à consoler, quelque opprimé à défendre..... Si cette considération te retient aujourd'hui, elle te retiendra encore demain, aprés-demain, toute ta vie: si elle ne te retiens pas, *meurs*, tu n'es qu'un méchant » (*Émile*).

dem ethnicos, - tametsi iniquis ac perversis doctrinis utplurimum corruptos -, latuit (1).

158. Novi equidem, quae ab Stoicis et generatim suicidii fautoribus objici consueverunt, quasdam videlicet homini, ad necem sibi inferendam, legitimas esse causas: ut si quis, ex. gr., acerbo diuturnoque morbo laboret; si summa rerum inopia prematur; si in imbecillam senectutem vergat; si ignominiam aliter effugere non possit...; quibus in casibus, ajunt, se letho dare unaque doloribus et anxietatibus eximere, fortis ac generosi animi est, vilis contra et ignavi inter aerumnas et miserias aegram et laboriosam vitam traducere.

Ad haec tamen omnia in promtu et ineluctabile est responsum; quum enim execrandum nefas, ut vidimus, sit suicidium, et lege, cum positiva tum naturali, vetitum, jam liquido patet, quaecumque sit hominis conditio, ad desperatissimum hoc remedium confugere illi nunquam licere.

159. Quamquam, animadvertendum est, acerbitates complures et molestias evanescere, vel admodum saltem imminui, si emendetur opinio, unde manarunt; si phantasiae, quae illas exaggerat et interdum etiam creat, modus adhibeatur; si te infelicioribus animum advertas (2). Experientia item constat, multa, quorum asperrimus est sen-

(1) De suppliciorum loco, in Erebo, suicidis assignato, ita (*Aeneid.*, lib. IV), loquitur Virgilius:

Proxima deinde tenent moesti loca qui sibi lethum
Insontes peperere manu, lucemque perosi
Projecere animas. Quam vellent aethere in alto
Nunc et pauperiem et duros perferre dolores!

(2) Apposite Phaedrus in fabula *Lepores vitae pertaesi:*

Qui sustinere non potest suum malum,
Alios inspiciat, et discat tolerantiam.

sus, brevi post, statu rerum praeter expectationem mutato, cessare (nam, Horatio innuente, *non si male nunc, et olim sic erit*), patientia certe leniri: *levius fit patientia, quidquid corrigere est nefas*, uti ad Virgilium idem scribebat Horatius (V. n. 135). Caeterum, quae plane intolerabilia sunt mala, diuturna esse nequeunt: *summus dolor*, ait Cicero, *plures dies manere non potest* (1).

Quod autem ad illos spectat qui, violentas sibi manus inferre et vitam projicere, magnitudinem animi vocant, ineptum et absurdissimum hoc esse praejudicium; immo vero, longe secus quam quod hi opinantur, sese rem habere affirmamus (2).

(1) Hinc verissime Metastasius:

. . . Ogni sventura,
Insoffribil non dura,
Soffribile si vince.

(2) *Fortium virorum est*, ait Q. Curtius, *magis mortem contemnere, quam odisse vitam. Saepe taedio laboris ad vilitatem sui compelluntur ignavi; virtus nihil inexpertum omittit.* Item, Cornelius Tacitus animadvertit, *majore animo tolerari adversa quam relinqui* (Histor.). — Martialis autem:

Rebus in adversis facile est contemnere vitam.
Fortiter ille facit, qui miser esse potest.

S. Augustinus, atrox Catonis factum referens, - quod Horatius, falsis doctrinis illaqueatus, *nobile letum* appellat: « Si rationem, *ait*, « diligentius consulas, ne ipsa quidem animi magnitudo recte nominatur, ubi quisque, non valendo tolerare vel quaeque aspera, vel « aliena peccata, seipse interemerit. Magis enim mens infirma deprehenditur, quae ferre non potest vel duram corporis sui servitutem, vel stultam vulgi opinionem; majorque animus merito « dicendus est, qui vitam aerumnosam magis ferre potest, quam « fugere, et humanum judicium maximeque vulgare, quod plerumque caligine erroris obvolvitur, prae conscientiae luce ac puritate « contemnere » (*De civ. Dei*).

« Il y a plus de constance, perbelle Montaignius, à user la chaîne qui nous tient qu'à la rompre, et plus d'épreuve de fermeté en Régulus qu'en Caton. C'est l'indiscrétion et l'impatience qui nous hâtent le pas. Nuls accidens ne font tourner le dos à la vive vertu; elle cherche les maux et la douleur comme son aliment. Les menaces des tyrans, les géhennes et les bourreaux l'animent et la vivifient » (*Essais* etc.).

Quibus omnibus consentit egregia plane Magni Napoleonis sententia, impavidi nempe ac strenuissimi, quem omnes norunt, nostro-

Innumera demum et praeclara, - non inter Christianos solum, verum etiam inter ethnicos -, exstant exempla, quibus ad hujusce vitae mala et infortunia patienter atque invicto animo toleranda excitari quisque debet (1).

Art. 2. — *De duello.*

160. *Duellum* (quod veteribus idem erat ac *bellum*) prout a nobis intelligitur, est certamen, quo duo, privata auctoritate, ex condicto, - mutuo nimirum consensu -, loco, tempore, necnon armorum adhibendorum genere, designato, coram te-

rum temporum imperatoris; qui, tot tamque acerbis fortunae casibus lacessitus, omnes perfortiter, quin frangeretur, perpessus est. « J'ai reconnu, ait ille, la vérité de la maxime qui dit que l'homme montre plus de vrai courage en supportant les calamités et en résistant aux malheurs qui lui arrivent, qu'il n'en montre en mettant fin à sa vie.... Se tuer est l'action d'un joueur qui a tout perdu et d'un prodigue ruiné ».

(1) Russojus, paullo ante citato loco, ita prosequitur: « Regarde les beaux temps de la République, et cherche si tu y trouveras un seul citoyen vertueux se délivrer ainsi du poids de ses devoirs, même après les plus cruelles infortunes. Régulus, retournant à Carthage, prévint-il par sa mort les tourments qui l'attendaient? Que n'eût point donné Posthumius pour que cette ressource lui fût permise aux fourches Caudines! Quel effort de courage le sénat même n'admira-t-il pas dans le consul Varron pour avoir pu survivre à sa défaite? Par quelles raisons tant de généraux se laissèrent-ils volontairement livrer aux ennemis, eux à qui l'ignominie était si cruelle, et à qui il en coûtait si peu de mourir? C'est qu'*ils devaient à la patrie leur sang, leur vie et leur derniers soupirs, et que la honte ni les revers ne les pouvaient détourner de ce devoir sacré* ».

Hic autem nequeo mihi temperare, quin memorandum integritatis, unaque fortitudinis et magni animi exemplum in medium proferam, quod, labente superiore saeculo (an. 1799), Pasqualis Baffius, - calamitosa illa tempestate, Neapoli, capite damnatus -, nobis reliquit: « Data la condanna, ita celeberrimus Carolus Botta noster, un suo amico, affinchè con morte volontaria sfuggisse la violenta, gli offerse oppio. Ricusò il funesto dono, sdegnosamente affermando, non essere in potestà dell'uomo il far getto volontario della propria vita; voler andare all'incontro del suo destino, comunque crudele fosse, non isgomentarlo la morte, non disonorarlo il patibolo » (*Storia d'Italia* ecc.).

stibus (seu *patrinis*, ut vocant), ad controversiam aliquam dirimendam, inter se congrediuntur.

Qua ex definitione patet, duellum, cum a *bello* proprie dicto, tum a *rixa* differre.

161. Jamvero certamen hujusmodi, illicitum plane atque improbandum esse, ex his quae antea diximus, aperte constat. Si enim vitam non sibi tantum, sed et aliis voluntario adimere (nisi id gravissima omnino et legitima ratio exspostulet: cujusmodi, v. gr., est sui contra injustum aggressorem defensio, de qua infra dicemus) naturae juri adversatur, consequens est, ne mortis quidem obire periculum cuiquam licere. Huic porro periculo, - vel gravis saltem vulneris accipiendi, aut adversario inferendi -, se objiciunt, qui singulare ineunt certamen; quod periculum ne tum quidem abest, quum pugnantes, non ad internecionem usque, ut interdum fit, sed *ad primum*, uti ajunt, *sanguinem* decertare constituunt: quum nimirum hoc pacto conserunt manus, ut ad primum quodcumque vulnus, ab alterutro acceptum, a pugna cessent.

162. Nil mirum igitur, si nefandum hoc pugnandi genus nullo non tempore damnaverit Ecclesia; poenas etiam ad illud convenientibus, consulentibus, faventibus, et ipsis quoque spectatoribus comminando (1). Cum ecclesiastica autem et ci-

(1) Jam inde a saeculo VIII, Concilium Valentinum III ita de duello decernebat: « Statuimus, juxta antiquum Ecclesiasticae observationis « morem, ut quicumque tam iniqua et christianae paci inimica pugna « alterum occiderit, seu vulneribus debilem reddiderit, velut homi- « cida nequissimus et latro cruentus, ab Ecclesiae et omnium fide- « lium coetu separatus, ad agendam legitimam poenitentiam modis « omnibus compellatur. Ille vero qui occisus fuerit, tamquam sui « homicida et propriae mortis spontaneus appetitor; Dominicae obla- « tionis commemoratione habeatur indignus, nec cadaver, juxta san-

vilis potestas omnino consentit. Hinc enimvero leges, penes omnes populos bene constitutos, invenies, gravissimis poenis in singulare certamen animadvertentes; quae tametsi non semper infligantur, - non semper enim, verum duellum initum fuisse probari potest -, satis tamen ostendunt, quid de illo legumlatores sentiant.

163. Quae cum ita sint, nil profecto nos movent, quae ad duellum excusandum, et pene dixerim, honestandum, in medium afferri solent. Proprio, ajunt, honori prospicere quisque tenetur. Jamvero, nonne hoc prorsus deest officio, qui illatam sibi contumeliam inultam esse sinit? qui inustam famae suae labem detergere non curat? Nulla alia porro, ad quasdam injurias vindicandas, patet via, quam duellum. Qui igitur, hisce in adjunctis, in se injuriosum ad pugnam provocare negligit, vel oblatam recusat, nae vilem ac pusillanimum, suique honoris et gloriae parum studiosum se prodit. Atqui grave nimium et durum est, ceu hominem ignavum et nihili traduci.

Ad haec respondemus in primis, quum duellum, ut vidimus, juri naturali, et positivo, - cum ecclesiastico tum civili -, repugnet, jam hoc ipso, - nulla eorum, quae ad ejus defensionem adducuntur, habita ratione -, omnino damnandum et improbandum esse: quemadmodum reapse, virtute ac doctrina praediti, unaque magno et erecto animo viri generatim improbant et damnant.

« ctorum canonum decretum, cum psalmis vel orationibus ad se-
« pulturam deducatur ». Similia habet Tridentinum; quod non modo sanctiones supra memoratas renovat, verum his addit poenam *infamiae*. Accedunt aliae plures Constitutiones, et responsa summorum Pontificum; quae omnia satis superque declarant, quantopere Ecclesia duellum exhorrescat.

Negamus autem, futili quavis ac levissima causa hominem perimere, honorificum cuipiam et gloriosum esse posse; quin potius, nonnisi fucatam quamdam gloriae et honoris speciem hanc esse contendimus. Vera quippe gloria est fama meritorum in patriam, nequaquam vero adversus contumeliosos quosque ira accendi, eosque prosequi et ulcisci (1). Praeterquamquod contumelia, non equidem illius qui eam patitur, sed qui infert, famam proprie laedit.

Postremo animadvertimus, ad controversias finiendas et vindicandas injurias, haud aequum et idoneum instrumentum esse duellum; in quo sons aeque et insons periculo mortis obnoxius est. Nec profecto raro contingit, ut, - illo superstite qui injuriam irrogavit -, qui accepit pereat; quem propterea, Graecorum proverbio, recte diceres, *contra semet cornua produxisse*. Perpulcra edepol et eximia honoris reparandi ratio!

164. Hisce adde, in civili societate, judicandi ac puniendi jus ad magistratus, auctoritate legitima constitutos, pertinere; cujusque autem civis incommoda legibus esse committenda. Quapropter socialem ordinem, quantum in se est, pessumdare et rempublicam evertere nititur privatus homo, qui se in propria causa judicem constituere, legibusque posthabitis illatas sibi injurias, arbitratu suo, vindicare non dubitat. Quae, amabo, hominum societas, quae civitatis forma, ubi lites quas-

(1) *Est enim gloria*, ait Tullius, *solida quaedam res et expressa, non adumbrata. Ea est consentiens laus bonorum, incorrupta vox bene judicantium de excellente virtute. Ea virtuti resonat, tamquam imago. Quae quia recte factorum plerumque comes est, non est bonis viris repudianda* (Tuscul. quaest.).

libet ac controversias, quae inter cives crebro exoriuntur, pro se quisque vi sua dirimere posset? Quae pax, quaeso? quae securitas? Jam mores in barbariem praecipites ruerent; societas in anarchiam abiret, et pene dixerim, in belluarum, sese invicem dilaniantium sylvam converteretur; idque omnino contingeret, quod, vel suo tempore, querebatur Seneca: *Homo, sacra res, homo jam per lusum et jocum occiditur* (Epist. XCV).

165. Haud sane inficiamur, injurias quasdam a Magistratibus puniri non posse, vel quia legalis earum probatio deest, vel quia publicus ordo leviora quaeque ac minuta persequi vetat. Quid inde? anne propria manu, qui iis affectus est, vindicabit? Immo vero, voluntaria oblivione eas conteret, et veniam offensori dabit: quae satius mehercule quam ultio, animi magnitudinem ac nobilitatem ostendit (1). Hoc autem Christianos praesertim decet, quos divinus Magister, non solum inimicis ignoscere, sed illos insuper diligere eisque benefacere jubet.

Sunt equidem, qui divinam quamdam voluptatem in ultione inesse contendunt (2). At contra, si rem penitius expendas, minuti semper, infirmi et exigui animi voluptas est ultio (3); quemadmodum exemplo suo viri summi ac praestantissimi

(1) *Nec vero*, uti recte monet Cicero, *audiendi qui graviter irascendum inimicis putabunt, idque magnanimi et fortis esse censebunt. Nihil enim laudabilius, nihil magno et praeclaro viro dignius placabilitate atque clementia* (De off.).

(2) « Non sa, quanto dolce cosa si sia la vendetta, nè con quanto ardor si disideri, se non chi riceve l'offesa »: quemadmodum apud Boccaccium ait Aldobrandinus.

(3) Optime Juvenalis (*Sat.* XIII):

At vindicta bonum vita jucundius ipsa:
Nempe hoc indocti, quorum praecordia nullis
Interdum aut levibus videas flagrantia causis.

comprobarunt, quorum nomen immortalitati commendatum est, quosque imitari magna quisque in laude ponere debet (1).

CAPUT II.

De sui perfectione.

166. Sui perfectio in animi cultu consistit. Propriae igitur perfectionis officium eo spectat, ut naturales facultates nostras, potissimum autem *intelligentiam* et *voluntatem*, qua par est ratione,

Item, apud Metastasium, sic Rodopes, - in dramate cui titulus *Issipile* -, Learcum eximie alloquitur:

Tu non sai che bel contento
Sia quel dire: offesa sono,
Lo rammento,
Ti perdono,
E mi posso vendicar.

(1) Inter quos Titus imperator, Themistocles, Cato, J. Caesar, - cui pulcherrimam hanc laudem tribuit Cicero: *Oblivisci nihil soles, nisi injurias* -, Magnus Constantinus, Plato, aliique; quos, ad illatas sibi injurias ulciscendas, arma arripuisse vel ad pugnam offensorem provocasse, nuspiam legimus; sed eas potius in minimis ponere ac despicere consuevisse constat. Qua super re, uti jam complures alios, hunc etiam elegantissimum Russoji locum placet referre: « Cherchez si l'on vit un seul appel sur la terre quand elle était couverte de héros. Les plus vaillans hommes de l'antiquité songèrent-ils jamais à venger leurs injures par des combats singuliers? César envoya-t-il un cartel à Caton, ou Pompée à Cesar, pour tant d'affronts réciproques? Et le plus grand capitaine de la Grèce fut-il déshonoré pour s'être laissé menacer du bâton? D'autres temps, d'autres mœurs, je le sais; mais n'y en a-t-il que de bonnes? Et n'oserait-on s'enquérir si les mœurs d'un temps sont celles qu'exige le solide honneur? Non, cet honneur n'est point variable; il ne dépend ni des temps, ni des lieux, ni des préjugés; il ne peut ni passer, ni renaître; il a sa *source éternelle dans le cœur de l'homme juste et dans la règle inaltérable de ses devoirs.* — Si les peuples les plus éclairés les plus braves, les plus vertueux de la terre n'ont point connu le duel, je dis qu'il n'est pas une *institution de l'honneur*, mais une *mode affreuse et barbare, digne de sa féroce origine* ».

excolamus, ut proprium, ad quod tendunt, objectum attingere possint: intelligentia nempe *veritatem*, bonum honestum seu *virtutem* voluntas (1).

Art. 1. — *De sui perfectione, quod ad intelligentiam.*

167. De intelligentiae cultura jam in *Logica* dictum est (2); quare pauca hic tantum recudimus, quae magis ad praesens argumentum facere viden-

(1) Scientia nimirum ac virtus ea sunt, quae germanam homini excellentiam et nobilitatem pariunt, vel ipso innuente Ovidio:

. . . Non census, nec clarum nomen avorum,
Sed probitas magnos ingeniumque facit.

(2) Constat Russojum, elegantissima quadam *Dissertatione*, scientiarum et artium praestantiam, earumque in societate utilitatem inficiatum fuisse; iis quin imo vires animi enervari, religionem et mores corrumpi contendisse. Quo quid absurdius dici possit, non video. Damna interdum et mala gravissima, ex scientiarum artiumque abusu oriri, libentissime damus: quid porro est, quo homines abuti non possint? *corruptio* autem *optimi*, ut est in proverbio, *pessima*. At illas, - ubi in se ipsis considerentur et, uti decet, excolantur -, utiles non solum, verum etiam homini necessarias esse, adeo perspicuum est, ut longa oratione demonstrare, supervacaneum plane arbitremur. Annon, quaeso, necessariae prorsus ad rempublicam administrandam; ad militaria officia, quae multigenam rerum cognitionem exspostulant, gerenda; ad agriculturam et navigationem; ad commercium exercendum, instaurandum, explicandum; ad lites et controversias dirimendas; ad sanandos morbos; ad multiplicia vitae commoda comparanda? Ad quae, brevi, non necessariae vel utiles, artes et scientiae? Quis autem gentes, - scientiis, artibus ac literis expolitas -, antiquis Persis, Scythis, Germanis, Romanis ipsis, quum vitam literarum atque humanitatis expertem agerent, vel silvestribus Americae, Africae, Oceaniae, Polynesiae populis posthabere ausus fuerit? Hos tamen (quos barbaros, immanes, injustos, necnon morum atque honestatis omnis contemptores historia perhibet) in exemplum adducit Russojus, eorumque integram atque beatam vitam summis laudibus effert: quae enimvero nonnisi ferina quaedam beatitas dicenda est. Caeterum, Genevensem philosophum, non ex animi sententia, paradoxum hoc in medium protulisse novimus; sed ut, amico suo morem gerens, rei novitate et singularitate animos excitaret, et in omnium sermonem veniret: quod apprime consecutus est. Quanquam, si eloquentiam et sermonis elegantiam demas, - quam Russojo, in hac potissimum Dissertatione, nemo unquam infitias iverit -, ratiocinatione plane expertem et nudam hanc esse intelligentes ac periti quique, La Harpio teste, fatentur.

tur. At id prae ceteris persuasum nobis sit, ad intelligentiam rite excolendam, satis haud esse, cognitiones quascumque, permixte atque incondite nobis comparare; sed apta via et ratione, quodam nimirum ordine, pergere nos oportere: ab iis notionibus exordiendo, quae ad finem nostrum proxime referuntur; ad alias deinceps, etiam remotissimas, quoad ejus fieri possit, progrediendo: omnibus quippe suum est pretium, suaque utilitas.

In primis igitur seipsum quemque nosse oportet, scire nempe, quid sit homo, ad quemnam finem conditus, quidque illi agendum, ut hujusmodi finem consequi possit: quaenam videlicet sint ejus officia, cum religiosa tum moralia. Inter haec autem ea praestant, quae officia *proprii status* appellant; quae nimirum ad speciale vitae genus pertinent, quod sibi quisque constituit.

168. Sed in hoc vitae genere deligendo, - quod potissimum profecto est -, maxima cura est adhibenda (1). Quisque igitur integre atque incorrupte seipsum concutere debet; diligenter exquirere, ad quaenam praesertim naturâ proclivis et propensus sit: *suum quisque noscat ingenium*, uti monet Tullius (*De off.*); sedulo perpendere, quantum ipse possit, et ad quae suppetant vires (2); pro-

(1) *In primis autem*, inquit Cicero, *constituendum est, quos nos et quales esse velimus, et in quo genere vitae: quae deliberatio est omnium difficillima. Ineunte enim adolescentia, cum est maxima imbecillitas consilii, tum id sibi quisque genus aetatis degendae constituit, quod maxime adamavit. Itaque ante implicatur aliquo certo genere cursuque vivendi, quam potuit, quod optimum esset, judicare* (De off.).

(2) Juxta pervulgatum Horatianum illud:

Sumite materiam vestris..... aequam
Viribus, et versate diu, quid ferro recusent,
Quid valeant humeri.... (*Ars poët.*).

Cui addi etiam potest quod admonet Seneca: *Ante omnia necesse est seipsum aestimare; quia fere plus nobis videmur posse, quam possumus.*

bos tandem, necnon prudentia et doctrina praestantes viros adire eorumque adhibere consilium: in re quippe tanti momenti, se tantummodo in consilium servare, juvenes praesertim non decet.

Ad haec tamen non omnes animum advertunt; multi contra, vel ambitione, vel vanitate, vel lucri cupidine abrepti, vel quorumdum inconsulto exemplum secuti, vel parentibus etiam aut amicis plus aequo indulgentes (1), vitae genus sibi deligunt et amplectuntur, ad quod illos natura minime finxit: falsam nempe ac pravam vivendi viam, ad sui utplurimum aliorumque perniciem, ingrediuntur. Quod ne sibi contingat, dum per tempus licet, etiam atque etiam caveant adolescentuli nostri.

169. Paullo ante animadvertimus (n. 167), scientiam generatim, idest cujuscumque generis cognitiones, utiles magnique faciendas esse.

At summa in his prudentia et moderatio requiritur: humani scilicet ingenii imbecillitatis ratio est habenda. Quare omnia sciendi cupiditatem, - quae nonnullos saepe invadit -, compescere opus est; quae, si semper, nostris praesertim temporibus quammaxime nocet. In tanto enim scientiarum artiumque omnium progressu, ait Stewartius, qui vere quippiam ac solide scire cupit, ad complura ignoranda paratum illum esse oportet. Videndum insuper, ne ad plura simul et diversa animum adjiciamus; nam, uti monet poëta: *Pluribus intentus minor est ad singula sensus* (2).

---

(1) *Nos*, uti Cicero animadvertit, *imitamur, quos cuique visum est, atque ad eorum studia institutaque impellimur; plerumque autem parentum praeceptis imbuti, ad eorum consuetudinem moremque deducimur. Alii multitudinis judicio feruntur, quaeque majori parti pulcherrima videntur, ea maxime exoptant* (De off.).

(2) « Illud prius scribam, ad rem Lucilium suum sic alloquitur Se-

170. At una cavendum, ne, in contraria delapsi, peculiari quodam in aliquod studiorum genus amore adeo corripiamur, ut cetera, - veluti parvi aut nullius ponderis -, contemnenda putemus. Quod profecto gravissimum et scientiis ipsis exitiosum est vitium; hae namque ab se invicem dissociari nequeunt: integrantes quippe sunt partes, quae humanam scientiam universam constituunt; vel, si ita loqui fas est, ceu totidem sorores considerari possunt, quae amice conspirant sibique mutuam operam praestant (1). Brevi, sapientissimum illud prae oculis semper habeamus: *Nequid nimis*.

Quid quod igitur? nonne ridiculos plane ac stultissimos (nec pauci sunt) illos dixeris, qui, - dum hominis vita gravioribus ac majoris momenti doctrinis attingendis vix suppetit -, puerilibus quibusdam ineptiis et inutilibus disquisitionibus animum detinent? (2).

« neca, quemadmodum tibi ista cupiditas discendi, qua flagrare te « video, dirigenda sit, ne ipsa se impediat. Nec passim carpenda « sunt, nec avide invadenda universa: per partes pervenitur ad to« tum. Aptari onus viribus debet; nec plus occupari, quam cui suf« ficere possumus. Non quantum vis, sed quantum capis, haurien« dum est; bonum tantum habe animum: capies quantum voles. Quo « plus recipit animus, hoc se magis laxat » (*Epist*. CVIII).

Mannus autem noster: « È raro, inquit, che coloro i quali alla vivezza dell'ingegno accoppiano la profondità del senno non avvisino, come sia imprudente anzi stolto consiglio quel volere addimesticarsi con tutte le dottrine. Eglino ben sanno, che la virtù massima dell'intelletto umano non può salire a tanto, che arrivi la maggior altezza di una sola scienza..... La presunzione adunque degli studii enciclopedici può solamente venir in capo a coloro, ne' quali la confidenza del proprio valore sia maggiore della cognizione ch' essi ne hanno » (*De' vizii dei letterati*).

(1) Huc spectat quod habet Cicero pro Archia poëta: *Omnes artes, quae ad humanitatem pertinent, habent quoddam commune vinculum, et quasi cognatione quadam inter se continentur.*

(2) *Quae dementia est*, inquit Seneca, *superflua discere in tanta temporis egestate!* (Epist. XLVIII).

Art. 2. — *De sui perfectione, quod ad voluntatem.*

171. De voluntatis cultura dicendum modo est. Quamquam, si proprie loqui velimus, huc tota spectat Ethica, ut voluntatem excolat, ad bonum nempe honestum seu virtutem, quae naturale illius est objectum, eam perducat (V. n. 1, et seq.). Ut porro id consequatur voluntas, in loco a natura sibi assignato, *firma* consistat necesse est: ceteris videlicet animae potentiis imperet easque moderetur; ipsa vero *rectae rationi* idest legi obtemperet (1).

Firmitas igitur et *rectitudo*, qualitates sunt seu dotes, quae voluntatem maxime decent, quasque ut illi comparemus, nobis omnino enitendum est: ad id scilicet, quod ad voluntatem spectat, cuncta nostra referuntur officia.

172. Et primo, firma et certa esse debet voluntas; vel, ut S. Augustinus praecipit, *velle fortiter et integre* opus est, ut ea quae agenda suscipimus, bonum ac felicem habeant exitum. Hinc notissima illa: Nil mortalibus arduum est. — Labor omnia vincit improbus. — Nil difficile volenti (2). Ita nimirum negotia sua gessisse constat, quotquot inter mortales praeclaris facinoribus inclarescunt, suique memoriam quam maxume longam effecerunt (3).

(1) *Si vis tibi omnia subjicere, te subjice rationi. Multa reges, si ratio te rexerit* (Seneca, *Epist.* xxxvii).

(2) Contra vero, *Nulla est tam facilis res*, ait Clitipho apud Terentium, *quin difficilis siet, quam invitus facias* (Heautont).

(3) Duos praesertim commemorat historia, qui pertinaci ac ferrea voluntate inter ceteros eminent, et qua una suffulti, quae pene fi-

Jamvero quaerenti, quî hujuscemodi voluntatis firmitatem atque efficaciam, - prout cujusque facultates ferunt -, adipisci possimus, respondemus, ad id potissimum requiri, ut alte mentibus nostris infixae de humanis rebus sententiae ac persuasiones haereant, et certus quidam actionum nostrarum finis propositus sit (1). Nunquam nobis hic excidat, unaque sit persuasissimum, hunc omnino, nullis difficultatibus nulloque labore exterritos, assequi nos oportere (2).

173. At voluntatis vis et firmitas ad hominis potius perniciem quam utilitatem verteret, ni recta simul haec esset. Hinc enimvero fit, ut *justum ac tenacem propositi* virum laudet Horatius.

Ut porro rectitudinem consequatur voluntas, hujus curam, vel a teneris unguiculis, nos gerere oportet: maturius nempe ad bonum dirigenda est, seu *bonis habitibus* imbuenda. Hoc opus, hic labor (3).

174. Jam supra diximus (n. 117 et seq.), quid

dem excedunt, feliciter perfecerunt: Julium Caesarem, inter veteres, de quo ad Atticum scribit Cicero: *Quidquid vult, valde vult;* inter recentiores autem, Magnum Napoleonem, qui de se ipso ait: « Je réussissais en toutes mes entreprises, parce que je voulais réussir; mes volontés étaient fortes, et mon caractère décidé ».

(1) Turpe quippe est, temere atque inconsulto agere; vel, quemadmodum ait Persius, *ex tempore* vivere. Quam belle autem S. Paulus, ad Corinthios scribens: *Sic curro, non quasi in incertum; sic pugno, non quasi aërem verberans.*

(2) « Tenere costantemente l'occhio al fine, volerlo fortemente: ecco, ait Rosminius, la principal forza de' grandi » (*Della sommaria cagione*, ecc.). Hinc optime Seneca: *Proponamus oportet finem summi boni, ad quem nitamur, ad quem omne factum nostrum dictumque respiciat: veluti navigantibus ad aliquod sidus dirigendus est cursus. Vita sine proposito vaga est..... Illud, puto, concedes, nihil esse turpius dubio, et incerto ac timido, pedem modo referente, modo producente* (Epist. xcv).

(3) *Consuetudo*, ait Q. Curtius, *natura potentior.* Neminem autem latet Horatianum illud:

> Quo semel est imbuta recens, servabit odorem
> Testa diu (*Epist.*).

boni habitus, seu *virtutis* (moralis) nomine veniat; virtutes autem omnes ad quatuor reduci, quas *cardinales* vocant; suntque prudentia, temperantia, fortitudo et justitia.

Animadvertendum tamen est, justitiam, - utpotequae ad alios homines potissimum refertur -, virtutem socialem nuncupari posse; de qua proinde in sectione sequenti opportunius agendum putamus. De tribus aliis hic tantum dicemus, quae virtutes individuales vel personales appellandae potius videntur.

175. *Prudentia* est « habitus agendi rationabiliter in multiplicibus vitae adjunctis, indeque honestum, quem sibi homo praestituit, finem obtinendi ».

Tres itaque peculiares virtutes sive habitus complectitur prudentia: habitum nempe, 1° actiones considerate ac tranquille obeundi; 2° de rebus, cum bonis tum malis, quae ad agendum allicere nos possunt, recte judicandi (1), earumque effectus et consecutiones praevidendi (2); 3° instrumenta, vel media, uti vocant, ad propositum finem consequendum magis idonea seligendi atque adhibendi (3). Ex quo manifestum est, virtutem, - partim intellectualem, partim vero moralem -, esse prudentiam.

(1) *Prudentia*, ex Cicerone, *est rerum expetendarum fugiendarumque scientia* (De off.). — *Prudentia cernitur in delectu bonorum et malorum... Ut medicina valetudinis, navigationis gubernatio, sic vivendi ars est prudentia* (De finib.).

(2) Istuc est sapere, non quod ante pedes modo est
Videre, sed etiam illa quae futura sunt
Prospicere;

uti ait Terentius in *Adelphis*.

(3) Haec cum iis ferme consentiunt, quae habet Cicero: *Prudentiae partes sunt memoria, intelligentia, providentia* (De invent.).

176. Prudentiae opponuntur *temeritas*, qua quis, non considerato ac sapienti rerum delectu, sed impetu quodam ad judicandum ducitur, unde etiam *praecipitatio* (V. *Logica*, n. 276); *animi cunctatio*, qua fit ut homo anceps haereat semper, neque ad certum ac definitum judicium ferendum inducat animum, quod pigri proprium est: *vult et non vult piger*, ut in *Proverbiis* legitur; *incuria* in opportunis mediis investigandis; vel in iis prompte et alacriter adhibendis *socordia; malitia* seu *astutia*, quae prudentiam imitatur eamque transgreditur, dum inhonestum finem sibi proponit. Prudentiae demum adversatur *prodigalitas*, quo in genere peccant qui opes suas inordinate profundunt atque in largiendo modum non tenent (V. n. 152); necnon *luxus*, excessus nempe seu vitium animi soluti et immodici in rebus, ad victum vel cultum pertinentibus, - sola mollitiei, vanitatis et ostentationis causa -, quacumque impensa comparandis.

177. Ex his clare patet, luxum inter vitia, hominibus magis exitiosa et pertimescenda, adnumerandum esse; utpote qui mores corrumpit (*luxu atque desidia corrupta civitas:* Sallustius, in *Bell. Catil.*); morum autem corruptionem (V. n. 73), privatorum non solum, sed civitatum etiam atque imperiorum pernicies et exitium naturaliter sequitur (1). A veritate igitur vehementer aberrat auctor *Fabulae apum*, Mandevillus (quem inter no-

(1) Hinc recte T. Livius: *Non est, crede mihi, tantum ab hostibus armatis aetati nostrae periculi, quantum ab circumfusis undique voluptatibus.* Similiter et Corn. Tacitus in Vita Agricolae: *Delinimentum vitiorum, porticus, et balnea, et conviviorum elegantia..... apud imperitos id humanitas vocabatur, cum pars servitutis esset.*

boni habitus, seu *virtutis* (moralis) nomine veniat; virtutes autem omnes ad quatuor reduci, quas *cardinales* vocant; suntque prudentia, temperantia, fortitudo et justitia.

Animadvertendum tamen est, justitiam, - utpotequae ad alios homines potissimum refertur -, virtutem socialem nuncupari posse; de qua proinde in sectione sequenti opportunius agendum putamus. De tribus aliis hic tantum dicemus, quae virtutes individuales vel personales appellandae potius videntur.

175. *Prudentia* est « habitus agendi rationabiliter in multiplicibus vitae adjunctis, indeque honestum, quem sibi homo praestituit, finem obtinendi ».

Tres itaque peculiares virtutes sive habitus complectitur prudentia: habitum nempe, 1° actiones considerate ac tranquille obeundi; 2° de rebus, cum bonis tum malis, quae ad agendum allicere nos possunt, recte judicandi (1), earumque effectus et consecutiones praevidendi (2); 3° instrumenta, vel media, uti vocant, ad propositum finem consequendum magis idonea seligendi atque adhibendi (3). Ex quo manifestum est, virtutem, - partim intellectualem, partim vero moralem -, esse prudentiam.

---

(1) *Prudentia*, ex Cicerone, *est rerum expetendarum fugiendarumque scientia* (De off.). — *Prudentia cernitur in delectu bonorum et malorum... Ut medicina valetudinis, navigationis gubernatio, sic vivendi ars est prudentia* (De finib.).

(2) Istuc est sapere, non quod ante pedes modo est
Videre, sed etiam illa quae futura sunt
Prospicere;

uti ait Terentius in *Adelphis*.

(3) Haec cum iis ferme consentiunt, quae habet Cicero: *Prudentiae partes sunt memoria, intelligentia, providentia* (De invent.).

176. Prudentiae opponuntur *temeritas*, qua quis, non considerato ac sapienti rerum delectu, sed impetu quodam ad judicandum ducitur, unde etiam *praecipitatio* (V. *Logica*, n. 276); *animi cunctatio*, qua fit ut homo anceps haereat semper, neque ad certum ac definitum judicium ferendum inducat animum, quod pigri proprium est: *vult et non vult piger*, ut in *Proverbiis* legitur; *incuria* in opportunis mediis investigandis; vel in iis prompte et alacriter adhibendis *socordia; malitia* seu *astutia*, quae prudentiam imitatur eamque transgreditur, dum inhonestum finem sibi proponit. Prudentiae demum adversatur *prodigalitas*, quo in genere peccant qui opes suas inordinate profundunt atque in largiendo modum non tenent (V. n. 152); necnon *luxus*, excessus nempe seu vitium animi soluti et immodici in rebus, ad victum vel cultum pertinentibus, - sola mollitiei, vanitatis et ostentationis causa -, quacumque impensa comparandis.

177. Ex his clare patet, luxum inter vitia, hominibus magis exitiosa et pertimescenda, adnumerandum esse; utpote qui mores corrumpit (*luxu atque desidia corrupta civitas:* Sallustius, in *Bell. Catil.*); morum autem corruptionem (V. n. 73), privatorum non solum, sed civitatum etiam atque imperiorum pernicies et exitium naturaliter sequitur (1). A veritate igitur vehementer aberrat auctor *Fabulae apum*, Mandevillus (quem inter no-

---

(1) Hinc recte T. Livius: *Non est, crede mihi, tantum ab hostibus armatis aetati nostrae periculi, quantum ab circumfusis undique voluptatibus.* Similiter et Corn. Tacitus in Vita Agricolae: *Delinimentum vitiorum, porticus, et balnea, et conviviorum elegantia..... apud imperitos id humanitas vocabatur, cum pars servitutis esset.*

strates sequutus est Melchior Gioia), qui luxum, tamquam societati perutilem tuetur ac laudat: perinde namque hoc est, inquit Rosminius, ac si quis instrumentum, ad populos corrumpendos aptissimum, maximis laudibus efferre adgrediatur (1).

At luxus, uti ex ejus definitione liquet, excessus est quidam sive immoderatio; quocirca nonnisi aliquid relativi et conditionalis est: ita nempe vocatur, habita ratione personae, quae modum excedit. Quod itaque in quibusdam est luxus, proindeque tamquam vitium merito vituperatur, longe secus est in aliis, quorum opes fortasse, conditio, quem gerunt magistratus vel munus, postulant, ut, - cum domi tum publico, in mensa, vestitu, ornatu, famulatu -, cultiores ac splendidiores se praebeant (2). Hinc non luxus, sed liberalitas et magnificentia haec proprie dicenda est, quae hoc hominum genus omnino decet; et a qua illis non licet recedere, ni in extremum aliud aeque devitandum, in avaritiam scilicet ac sordem, labi velint (3).

178. *Temperantia* est « habitus, ita humanos affectus regendi atque moderandi, ut justi et aequi

(1) Ad hanc rem videsis, in Rosminii *Apologetica*, « Esame delle opinioni di Melchiorre Gioia in favor della moda ».

(2) Unde fit, ut luxus accipiatur aliquando pro generosis sumptibus, magnificentia et copia, quae ingenuum hominem et praedivitem decet. Sic Virgilius: *At domus interior regali splendida luxu Instruitur* (Aeneid. 1). Item Tacitus, de C. Petronio scribens: *Habebaturque*, ait, *non ganeo et profligator, ut plerique sua haurientium, sed erudito luxu* (Annal.).

(3) Brevi igitur: quae cujusque propria et conveniens est vivendi ratio, hanc illum probe tenere opus est; neque unquam nobis ex animo effluere, quod monet Horatius (*Sat.*).

Est modus in rebus, sunt certi denique fines,
Quos ultra citraque nequit consistere rectum.

terminos numquam praetergrediantur, neque in passiones abeant ».

Variis autem donatur nominibus, pro affectuum diversitate, quos gubernandos suscipit. Si circa affectiones animales versatur, dicitur *parsimonia, abstinentia, sobrietas, castitas, pudicitia;* si circa spirituales, *mansuetudo*, *clementia*, *humilitas.* Quatenus demum temperantia externos praesertim actus regit, in *modestiae, decentiae, urbanitatis, comitatis* virtutes convertitur; ex quibus omnibus, apte simul et concinne attemperatis, spiritualis quaedam oritur atque in hominem redundat venustas et elegantia, quae *decorum* nominatur: habitus nimirum actiones nostras ad personarum, rerum atque locorum adjuncta ita componendi, ut neque affectati, neque inurbani videamur. Quapropter immerito decorum omne a Cynicis reprehenditur, perinde ac quod juste fit et honeste, idem et palam coram omnibus fieri possit; aut in dictis et factis, per se non iniquis ac criminosis, nullo vel minimo vinculo constringi debeat libertas, ob metum, ne nobis alii succenseant (1).

179. Virtuti, de qua agimus, opponitur vitium *intemperantiae* (2); quae complectitur *ingluviem,*

(1) « Nec vero, ait Cicero, audiendi sunt Cynici, aut si qui fuerunt « Stoici paene Cynici, qui reprehendunt et irrident, quod ea, quae « turpia re non sint, nominibus ac verbis flagitiosa ducamus; illa autem, quae turpia sint, nominibus appellemus suis..... Nos autem « naturam sequamur, et ab omni, quod abhorret ab oculorum auriumque approbatione, fugiamus. Status, incessus, sessio, accubatio, vultus, oculi, manuum motus teneant illud decorum. Quibus « in rebus duo maxime sunt fugienda, ne quid effoeminatum aut « molle, et nequid durum aut rusticum sit » (*De off.*).

(2) De intemperantia jam supra mentio facta est, quum de officiis, quod ad corpus spectat, ageretur (n. 154). Quod quidem vitium, pudet dicere! jam jam commune et usu obvium esse constat; eo autem magis improbandum et damnandum, quod illud effugere, nemini arduum videri possit. Praeterquamquod enim intemperantia anim

vinolentiam, cupidinem, impudicitiam. Hinc etiam *vanitas* et *superbia;* ex quibus *invidia, ambitio, ira, vindicta* etc. facile gignuntur.

180. *Fortitudo*, seu vis animi, est « habitus ea, quae ad recte agendum impedimento sunt, superandi, et, ad virtutis defensionem, pericula obeundi »; vel, quemadmodum definit Cicero (De Invent.), *est considerata periculorum susceptio, et laborum perpessio* (1).

Quae, pro objectorum, circa quae versatur, diversitate, diversas quoque induit formas: in totidem nempe speciales virtutes convertitur. Si ejus objectum est praesens quoddam ac reale periculum, dicitur *vis animi impavidi* (intrepidezza); si infortunium vel dolor, *patientia;* si convicia et injuriae, *generositas;* si opus et labor, *actuositas:* haec autem complectitur *fiduciam*, quae ad difficilia aggredienda praesertim movet et adjuvat; necnon *perseverantiam* (2), per quam semel bene incepta ad optimum exitum addu-

non solum, sed et corpori ipsi plurimum affert detrimenti, nescio quid praesefert adeo foedum ac turpe, ut stomachum moveat. Quis, quaeso, nimio cibo gravem et oppressum, aut vino madidum potest intueri, quin illum fastidiat, ac veluti quid contemnendum et vile despiciat? Hinc Anacharsis sciscitanti, qui eo adduci homo posset, ut vino se penitus abstineret, respondisse fertur: *Si videat incompositos ebriorum motus.*

(1) Complures alias hujusce virtutis definitiones tradit Cicero. Inter quas hasce praesertim, ex *Quaestionibus tusculanis* excerptas placet referre: « Fortitudo est Affectio animi, legi summae in perpetiendis « rebus obtemperans; vel Conservatio stabilis judicii in eis rebus, « quae formidolosae videntur, subeundis et repellendis; vel Scientia « rerum formidolosarum contrariarumque perfendarum aut omnino « negligendarum, conservans earum rerum stabile judicium; vel brevius, ut Chrysippus: Fortitudo est scientia perfendarum rerum, vel « affectio animi in patiendo ac perferendo, summae legi parens, sine « timore ».

(2) Perseverantia, ex Cicerone, *est in ratione bene considerata stabilis et perpetua permansio* (De invent.).

cuntur, - quod quidem in hominis vita potissimum est (1).

Splendidiora tamen fortitudinis argumenta habemus in munificentia et magnanimitate. *Munificentia* elucet in despiciendis opibus, iisque in Religionis decus, in patriae salutem aliaque hujuscemodi, alacri animo impendendis; *magnanimitas* vero in eo praesertim est, ut labores gravioraque pericula adeantur ad egregia facinora, quorum gloriam immortalitatis memoria prosequitur, exsequenda. Magni animi est liberalitate ac beneficentia praestare; bonum commune pluris aestimare quam proprium; atque, honoribus posthabitis, salutem reipublicae suis commodis praeferre (2).

181. Fortitudini complura adversantur vitia. Quorum alia ex quodam, pene dixerim, vis moralis excessu oriuntur, ex. gr. *audacia* (3), *temeritas*, *pertinacia* (4); alia vero, ex ipsius defectu, ut puta *accidia*, *pusillanimitas*, *animi dejectio, impatientia,* prae ceteris autem *inconstantia:* vi-

(1) *Qui perseveraverit usque in finem,* iterum ac tertio monet Christus apud S. Matthaeum, *hic salvus erit.* In *Evangelio* autem S. Lucae: *Nemo,* ait, *mittens manum suam ad aratrum, et respiciens retro, aptus est regno Dei.*

(2) *Animus magnus*, ait Q. Curtius, *spernit sceptrum, quod alii per ignes ferrumque peterent.*

(3) Perbelle audaciam a fortitudine distinguit Cicero: *Sed ea*, inquit, *animi elatio, quae cernitur in periculis et laboribus, si justitia vacat, pugnatque non pro salute communi, sed pro suis commodis, in vitio est..... Praeclarum igitur Platonis illud: Non solum, inquit, scientia quae est remota a justitia, calliditas potius, quam sapientia, est appellanda; verum etiam animus paratus ad periculum, si sua cupiditate, non utilitate communi, impellitur, audaciae potius nomen habeat, quam fortitudinis* (De off.).

(4) *Sed illud odiosum est*, prosequitur Tullius citato loco, *quod in hac elatione et magnitudine animi, facillime pertinacia et nimia cupiditas principatus innascitur..... Difficile autem est, cum praestare omnibus concupieris, servare aequitatem, quae est justitiae maxime propria.*

tium profecto, cum privato cuilibet, tum praesertim principi, iisque generatim omnibus, qui publica munia obeunt, perquam exitiosum. Quid enimvero boni, quid utile ab levi et instabili homine praestolari licet (1)?

182. Praecipua innuimus vitia, quae prudentiae, temperantiae ac fortitudini opponuntur: infensos nimirum et capitales hostes, cum quibus homini jugiter ac strenue dimicandum est (2).

Vitiorum tamen omnium teterrimum et formidolosissimum est *corporis voluptas*, vel, ut divini libri dicere amant, *carnis concupiscentia*; quippe quae voluntatem omnino corrumpit atque pervertit, indeque magno hominem malo mactat et multigena illi adfert infortunia (3). Tanto igitur tamque inexorabili inimico, maximi interest bellum indicere, neque certamine, nisi victoria plane adepta, desistere.

183. At minime dubia est victoria, si in bellum et animo et opibus incumbimus, quaeque

---

(1) *Quid est*, ait Cicero, *inconstantia, mobilitate, levitate, cum singulis hominibus, tum vero universo senatui turpius?* (Philipp.).

(2) *Militia est*, inquit Jobus, *hominis vita super terram*. Unde Apostolus ad Timothaeum: *Non coronabitur, nisi qui legitime certaverit*.

(3) Non solum autem Litterae sacrae in concupiscentiam acerbis verbis passim invehuntur, sed et ipsi ethnici scriptores graviter animadvertunt. Inter quos Terentius: *Deteriores*, ait, *omnes simus licentia* (Heautontim.). - *Impedit consilium voluptas, rationi inimica; ac mentis (ut dicam) perstringit oculos, nec habet ullum cum virtute commercium:* ita Cicero (*De senect.*); qui, ad sententiam suam magis magisque confirmandam, notatu dignissima Architae Tarentini, - *magni in primis et praeclari viri* -, verba refert. Hic quippe « nullam capitaliorem pe« stem, quam corporis voluptatem, hominibus dicebat a natura da« tam... Hinc patriae proditiones, hinc rerum publicarum eversiones, « hinc cum hostibus clandestina colloquia nasci; nullum denique « scelus, nullum malum facinus esse, ad quod suscipiendum non li« bido voluptatis impelleret..... Quocirca nihil esse tam detestabile, « tamque pestiferum, quam voluptatem: siquidem ea, cum major « esset atque longior, omne animi lumen extingueret ».

nobis prompta sunt arma scite ac prudenter adhibemus. Haec autem ferme sunt: Libris et cujuscumque generis scripturis, turpia atque inhonesta tractantibus, se penitus abstinere; ab obscenis tabulis, imaginibus et simulacris oculos avertere; paullo liberioribus, neque sat castigatis spectaculis valedicere; praesertim autem illorum, qui dissoluti ac male morati sunt, consortium devitare (1).

Sed praeter arma hujuscemodi, quae, si fas est ita loqui, sunt ad tegendum, alia prae manibus habere opus est, quae ad nocendum faciunt; cujusmodi sunt: Cum probis ac virtute praeditis societatem inire (2); optimos libros pervolvere (V. *Logica*, n. 281); in memoriam nobis identidem reducere, cum praeclaros viros, qui sanctimonia et morum integritate floruerunt, tum illos, qui flagitiorum suorum atque turpitudinum sempiternum monumentum reliquerunt, ut, eorum exemplo, hinc vehementissime accendamur ad virtutem, illinc vitiis absterreamur (3); prae ceteris vero ad Religionem confugere, eique nos penitus committere: quae homini, sive ad pravam voluntatem emendandam atque instaurandam, sive

---

(1) *Corrumpunt bonos mores colloquia mala:* inquit S. Paulus in *Epistola* 1.a ad Corinthios. Id autem probe noverat corruptissimus ille atque corruptor Catilina, de quo haec scribit Sallustius: *Quod si quis etiam a culpa vacuus in amicitiam ejus inciderat, quotidiano usu atque illecebris, facile par similisque ceteris efficiebatur. Sed maxume adolescentium familiaritates appetebat: eorum animi molles et aetate fluxi, dolis haud difficulter capiebantur.*

(2) *Qui cum sapientibus graditur, sapiens erit* (Proverb.).

(3) In rem apposite Horatius (*Sat.*):

. . . Avidos vicinum funus ut aegros
Exanimat mortisque metu sibi parcere cogit;
Sic teneros animos aliena opprobria saepe
Absterrent vitiis.

ad sobrie, juste ac pie, ut vult Apostolus, in hoc saeculo vivendum, mirum sane, quantum prosit; quin una, pene dixerim, illi sat est (1).

SECTIO TERTIA

ETHICA SOCIALIS SEU DE HOMINIS OFFICIIS ERGA SUI SIMILES.

184. Officia hominis erga sui similes ab diversis oriuntur relationibus, quae inter homines intercedunt; hae porro relationes a statibus diversis pendent, in quibus homines versantur. Jamvero, vel in eo statu consideratur homo, in quo a natura ipsa est positus, quique *status primigenius* vel *naturalis* dicitur, atque omnibus hominibus communis est; vel peculiares status spectantur, in quibus, sua aut aliorum opera, postmodum homo constituitur, et *status adventitii* nominari solent.

(1) Religionis vim et praeclara in homines merita ita eleganter celebrat Lactantius: « Quod ipsi (*ethnici nempe philosophi*) facere non potue- « runt, sola hoc efficit doctrina coelestis, quia sola sapientia est. Illi « scilicet persuadere cuiquam potuerunt, qui nihil persuadent etiam « sibi; aut cujusquam cupiditates opprimunt, iram temperabunt, li- « bidinem coërcebunt, cum et ipsi cedant vitiis et fateantur plus « valere naturam? Dei autem praecepta, quia et simplicia et vera « sunt, quantum valeant in animis hominum quotidiana experimenta « demonstrant. Da mihi virum, qui sit iracundus, maledicus, effre- « natus; paucissimis Dei verbis, tam placidum quam ovem reddam. « Da cupidum, avarum, tenacem: jam tibi eum liberalem dabo et « pecuniam suam plenis manibus largientem. Da timidum doloris ac « mortis: jam cruces et ignes et Phalaridis taurum contemnet. Da « libidinosum, adulterum, ganeonem: jam sobrium, castum, conti- « nentem videbis. Da crudelem et sanguinis appetentem: jam in ve- « ram clementiam furor ille mutabitur. Da injustum, insipientem, « peccatorem: continuo, et aequus et prudens et innocens erit. Tanta « divinae sapientiae vis est, ut in hominis pectus infusa, matrem de- « lictorum stultitiam uno semel impetu expellat..... Itaque sapientia « eorum (*ethnicorum*), ut plurimum efficiat, non exscindit vitia, sed « abscondit. Pauca vero Dei praecepta sic totum hominem immutant, « ut non cognoscas eumdem esse ».

Sed de hoc naturali hominis statu nonnulla praefari opus est.

185. Si *status naturae* nomine, status ille intelligitur, in quo putantur homines, quatenus ea tantum inter se relatione tenentur, quam naturae aequalitas parit, - hujusmodi statum revera existere, nemini profecto dubium esse potest (1). Hic tamen, proprie loquendo, nil aliud est, quam quaedam *societas naturalis:* siquidem *societatis* nomine generatim venit « duorum vel plurium hominum conjunctio, in bonum commune ultro consentientium ». Quod si status hominis adventitii considerentur, multiplices hinc oriuntur *societates artificiales* (cujusmodi, v. gr., est societas civilis) de quibus suo loco dicemus (2).

186. Sed longe aliter sentiunt nonnulli. Qui statum hominis nativum ac primigenium, silvestrem et, pene dixerim, ferinum esse arbitrantur. Hunc itaque *statum naturae* appellant, ut a *statu sociali* distinguant, quem utpote aliquid

(1) Quapropter in naturae statu illi vivere dicuntur, qui alieno imperio non sunt obnoxii, neque dominum, ab cujus arbitrio pendeant, habent. Quo sensu, in statu naturali non ii tantum sunt, - si qui tamen sunt hujusmodi -, qui, procul ab omni societate, in solitudine vitam agunt, verum etiam illi, qui, tametsi in societate versentur, nulli tamen, extra societatem suam, subjecti sunt: ut puta Respublica, Principatus vel Regnum aliquod, respectu alterius. His enimvero naturalis, de quo agimus, status verissime repraesentatur. Homines autem qui sunt in statu naturali, inter se aequales dicuntur esse, eo quod nullius, nisi Creatoris, arbitrio aut legibus parere tenentur.

(2) Quum igitur de officiis aut juribus *extra-socialibus* sermo est, officia vel jura intelligimus, quibus homo, extra societatem civilem, obstringitur vel gaudet: quatenus nimirum ad societatem mere naturalem, cujus omnes indiscriminatim homines sunt membra, pertinet.

omnino artificiosum, atque a mutua et positiva hominum pactione proficiscentem sibi effingunt.

Quanquam inter eos haudamplius convenit, quum de causa disputant, cur homines, - solitario atque erratico vivendi genere dimisso -, in societatem coire quondam constituerint.

187. Hobbesius, - cujus doctrinam jam superius attigimus (n. 60) -, hominem contendit, solitarium quoddam animal, deque se tantum diligens atque sollicitum, naturaliter esse; ita nempe homines naturâ esse constitutos, ut alii aliis diffidant, se mutuo metuant, unde *status belli* omnium in omnes: qui, illius sententiâ, naturalis hominis status vere dicendus est. At enim, ait Hobbesius, quî diu homines in hisce rerum adjunctis, vivere potuissent? quis totius humani generis excidium inde citius consecuturum non videt? Hinc enimvero factum est, ut, ad hoc periculum discutiendum, de pace homines, in quasdam conditiones convenirent; sicque paullatim, magna profecto omnium utilitate, humana societas constitueretur. Homo igitur, si Hobbesio credas, naturâ suâ malus est; hunc autem corrigit ac bonum efficit societas.

Russojus contra, - etsi, non secus atque Hobbesius, societatem, veluti quid artificiale et hominum arbitrio confectum, habeat -, in hoc tamen ab Anglo sophista dissentit, quod hominem, ab ortu suo bonum, a societate deinceps corrumpi ac depravari opinatur.

188. Sed haec commenta diluere, parum mehercule nobis est negotii. Et primo quidem, Hobbesii doctrina homine plane indigna est, gravissimaque humanum genus universum afficit contumelia. Siquidem sui similium amorem ac benevolentiam, nequaquam vero odium, diffidentiam, metum, primigenios et naturales affectus esse, humanam naturam diligentius inspicienti facile constat. Profecto infantes, in quibus est natura sincerior, ad se invicem diligendos se factos esse satis ostendunt, dum ignoti ignotis conveniunt, et in mutuos statim amplexus aliaque amicitiae ac benevolentiae signa ruunt. Haud inficiamur, vitae usu, educatione, pravis exemplis, malorum commercio, plurima paullatim adolescentibus nobis adscisci atque insito ingenio admisceri, quae minus acuto naturae humanae speculatori nativa et primigenia videri possunt. At ex his nemo prudens ac sanae mentis humanam naturam aestimaverit: in qua ea distinguere opus est, quae sunt eidem ingenita, et quae tempore adveniunt.

Quod autem ad Russojum attinet, qui, societatis incommoda exaggerans et ad libidinem quoque interdum fingens, hanc hominibus exosam reddere conatur, - indeque humanum genus silvescere atque brutescere satius esse concludit -, nil fortasse ad portentum hoc evertendum opus est verbis: quid enim absurdius excogitari potest? (V. n. 167, *nota*). Operae nihilominus pretium esse ducimus, hisce expendendis aliquantisper immorari, solidisque argumentis evincere, ad societatem hominem natum esse, eaque, ad finem suum consequendum, omnino indigere: ita nempe, ad socialia hominis officia exponenda atque evolvenda viam nobis sternimus.

CAPUT I.

Status societatis homini naturalis et necessarius est.

189. Quisquis paullo attentius ad se animum convertit, haec profecto secum interdum mente nequit non cogitare: Non ego solus in terris, sed inter innumeros alios homines, mihi omnino simillimos, dego; hoc porro in statu, naturae ordo, seu potius ipsa me Providentia constituit. Unde nullo negotio colligere mihi licet, non eam supremi Conditoris mentem fuisse, ut homo quisque solitariam et a ceteris segregatam vitam ageret, sed contra ut homines intima simul viverent societate conjuncti.

Quo autem penitius rem considero, eo magis hac in mea sententia consto. Naturalis namque hominis imbecillitas atque indigentia; nobilissimae, quibus a natura praeditus est, facultates; postremo innata illi studia et propensiones, - totidem, eaque validissima, ad societatem natum esse hominem, sunt argumenta.

190. Et primum, ea hominis conditio et natura est, ut, extra societatem, vitam suam servare, nedum laetam ac tranquillam ducere, nequeat. Quae, amabo, sors foret infantuli, nisi ejus necessitatibus benefica manus et auxiliatrix consuleret? nonne, vix pene in lucem editus, si nemo illi opitularetur, certae occumberet morti?

Fac nihilominus hunc adolescere: rudis et omnium inscius, quo tandem adveniet, ubi illum sibi ipsi permiseris? Agrestem hominem habebis,

animali instinctui unice obedientem; truculentum fortasse atque ferocem, omnium vitae jucunditatum ignarum, desidia torpentem, taedio confectum, qui primis maximeque urgentibus naturae suae necessitatibus providere vix possit.

Quod si homini ad senectutem pervenire datum est, nae hic rursus inopia et imbecillitate laborat; quae illum, non secus atque in infantia, ceteris obnoxium atque alienae opis indigentem faciunt. Quî enim, sibi relictus, ingravescentem aetatem ferre posset?

Nunquam tamen melius intelligitur, quantum homo homine egeat, quam si, - quod profecto non raro contingit -, gravi aliquo casu vel morbo affligetur. Quandoquidem, nonnisi aliorum hominum adjumentum et caritas ab malis, quae jugiter nobis impendent, tueri nos potest, eisve mederi; minusque nobis asperam, vel jucundam etiam, vitam efficere, quocumque in statu et rerum conditione versemur (1).

---

(1) Rem ita graphice depingit Seneca: « Quid est homo? imbecillum « corpus, et fragile, et nudum, suapte natura inerme, alienae opis « indigens, ad omnem fortunae contumeliam projectum..... Quo alio « tuti sumus, quam quod mutuis juvamur officiis? Hoc uno instru« ctior vita, contraque incursiones subitas munitior est beneficiorum « commercio. Fac nos singulos, quid sumus? praeda animalium et « victimae, ac bellissimus et facillimus sanguis. Quoniam caeteris « animalibus in tutelam sui satis virium est: quaecumque vaga na« scuntur, et actura vitam segregem, armata sunt. Hominem imbe« cillitas cingit; non unguium vis, non dentium, terribilem caeteris « fecit. Nudum et infirmum societas munit. Duas res dedit natura « quae illum, obnoxium caeteris, validissimum facerent, rationem et « societatem. Itaque, qui par esse nulli posset si seduceretur, rerum « potitur. Societas illi dominium omnium animalium dedit. Societas « terris genitum in alienae naturae transmisit imperium, et domi« nari etiam in mari jussit. Haec morborum impetus arcuit, sene« ctuti adminicula prospexit, solatia contra dolores dedit. Haec for« tes nos facit, quod licet contra fortunam advocare. Hanc societatem « tolle, et unitatem generis humani, qua vita sustinetur, scindes » (*De benef.*).

191. 2° Facultates, cum intellectuales tum morales, quibus praeditus est, ad societatem cum sui similibus ineundam atque servandam, hominem esse conditum plane evincunt: utpotequae in societate dumtaxat, exerceri, explicari atque perfici possunt (V. *Logica*, n. 162). Dicesne Deum, quum tot eximiis ac praestantissimis facultatibus illum instrueret, temere atque inconsulto, nullo sine proposito, egisse?

Quid autem potissimum de loquela seu sermone dicendum, cujus ope proprias cogitationes atque abditos sensus sibi invicem homines tanta facilitate ac celeritate communicant? Quid de humanae eloquentiae potestate, ad ciendos animi motus, voluntatesque, quo velis, impellendas, unde autem velis, deducendas aptissima? Num haec largitus homini Creator est, ut in concionem cogeret quercus et saxa, ut cum lupis et pardis misceret alloquia, ut nemora et specus cogitationibus suis informare, suisve inventis locupletare posset? (1).

Ad haec, naturam videmus alias aliis hominibus dotes atque habilitates partitam esse; ad quam enim rem alter est aptissimus, alter eamdem praestare nequit. Naturalis itaque hominum inopia illos sibi invicem obnoxios facit; et quoniam variis dotibus instructi sunt, quibus alter alteri prodesse potest,

(1) Quapropter, *est homini naturale*, inquit S. Thomas, *quod sit animal sociale* (C. Gentes). — « Que ferait-il, s'il en était autrement, de ce regard intelligent par lequel il interroge et répond avant de savoir parler? Que ferait-il de cet esprit qui conçoit, généralise, qualifie les choses, de cette voix qui les désigne par des sons, de cette parole enfin, instrument de la pensée, lien et charme de la société? Un être si noblement organisé, ayant le besoin et le moyen de communiquer avec ses semblables, ne pouvait être fait pour l'isolement »: haec doctissimus Adolphus Thiers, in opere quod inscribitur *De la propriété*.

fit, ut alii aliis admoveantur conjunganturque. Quae, ad societatem natos homines esse, manifesta sunt argumenta.

192. 3° Demum, si naturales animi nostri propensiones inspicimus, ad societatem cum aliis hominibus conflandam nos vehementer impelli deprehendimus; solitudinem autem, utpote quemdam derelictionis et taedii statum, invisam nobis et intolerabilem esse. Id abunde probant humani cordis affectus: miseratio, pietas, amor, charitas etc.; qui, demta societate, cur in homine reperiantur, nulla esset ratio. Profecto, in quos miseratio, nisi in indigos? In quos pietas? annon in parentes? In quos amor? nonne in conjugem, liberos, amicos? In quos charitas? annon in patriam et cives? Quid quod? nonne mens nostra hac jucundissime opinione movetur, caeterorum amicitia vel existimatione dignos nos esse? Quo etiam fit, ut gaudii nostri numquam sit major alacritas, quam cum exterius se prodit, aut in amicum pectus effunditur (1); animi autem aegritudo, cum altero communicata, valde minuatur ac mitigetur: ea ferme ratione qua impositum nobis pondus fit levius, in quo ferendo alii benigne nos adjuvent.

Quum itaque hominis, cum corporeae tum spirituales, indigentiae necessariam illi societatem reddant; hanc expostulent ingeniti animi affectus; dulcissimam denique efficiat innata quaedam ad eam propensio, consequens est illum ad societatem omnino conditum esse.

193. Quod autem invicte suadet ratio, res ipsa

(1) *Quando cum multis gaudetur, et in singulis uberius est gaudium, quia fervefaciunt se et inflammantur ex alterutro* (S. August., *Confess.*).

et totius humani generis historia plane confirmat. Nuspiam enim soli, palantes, segreges, absque domo, connubiis, aris, homines reperti unquam sunt; quotquot imo traditiones, monumenta atque historiae supersunt, semper et ubique homines, societatis vinculo constrictos simul vixisse demonstrant (1).

CAPUT II.

De hominis erga sui similes officiis in statu societatis naturalis.

194. Officia hominis erga sui similes, in statu societatis naturalis, nituntur in naturali et primigenia hominis ipsius constitutione, seu naturae aequalitate; adeo ut unusquisque cuilibet alii, ob id solum quod homo est, praestare ea debeat.

Horum porro officiorum, alia *negativa* sunt,

(1) Celeberrimum nostrae aetatis historicum, A. Thiers, hac super re iterum loquentem audiamus: « Les publicistes, dans le dernier siècle, voulant distinguer entre l'état naturel et l'état civil, se plaisaient à imaginer une époque où l'homme errait dans les forêts et les déserts, n'obéissant à aucune règle fixe, et une autre époque où il s'était aggloméré, réuni, et lié par des contrats appelés lois. On qualifiait du titre de droit naturel les conditions supposées de ce premier état, du titre de droit civil les conditions réelles et connues du second. C'est là une pure hypothèse, car l'homme n'a été découvert nulle part dans l'isolement, même parmi les sauvages les plus grossiers, les plus stupides de l'Amérique et de l'Océanie » (*De la propriété*). Idem autem sentit insignis naturae speculator, P. Flourens, in opella cui titulus *De l'instinct et de intelligence des animaux*: « L'idée que l'homme de la nature vit solitaire n'a jamais été qu'un paradoxe de philosophie, partout contredit par l'observation ». Neque vero paradoxum tantum, sed purum putumque deliramentum id Ciceroni videtur; qui animadvertit..., *non ferarum laniatus causam fuisse coëundi, sed ipsam potius humanitatem: itaque inter se congregatos, quod natura hominum solitudinis fugiens et communionis ac societatis appetens esset* (De republ.). In libro autem « De amicitia »: *Sic enim mihi perspicere videor, ita natos esse nos, ut inter omnes esset societas quaedam.*

quod simpliciter vetant quemlibet laedere; alia vero *positiva*, quatenus aliis benefacere jubent. Priora illa, *justitiae;* haec autem, *benevolentiae* officia nuncupari etiam consueverunt. Officia omnia negativa sive justitiae, generali hac formula continentur: *Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris.* Officia vero positiva seu benevolentiae ita exprimuntur: *Alteri fac quod tibi rationaliter factum velles.*

Art. 1. — *De officiis justitiae.*

195. Antequam justitiae officia exponenda suscipimus, dicendum quid sit justitia: quae, ut vidimus (n. 174), una est ex virtutibus cardinalibus.

Justitia definiri solet « universale et constans voluntatis propositum cuique tribuendi quod suum est » (1); haec autem vel ad Deum, vel ad homines refertur. Primo in casu, in virtutem *Religionis* abit, quae hominum officia erga Deum complectitur, de quibus in sectione prima sermonem habuimus; in altero vero, in *justitiae specialis* virtutem convertitur, unde officia erga homines. Triplex autem haec est: *commutativa*, *distributiva* et *punitiva*. Quarum prior obligat privatos inter se, mutuas-

(1) Justitia, si latissima verbi significatione intelligatur, non solum, uti ait Cicero, *omnium domina et regina virtutum* (De off.), sed virtus universalis, vel clarius, virtus ipsa, in sua unitate et essentia, dicenda est. Re enim vera, haec propositio « Unicuique tribuere quod suum est », generaliter sumpta, huic aequivalet: « Id enti tribuere, quod ipsum ab humana voluntate reposcit »; vel: « Entia, uti vere sunt, aestimare »; aut etiam: « Moralem entium exigentiam recognoscere ». Quae postrema, ipsissima est universalis formula virtutis, seu supremum principium morale (V. n. 42). Sed tamquam virtus specialis, hic a nobis justitia consideratur.

que eorum relationes moderatur; altera potestatem imperantem inclinat ad munia et praemia, pro merito et juxta cujusque facultates et vires, inferioribus distribuenda; tertia demum eidem potestati normam exhibet in reis coërcendis, iisque debita poena multandis.

196. Vitium virtuti, de qua agimus, oppositum dicitur *injustitia:* « habitus nempe hominem inclinans ad aliis, utilitatis suae causa, nocendum et injuriam inferendam ».

Justitia, quatenus virtus principalis, plures alias sub se complectitur. Inter quas praecipuae sunt *veritas* (idest habitus vera dicendi) et *fides* in promissis servandis (1); quibus opponuntur *mendacium* et *perfidia* (fidei violatio).

197. Justitiae officia generali quadam formula, ut diximus (n. 194), comprehenduntur; quae sic brevius exprimi etiam potest: *Neminem laede*. Dupliciter porro alios laedere possumus: vel nimirum actibus mere internis, ut « siquis aliorum felicitatem aegris oculis introspiciat », - « alicui malum exoptet », etc.; vel actibus externis, ut puta verbis aut opere.

Quapropter officia justitiae, alia sunt *moralia* simpliciter, alia vero *juridica:* prout ab lege morali tantum praescribuntur (cujusmodi sunt actus mere interni), vel ab alieno etiam jure nobis imposita sunt; *officium* namque *juridicum* dicitur « moralis, qua quisque tenetur, obligatio jus alienum minime laedendi » (2). Hinc enimvero *justitia* a jureconsultis romanis definitur *constans ac perpetua voluntas jus suum cuique tribuendi.*

(1) *Fundamentum justitiae*, ait Cicero, *est fides*, *idest dictorum conventorumque constantia et veritas* (De off.).

(2) Quo sensu, generalis formula justitiae, quam supra memoravimus, *justitiam externam* exprimit, quae legis civilis atque *justitiae legalis* est fundamentum.

Sed jam, quid juris nomine intelligatur, dicendum est.

§ 1. *De jure et variis juris speciebus.*

198. Duplicem potissimum vox *jus* habet intellectum: modo scilicet *facultatem* agendi, a lege manantem; modo vero *legem* ipsam significat. Sic, quum furtum, mendacium et similia, *jure naturali* prohiberi affirmamus, jus pro lege accipitur. At quum dicimus, v. gr., *jus* esse principi, delicti gratiam faciendi; patri jus, liberos suos educandi etc., tunc jus tamquam facultas quaedam vel potestas habetur. Hoc porro sensu vocabulum *jus* hic nos adhibemus; quod propterea definiri potest « facultas quod libet agendi, quam lex moralis tuetur, eamque laedere vel ejus exercitium distinere caeteros vetat » (1).

199. Juri itaque, hoc sensu accepto, respondet officium, quod juridicum nominavimus (n. 197): officium nempe, quo caeteri homines obstringuntur, facultatem hujuscemodi integram atque inviolatam servandi.

Inversa tamen propositio nequit semper admitti: innumera quippe sunt officia, quibus jus nullum

(1) Quemadmodum *officium* (V. n. 124), ita et *jus*, entium, quae intelligentia et libertate sunt praedita, omnino proprium est. Homo equidem, erga entia omnia, ratione vel sensu quoque carentia, juxta ordinem idest ad moralis legis praescripta, se gerere debet; at nullum in his entibus ad haec jus inesse manifesto liquet: nil quippe eorum sciunt, ad quae instinctive vel materialiter, ineluctabili naturae vi, tendunt. Haec plane etiam docet Tullius in libris *De legibus*.

respondet. Profecto, proximum suum diligere, solatium aegris praebere, ferre opem egenis; brevi, misericordiae, ut dicunt, seu caritatis opera erga sui similes persolvere quisque tenetur. At hi nullum mehercule, hujusmodi opera reposcendi, vel ad ea invitum cogendi, jus habent (1). Quo fit, ut officium juridicum una morale sit; non autem, e converso, morale quodvis officium sit quoque juridicum: ni fortasse ad Deum referatur, in quo personale et absolutum in omnes omnino homines et singulos eorum actus jus inest; cujus proinde respectu, officia omnia plane juridica dicenda sunt (2).

200. Jus, ad ejus originem quod spectat, in innatum et acquisitum dividitur.

Innata sive congenita dicuntur jura, quibus homo quilibet, vel ab ortu suo, gaudet: quorum videlicet materia in humana ipsa natura continetur. Juris porro *materia* vocatur id omne, ad quod sese jus ipsum extendit, quodque iccirco in potestate nostra est. Quare vita, naturales hominis potentiae, corpus ejusque membra, totidem innatorum ejus jurium materia sunt. Jura *acquisita* illa dicuntur, cujus materiam homo deinceps, innati ipsius juris usu atque exercitio, consequitur sibique adsciscit. Utraque autem in suas species subdividuntur.

201. Et primo, jura innata, alia formalia sunt, alia vero materiata.

(1) Idem dicatur de officio personalem dignitatem nostram tuendi; cui profecto nullum respondet jus: qui enim jus in seipsum concipi potest? (V. n. 33).

(2) Ex juris definitione patet, notionem *officii*, utpote simpliciorem, *juris* notionem praecedere ab eaque nullomodo pendere. Quo fit, ut jus ab officio, nequaquam vero ab jure officium, ut nonnullis tamen videtur, ortum ducat: quae quidem consideratio maximi momenti est.

Formalia sunt ea, quae essentialiter inhaerent humanae personae (all'*io*), quae jus humanum subsistens vel ipsa juris essentia recte nominatur. Jura *materiata* dicimus illa naturae humanae elementa, quae adeo personae copulata eidemque subjecta sunt, ut totidem ejus proprietates constituant (1). Hinc discrimen apparet inter *personam*, et *naturam humanam*.

202. Quod autem ad jura acquisita pertinet, dividi haec possunt in *primitiva* seu originaria, et *translata* vel derivativa: prout in rem aliquam jus, immediato libertatis actu, primitus ab homine acquiritur; vel jus, jam existens, ab altero ad alterum, legitimi cujuspiam actus vi, transfertur. Jamvero palam est, quot sunt jura, totidem et juridica seu justitiae externae officia (V. n. 197, *nota*), illis respondentia, esse oportere (2).

De singulis itaque hisce officiis agendum nobis est; quibus, veluti corollarium, hoc aliud addimus: officium videlicet damna inique aliis illata reparandi.

(1) Haud recte igitur diceres, humanam personam, quamdam hominis proprietatem esse; idest hominem in propriam personalitatem jus habere. Hoc enim in casu, binae in homine personae distinguerentur: altera nimirum jus habens, altera materiam juris constituens. Atqui persona est fons, unde jura nascuntur; vel, uti paullo ante diximus, jus humanum subsistens, ipsa juris essentia.

Haec ad Adolphum Thiers praesertim spectant, qui in opere *De la propriété*, scribit: « Je m'approprie d'abord ma personne..... La première de mes propriétés c'est moi, moi-même »; et paullo post: « L'homme a une première propriété dans sa personne ». Eadem autem animadversione dignus videtur Cusinus.

(2) Officium juridicum, justitiae *externae* officium dicimus, ut significemus, ad juridicum officium constituendum, binas requiri personas, in quarum altera jus, in altera vero obligatio existat. Unde patet, officium, ex. gr., quo quisque, uti suo loco dictum est, a se manus abstinere tenetur, officium quidem esse justitiae, quam *internam* fortasse appellare licet; at juridicum proprie dici non posse: nemo enim jus in seipsum habet (V. n. 199, *nota*).

§ 2. — *De officio innata aliorum jura integra servandi.*

203. Jura innata, ut diximus (n. 201), in formalia et materiata dividuntur.

Jura formalia. Triplex est formale hominis jus: ad *veritatem*, ad *virtutem* et *felicitatem*, ad quas, veluti ad proprios terminos sive objecta, primigeniae illius potentiae, - *intellectus, voluntas* et *sensus* -, naturaliter tendunt; tria videlicet bona, ad humanae personae perfectionem necessaria, et a quibus, tamquam a fonte purissimo, ejus excellentia, dignitas et praestantia fluunt.

Ex quo manifestum est, hujuscemodi jura debita reverentia unumquemque prosequi debere; nec aliquo ex hisce bonis exturbari hominem posse, quin jus formale-purum laedatur, ipsique humanae personae injuria et contumelia fiat.

204. Jam porro, jus humanae personae ad veritatem triplici modo laedi potest: 1° Intelligendi facultati directe nocendo, vel eam utcumque minuendo, perturbando; 2° hujusce potentiae exercitium, nulla gravi et justa causa, sed inique et malitiose, limitibus circumscribendo; 3° data opera in errorem alios inducendo: falsis nimirum opinionibus et praejudiciis eorum animum imbuendo, vel *mendaciis* fallendo (V. n. 196).

Quod tamen ad mendacium spectat, notatu dignum est, non oratione tantum vel scriptis, mentiri quemquam posse, verum etiam factis, gestibus (*frons, vultus, oculi persaepe mentiuntur*, Cic., *ad Q. Fr.*), simulatione, dissimulatione, silentio demum ipso atque reticentia, quum

id tacetur quod dici deberet. Quamcumque nihilominus formam induat, turpe quidpiam et iniquum semper est mendacium. Non omnia quidem quae novimus, omnibus et quolibet tempore patefacienda sunt: veritatem quippe obtegere et silentio premere, nedum liceat, saepenumero decet (1); ast semper et ubique, absque exceptione, - sive de privata sive de publica re agatur -, a deceptione et mendacio nos omnino abstinere opus est.

Quod si mendacio juramentum societur, tunc illi nomen est *perjurium;* quod, uti jam alias animadvertimus (n. 149), inter impia et nefanda recenseri debet (2).

205. Trifariam itidem innatum ad virtutem jus violatur: 1° Naturalem hominis ad bonum morale propensionem labefactando: quod fieri potest, vel in illius animum pravas et flagitiosas doctrinas infundendo, vel affectiones excitando virtuti adversas; 2° agendi libertatem injuste et ad libidinem coërcendo, quo fit ut subsidia atque instrumenta ad obtinendam adipiscendamque virtutem subducantur (3); 3° ad scelus aliquod quempiam

---

(1) *Non quidquid*, uti optime advertit Cicero, *tibi audire utile est, id mihi dicere necesse est* (De off.). Hinc sapientissima in hanc rem *Ecclesiastici* consilia: *Non omni homini cor tuum manifestes. — Odibilis qui procax est ad loquendum. — Ori tuo facito ostia et seras*, etc.

(2) Neque secus et ipsis ethnicis visum est. Sic T. Livius, de Hannibale loquens: *Has tantas*, ait, *viri virtutes ingentia vitia aequabant: inhumana crudelitas, perfidia plusquam punica, nihil veri, nihil sancti, nullus Deûm metus, nullum jusjurandum, nulla religio.* Clarius autem (V. n. 97) Juvenalis (*Sat.* VIII):

. . . Ambiguae si quando citabere testis
Incertaeqne rei; Phalaris licet imperet, ut sis
Falsus, et admoto dictet perjuria tauro,
Summum crede nefas animam praeferre pudori,
Et propter vitam vivendi perdere causas.

(3) Gravius etiam hujusmodi jus ab eo violaretur, qui vitae generi

alliciendo, aut urgendo, vel a bono opere avocando, vel recto cursu depellendo.

206. Jus tandem ad felicitatem laedit quisquis praesenti aut futura prosperitate ac bono hominem spoliare nititur: Si, v. gr., *juridicam* ejus actuum *libertatem*, - quae est suprema agendi facultas -, quoquomodo impediat; vel animi pacem et quietem turbet, - sive desideria immodica et inexplebiles cupiditates fovendo, sive maxime impias et Religioni contrarias doctrinas in illius mentem inducendo: quo mehercule quid scelestius excogitari possit, non video.

Quamquam, si proprie et strictim loqui velimus, laesio de qua hic est sermo, binas laesiones modo memoratas (n. 204-05), tamquam effectus, consequitur: genuina quippe atque essentialia humanae felicitatis elementa sunt *veritas* et *virtus*, ex quarum possessione felicitas ipsa dimanat, quemadmodum in *Eudaemonologia* fusius dicemus.

207. Jura materiata. Ad jura materiata, idest jura proprietatis homini congenitae, gradum nunc facimus. Jam vero *proprietas congenita* est id omne, quod in humana natura continetur; unde fit, ut jus materiatum (innatum) laedere dicendus sit ille, qui positivo et expresso actu, facultati cuilibet, - qua homo, cum infans tum adultus, naturaliter praeditus est -, quoquomodo detrimentum infert.

Hoc itaque jus violat: 1° Qui obstat, ne homo naturalibus suis facultatibus, ad suos usus atque

constituendo, vel uti ajunt, proprii status electioni, impedimentum cuipiam inferret.

ex legis moralis praescripto, utatur; 2° qui bonis ad existendum necessariis illum privat, aëris, ex. gr., spirabilis usu, loco quo consistat et similibus; 3° qui illius vitae, aut corporis integritati insidias parat. Quapropter alimentorum et vestium, quibus ad vivendum omnino opus est, subductio; verbera, vulnera, maxime vero mors, - sive vi sive fraudulenter, ferro, veneno aut quomodocumque alteri illata -, hi totidem, in jus supra memoratum, injuriosi atque contumeliosi sunt actus.

208. Quod tamen ad postremas hasce actiones spectat, animadvertendum est, si quis in injustum aggressorem forte incidat, a quo, nisi ipsum interficiendo, evadere nequeat, id illi profecto, ut vitam suam servet (V. n. 152, 161), licere. Qui enim injuste alterum aggreditur, jam, hoc ipso, jure illo excidit, quo ad propriam vitam naturaliter gaudet (1).

At, hoc etiam in casu, servandum est semper *moderamen*, ut ajunt, *inculpatae tutelae*: ut videlicet nil contra aggressorem fiat, praeter id, quod propria praesens defensio requirit. Quocirca si injuste petitus aliomodo vitam suam tueri possit: fuga, v. gr., clamoribus, minis, vel leviore aggressoris malo, nae tunc illum transfodere nefas esset. At ubi nulla alia, ut diximus, periculo defungendi via illi suppetat, vim vi procul dubio repellere et aggressorem occidere licet: id nimi-

(1) Haec meridiana luce clariora videntur, ut mirari subeat, magni nominis viros in contrariam abiisse sententiam; inter quos, aetate nostra, cl. Ahrens, cujus haec sunt verba: « Tuer un autre sciemment pour se conserver soi-même, pour quelque motif que ce soit, c'est violer un principe de morale » (*Cours de droit naturel*).

rum ratio ipsa docet, naturalis sui amor suadet, leges omnes permittunt, id omnia jura clamant (1).

209. Multiplicem tandem ac plenam innati juris, de quo hic agimus, laesionem complectitur *servitus* (schiavitù), utpote quae sola domini voluntate et arbitrio constituitur, quin ulla servi ipsius ratio habeatur (2); atque humanam personam, veluti rem meram considerat, qua dominus ad libidinem suam et tamquam ad suos fines instrumento, plane utitur.

Ex quo perspicuum est, servitutem, - personas rebus miscendo -, supremo morali principio « practicae recognitionis entis in ordine suo », directe adversari; sancta religionis praescripta despicere; omniaque, pene dixerim, humana jura pervertere. Merito igitur, multiplicem ac plenam juris proprietatis congenitae laesionem in servitute contineri diximus (3).

§ 3. — *De officio acquisita aliorum jura integra servandi.*

210. De juribus proprietatis acquisitae hic agimus. Verus porro atque essentialis proprietatis cujuscumque character in hoc est, ut res aliqua

(1) *Hoc et ratio doctis*, ait Tullius, *et necessitas barbaris, et mos gentibus, et feris natura ipsa praescripsit, ut omnem semper vim, quacumque ope possent, a corpore, a capite, a vita sua propulsarent* (Pro Milone).

(2) Servitus igitur distinguenda est a societate herili, de qua infra dicemus: ad hanc enim formandam, domini ac servi voluntas una concurrunt.

(3) « Se, scribit Rosminius, s'intende per ischiavitù l'uso che un uomo pretende di poter fare costantemente di un altro uomo come di un mero mezzo a' suoi fini, lo stato di schiavitù contiene molte azioni che non sono meno offensive della *proprietà* innata (natura), che

cum principio personali seu persona ita *connectatur*, ut haec in suos usus convertere illam possit.

Jamvero, praeter id quod proprietatem humanae personae congenitam constituit (V. n. 207), res alias complures haec sibi adjungere suasque *proprias* efficere potest, sicque proprietatis fines magis magisque producere. Quaecumque igitur nova proprietas, cum *interna* tum *externa*, personae adnectitur, novum jus, ab hac ipsa acquisitum, gignit.

211. Proprietas interna. Libertatis juridicae (V. n. 206), seu supremae agendi facultatis usu, habitus quosdam, - sive physicos, sive intellectuales et morales -, sibi comparat homo; quorum ope bonam famam et nominis existimationem apud alios adsequitur. Haec autem *interna* quaedam illius *proprietas* vere dicenda est, ad quam plenum jus habet; quamque propterea ceteri intactam et incolumem servare tenentur.

Hoc itaque jus laedunt, quotquot conviciis, contumeliis, probrosis verbis aut scriptis, praesertim vero calumnia, - quam verissime Beniaminus Constantius *morale latrocinium* appellat -, quemquam discindere ejusque famam atterere conatur (1): quod profecto bonum homini, in or-

della *libertà giuridica* innata (persona); anzi si può dire, ch'esso comprenda in sè virtualmente ogni possibile violazione di tutti affatto i diritti umani » (*Filosofia del diritto*).

(1) Hisce duplici ratione nomen et existimatio aliis eripitur: vel nempe occulta eorum vitia, absque ulla justa causa, sat improbe et invidiose, evulgando, quod est *infamare*; vel illos criminis alicujus insimulando, quod *calumniari* dicitur: utrumque homine plane indignum. Id nihilominus, proh pudor! usu fere obvium esse novimus; quod jam vel temporibus suis lamentabatur Cicero: *Nove hominem*, inquit, *invident, in conviviis rodunt, in circulis vellicant, maledico dente carpunt* (Pro L. Cornelio Balbo).

dine naturali, - ne ipsa quidem vita excepta -, omnium pretiosissimum est (1). Quamvis autem honos et fama, quae virtutem, multo pluris, quam quae ingenii praestantiam et doctrinam consequitur, facienda sit, pretio tamen haec suo minime caret; cujus proinde jacturam, non sine magno animi dolore ac molestia pati possumus (2).

212. Verum quidem est, neminem, ad bene et honeste agendum, ob id solum animum inducere oportere, ut nempe in ore vulgi versetur sibique laudem et honorem apud homines pariat: quid enim laude mutabilius atque incertius? praeterquamquod inique etiam saepenumero honores decernuntur (3). Verus autem honor ab germana hominis excellentia, idest virtute, ortum ducit; quare a modestia animique humilitate numquam sejungitur. Nihilotamen secius bonum nomen maximi aestimandum est; suam quisque famam attente et sollicite custodire ac sine labe tenere debet; atque, ubi calumniis lacessita fuerit, omnibus, quibus licet, modis tutari (4).

Si tamen, - quod non raro contingit -, obtre-

(1) *Melius est nomen bonum, quam divitiae multae*, uti legimus in *Proverbiis*. Cicero autem, in Oratione pro Publ. Quinctio: *Dum existimatio*, ait, *est integra, facile consolatur egestatem honestas*.

(2) Hancce animi sui aegritudinem hisce verbis effundit Galileus: « In estremo grado di dolore ci riduce colui, che dell'onore, della fama, della meritata gloria, bene non ereditato nè dalla sorte, nè dal caso, ma dai nostri studii, dalle nostre fatiche, dalle lunghe vigilie contribuitoci, con false imposture, con fraudolenti inganni, con temerarii usurpamenti ci spoglia ».

(3) Apte Alighierius in *Purgatorio*:

Non è il mondan romore altro ch'un fiato
Di vento, ch'or vien quinci ed or vien quindi,
E muta nome perchè muta lato.

(4) *Negligere*, ait Tullius, *quid de se quisque sentiat, non solum arrogantis est, sed etiam dissoluti* (De off.).

ctatoribus et calumniatoribus os obturare datum non sit, quid tum? Patienter injuriam nobis illatam ferre decet; ab ultione abstinere, neque unquam honoris, ut dicunt, reparandi causa, iniquas et inhonestas persequi vias (V. 163). Id probe teneamus, calumnias re magis et egregie factis, quam verbis atque ultrici manu obtundi. Platonem summum imitemur, qui, quum relatum illi fuisset, improbos quosdam calumnias in ipsum jecisse, respondit: « Sic vivam, ut, quod dictum est de me, fidem non habeat »; interim vero plenam in Deo spem atque fiduciam ponamus, qui unicuique, serius ocius, pro merito tribuit; satisque habeamus, nil nobis conscire, de maledicis et oblocutoribus parum solliciti (1).

213. Proprietas externa. Humana activitas haud in se tota circumscribitur et continetur; verum exterius etiam se prodere et explicare potest: hinc *proprietas externa*. Sed ut humana persona in res materiales externas jus acquirat, duplici quodam vinculo eas sibi adjungat, necesse est: vinculo nempe *physico* et *morali*. Vinculum physicum consistit in *effectiva* rei externae *occupatione*; vinculum morale in *occupatione juridica*: juridica porro tunc dicitur occupatio, quum rem quis occupat, quin jus alterius laedat, unaque

(1) *Mea mihi conscientia*, uti ad Atticum scribit Cicero, *pluris est, quam omnium sermo*; et in Disput. tuscul.: *Nullum*, inquit, *theatrum virtuti conscientia majus est*.

Pervulgatum est Ovidianum illud in Fastis: *Conscia mens recti, famae mendacia risit*.

Nemini autem non laude dignissima haec poterit videri, sub Cleanthis persona, Molierii sententia:

Contre la médisance il n'est pas de rempart.
A tous les sots caquets n'ayons donc nul égard;
Efforçons-nous de vivre avec toute innocence,
Et laissons aux causeurs une pleine licence.

rem illam sibi vere assumere atque adscribere, non ea obiter solum uti se velle, plane demonstrat.

Quod vero ad objectum proprietatis attinet, - ad res nimirum, quas quispiam potest sibi proprias efficere -, manifestum est, nonnisi res illas hujusmodi esse, quae aliquomodo possideri possunt. Hae autem res, *mobiles* vel *immobiles* dicuntur: prout de loco in locum incolumes transferri possunt, nec ne.

214. Jamvero, in statu naturae, res externae, antequam ab hominibus occuparentur, non quidem *omnium*, uti Hobbesius aliique opinantur, sed *nullius* erant: ad eas scilicet nemini jus pertinebat. Deus namque res, quas ad hominum omnium usus et utilitatem condidit, in *communione*, ut ajunt, *negativa* ipsis reliquit: in communione porro negativa ea dicuntur esse, quae, in nullius dominio posita, ita omnibus patent, ut nemo jus habeat, eorum usu alios excludendi (1). Unde fit, ut res, quae nullius erat, primo occupanti cedat, ejusque *propria* fiat (2). Huic enim quum procul dubio potestas insit actionem exerendi, qua sibi rem illam firmiter adnectat suique partem quodammodo efficiat, jam sequitur, rem simpliciter occupando, plenum in ipsam jus adipisci.

(1) Huc referuntur quae de aurea mundi aetate, - quum nempe determinatae proprietates nondum existerent -, cecinerunt poëtae; inter quos Virgilius in *Georgicis:*

Ante Jovem nulli subigebant arva coloni.
Nec signare quidem, aut partiri limite campum
Fas erat: in medium quaerebant, ipsaque tellus
Omnia liberius, nullo poscente, ferebat.

(2) *Sunt privata nulla natura*, inquit Cicero, *sed aut veteri occupatione, ut qui quondam in vacua venerunt; aut etc.... Ex quo, quia suum cujusque fit eorum, quae natura fuerant communia, quod cuique obtigit, is quisque teneat* (De off.).

Juris igitur proprietatis externae *origo* in rei occupatione ponenda est, quae utpote actus quidam considerari potest, quo homo Dei imperio se subjicit ac paret, qui terrena bona, ut diximus, ad generis humani conservationem et utilitatem constituit. Hujusmodi autem occupationem eo aequiorem tum fuisse patet, quod, - maxima cum esset in humani generis primordiis, prae hominum numero, rerum copia -, qui telluris partem aliquam sibi adsisceret, nullum ceteris detrimentum afferret: his namque satis adhuc superque bonorum ad proprios usus supererat.

215. Itaque, ante rerum occupationem, perfecta, quod ad ipsas, inter homines erat aequalitas; quae exinde, post occupationem, esse desiit. Siquidem rei cujuspiam occupationis actus, - quippe qui providum ac solertem hominem proderet -, dignus erat profecto, qui jus praelationis in rem ipsam obtineret.

Ad haec, ratio habenda est laboris et operae, quam homo, in rem a se primitus occupatam postmodum insumpsit. Sterilis namque, ni apte exerceatur, est tellus, vel paucos tantum eosque deteriores fructus gignit: *Neglectis urenda silix innascitur agris*, ut ait Horatius (*Sat.*). Quum igitur tellus, hominis industria et labore, longe melior evaserit, pretiumque adepta sit, quo antea prorsus carebat, aequissimum videbatur, ut haec ad illum pertineret, qui in id laborem et operam suam contulisset; sicque magis magisque in rem occupatam jus illius confirmaretur (1).

(1) Haec adeo perspicua sunt, ut non defuerint, qui in labore ipso, proprietatis fundamentum ponerent. Sed perperam; ut enim terrae solum tractetur et labore colatur, possideri prius atque occupari de-

216. Ex his omnibus plane colligitur, vix dum rem, quae nullius erat, quis sibi eo animo assumsit, ut suam propriam faceret et ad suos usus conferret, plenum in eam dominium et jus consecutum illum fuisse; hoc autem omnimode tueri ac defendere, et, ubi a quopiam laesum fuerit, damna sibi illata ab eo reposcere posse : quod *jus coactionis* dicitur (1).

Occupatio igitur est modus originarius vel *primitivus*, quo quis proprietatem externam, idest jus seu dominium in res externas acquirit (V. n. 202): quacumque demum ratione se res illas velle sui juris facere ac possidere demonstret (2).

---

bet. Quum itaque laborem necessario praecedat occupatio, ab hac, nequaquam vero ab illo, jus proprietatis ab initio proficisci dicendum est. In rem cl. A. Thiers: « Pour travailler il faut commencer par se saisir de la matière de son travail, c'est-a-dire de la terre, matière indispensable du travail agricole, ce qui fait que l'occupation doit être le premier acte par lequel commence la propriété, et le travail le second » (*De la propriété*).

(1) Ita nimirum semper et ubique gentium factitatum novimus: ad id quippe, naturae quodam impulsu, homo ducitur. Ne pigeat eximium historicum A. Thiers, quem jam saepius honoris causa nominavimus, iterum audire: « Chez tous les peuples, quelque grossiers qu'ils soient, on trouve donc la propriété, comme un fait d'abord, et puis comme une idée, idée plus ou moins claire suivant le degré de civilisation auquel ils sont parvenus, mais toujours invariablement arrêtée. Ainsi le sauvage chasseur a du moins la propriété de son arc, de ses flèches, et du gibier qu'il a tué. Le nomade qui est pasteur, a du moins la propriété de ses tentes, de ses troupeaux. Il n'a pas encore admis celle de la terre, parce qu'il n'a pas encore jugé à propos d'y appliquer ses efforts. Mais l'Arabe qui a élevé de nombreux troupeaux, entend bien en être le propriétaire, et vient en échanger les produits contre le blé qu'un autre Arabe, déja fixé sur le sol, a fait naître ailleurs » (*De la propriété*).

(2) Quae de jure proprietatis externae breviter exposuimus, plus satis, nostrâ quidem sententiâ, sunt ad omnia *Communistarum* figmenta et sophismata expungenda: hoc quippe nomine donantur, qui cuncta, quae hisce in terris sunt, omnibus *communia* esse contendunt, omnesque indiscriminatim his uti posse, nec cuiquam ab illorum usu alios detrudere licere. Hinc *proprietatem* omnem de medio tollunt, quam utpote usurpationem quamdam habent, vel, cum Proudhono, *furtum* appellant (*la propriété c'est le vol*). At his *Communismi* ineptiis et deliramentis diutius immorari, pudendum sane quidem est.

217. Ad modos nunc transeamus, acquirendae proprietatis *derivativos*: quibus videlicet proprietas, jam constituta, ab uno ad alterum transmittitur (1).

Qua de re animadvertendum est, ut acquisitiones hujuscemodi validae ac legitimae sint, duo inter se consentientia, necessario requiri : idest voluntatem proprietarii, qui jus suum transfert; atque illius voluntatem ad quem transfertur, qui illud accipit et admittit. Utraque autem haec voluntas clare innotescat, necesse est; quare aptis et congruentibus signis: verbis, ex. gr., scriptis, rei ipsius traditione et similibus, utrinque manifestari debet.

218. Acquisitio derivativa, seu proprietatis translatio, duplici modo fieri potest: vel nempe actibus, ut dicunt, *inter vivos;* vel actibus, qui nonnisi *post mortem* effectum suum gignunt.

Prior ille modus, cujuscumque generis *contractus* complectitur. Ad alterum autem pertinent *testamentum*, et *successiones*, quas vocant *ab intestato*. Quibus tertia quaedam juris acquirendi ratio adjungi potest, nimirum *praescriptio* (2).

---

(1) Jus porro inesse domino, de re sua, uti libet, disponendi (ni fortasse lex vel conventio aliqua obstet), proindeque rei dominium a se in alium transferendi, nemo profecto inficias iverit: jus enim hujusmodi, ab ipso proprietatis jure legitimo ac necessario fluere manifestum est.

(2) *Contractus* nomine venit mutuus duorum vel plurium in idem placitum consensus, de re aliqua danda, facienda, vel non facienda, libere hinc inde praestitus et signo aliquo externo manifestatus (V. n. 217). Totidem autem contractuum genera sunt *permutatio, venditio, depositum, mandatum, mutuum, donatio* etc.

Testamentum, - sive ultimae hominis voluntatis manifestatio -, est actus, naturâ suâ revocabilis, quo proprietarius declarat, cui bona sua tradit, et ad quem vult, se mortuo, tamquam ad dominum, perveniant:

Praescriptio, vel *usucapio*, est modus acquirendi jus aliquod, aut

219. Rerum dominio rite acquisito, jam aliorum officia erga dominum oriuntur. Tria porro jura dominium continet: jus scilicet de re, cujus dominium quis habet, prout libet, *disponendi;* eam *possidendi;* necnon *vindicandi:* quibus totidem respondent officia.

Primo igitur, quum domino liberam rerum suarum dispositionem jus naturae concedat, qui eam impedit, obstat nimirum, ne dominus rebus suis pro arbitrio uti, omnemque ex eis utilitatem et fructum percipere possit, nae illi injuriosus est contraque officium suum agit.

Alterum officium est, ut dominum tranquille rem suam possidere sinamus, neque ullomodo de ea deturbemus. Multifariam autem deturbari potest: vel aperta vi seu rapina, vel clandestina rei subductione, vel fraude, - utpuța deceptione in contractibus, in emptione, venditione, etc. -; brevi, *furto* (quo nomine omnes generatim complectimur actiones, quibus cujuspiam jus circa res laeditur) id est ablatione rei alienae, invito rationabiliter domino (1).

Postremo, quoniam dominus rem suam vindicandi jus habet, si haec ad alienum, haud legitimum, possessorem pervenerit, hic profecto domino

sese aliqua obligatione eximendi, certo elapso temporis spatio et sub conditionibus a lege praestitutis. — Sed non plura: hos enim omnes, quos obiter tantum innuimus, juris acquirendi modos opportunius ac singillatim explanat *Codex civilis*, cui lectorem libenter committimus.

(1) Diximus *invito rationabiliter domino:* nam, in extrema necessitate, - si cui nempe, deficientibus alimentis, fame pereundum esset -, tunc illi profecto, ubi alia nulla suppetat via, res alienas surripere sicque vitae suae prospicere fas est, invito etiam, - haud sane rationabiliter -, domino; dummodo tamen, de rebus alienis tantum, neque plus, auferat sibique assumat, quantum praesens egestas et necessitas postulat: perinde atque dictum est de moderamine inculpatae tutelae, erga injustum aggressorem adhibendo (V. n. 208).

suo illam restituere tenetur; quod si libenti animo non faciat, ad eam reddendam vi etiam adigi et obligari potest.

§ 4. — *De officio damna, inique alicui illata, reparandi.*

220. Officium aliena jura illaesa atque intacta servandi, hoc aliud manifesto sequitur, officium nempe, vi cujus, qui alienum jus laeserit, damna illata reparare debet.

Homo porro, plus minusve graviter, ut vidimus, laedi potest in *animo*, *corpore*, *existimatione*, *fortunae bonis* etc.; hinc obligatio, qua unusquisque obstringitur, damna quaecumque penitus resarciendi, quorum voluntaria fuit causa, rem quoad ejus fieri possit, in integrum restituendo. Ad quod illos in primis advertere opus est, qui plagis, vulneribus, membrorum mutilatione, caede praesertim, grave alicui, - et pluribus saepissime uno crimine -, detrimentum intulerunt.

221. Quod autem ad illos spectat, qui rem alienam penes se quomodocumque esse compertum habent, ne differant domino suo, uti jam supra monuimus, restituere, tametsi se illa spoliando, de statu suo casuri sunt; prae oculis pervulgatum illud habentes: *Non remittitur peccatum*, *nisi restituatur ablatum* (1); omniaque insuper, quae

(1) Quamquam, - uti quotidiana constat experientia, ac notatu dignissimum arbitror -, multo facilius est ab re aliena se abstinere, quam furto ablatam restituere; quod jam vel suo tempore animadverterat Seneca: *In hac*, inquit, *aviditate generis humani, nae tu nimis fortunae communis oblitus es, si quaeris inter rapientes referentem* (De benef.).

inde fortasse manarunt, damna supplere. Id generatim lex naturae praescribit.

Quaerenti porro, qua via et ratione, in hoc officio adimplendo, procedendum sit, respondemus: Si quis solus causa fuerit damni, totum illi reparandum est. Ubi plures, citra conspirationem, in alterius detrimentum sponte operam impenderint, quam quisque damni partem intulit, hanc compensare debet. Quod si plures simul eodem conspiraverint, tunc omnes pro singulis et singuli pro omnibus tenentur; adeo ut ni singuli damna pro rata reparaverint, atque unus, par damna praestando supersit, huic uni totum damnum rependendi debitum maneat. Qui denique imperio, metu aut vi, ad damnum alteri importandum alios adegit, is omnium primus tenetur; deinde qui facinus executus est; tum alii porro, qui in idem quidpiam contulerunt: ita tamen, ut, si a prioribus damnum reparatum sit, posteriores praestare illud non debeant. Ad pleniorem nihilominus rei explicationem, moralis disciplinae doctores consulantur, qui uberius hanc materiam pertractant.

222. Sed gravius profecto sibi facessunt negotium, qui aliorum nomini officiunt eorumque famam laedunt; qui sermone, scriptis, malo exemplo, adolescentium praesertim mentem pervertunt moresque corrumpunt; qui pravis, impiis et insidiosis doctrinis incautos circumveniunt, atque a veritate, a virtute, a Religione abducunt; indeque dulcissimam animi pacem et securitatem, crudelissimo ausu, illis eripiunt. Omnia namque mala haec et damna gravissima tenetur reparare qui dedit, maxime vero inustam cujuspiam famae labem quibuscumque modis abstergere, etiamsi durum proprioque amori reluctans videri id possit, atque illi, flagitia sua in aspectum lucemque proferendo, in dedecora fortasse incurrendum sit: illud namque hic etiam valet, quod paullo ante innuimus: *Non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum.*

Art. 2. — *De officiis benevolentiae.*

223. Officiis, de quibus in art. praecedente sermonem habuimus, verum jus in caeteris hominibus respondens inest. Homines porro ad id tantum jus habent, ut in iis, quae ad ipsos vere pertinent, bonis minime laedantur: hoc autem, jus coactionis et damni forte illati reparationem exigendi una complectitur.

Hominum igitur jura officiis negativis (V. n. 194), vel, uti etiam vocant, *perfectis*, unice respondent.

224. Sed et alia praeterea sunt officia, quibus nullum in ceteris hominibus respondet jus; cujusmodi sunt officia positiva (V. n. 194), quaeque *imperfectà* appellari etiam solent: amor proximi, ex. gr. (V. n. 199), quem nemo jure sibi arrogare potest (1).

Illa, quibus jura respondent, officia juridica vel justitiae nominavimus; cetera (quae mere e-

(1) Haec officiorum in perfecta et imperfecta distinctio, maximi momenti est; ex eorum autem confusione, gravissimi et perquam societati exitiales errores dimanant. Exemplo sint improbae atque insidiosae *Socialistarum* doctrinae (inter quas praesertim *jus*, ut dicunt, *ad laborem*), quae aetate nostra, in Gallia potissimum, grassatae sunt. Hujuscemodi jus docte ac strenue, more suo, insectatus est Adolphus Thiers, in suo « *Discours sur le droit au travail*, prononcé à l'Assemblée nationale, le 13 septembre 1848 ».

thica sive moralia sunt) dicuntur officia caritatis vel *benevolentiae;* quo nomine intelligitur « virtus, quae humanam voluntatem ad alios debito amore prosequendos eorumque bonum promovendum inclinat ». Quod si consideretur, quatenus externis actibus se profert, *beneficentia* nuncupatur.

225. Animadvertendum tamen est, officia imperfecta, quae generali, ut diximus (n. 194), hoc principio continentur: *Alteri fac, quod tibi rationaliter factum velles,* non secus atque perfecta, - quamvis ad ea non strictum jus cogat, sed ratio tantum humanitatis et caritatis impellat -, obligatoria esse, et naturae lege praescripta (1). Supremum namque morale principium nos jubet, ens practice in ordine suo recognoscere: quod ille profecto nequaquam exsequitur, qui, contentus alios non laedere, amore insuper ac benevolentia illos prosequi et juvare negligat; *quantillum est*, ait Seneca, *alterum non laedere, cui prodesse debeas?* Brevi: sat hominem non est esse *justum;* humanum praeterea atque *beneficum* esse oportet (2).

226. Duplici porro ratione ceteris praesto esse

---

(1) Hinc beneficentiam ab justitia sejungi negat Cicero; qui eas uti binas virtutis ejusdem partes considerat: *Justitia*, ait, *in qua virtutis splendor est maximus, ex qua boni viri nominantur; et huic conjuncta beneficentia, quam eamdem vel benignitatem, vel liberalitatem appellare licet* (De off.).

(2) Optime in rem Julius Simonus: « Si nous écoutons le maître intérieur, il nous reproche également l'égoïsme qui nous porte à faire du mal, et celui qui nous empêche de faire le bien. Si nous pensons à Dieu, nous comprenons qu'il exige de nous, puisqu'il nous a faits libres, un concours actif et efficace. Si nous regardons l'ordre du monde et l'ensemble de notre destinée, nous sentons que nous n'avons pas été mis ici-bas pour être à la terre un inutile fardeau; que s'enfermer contre les autres êtres dans une espèce de neutralité armée, c'est sortir du concert de l'univers, et condamner au néant des facultés qui nous ont été données pour aimer, pour penser, pour agir » (*Le Devoir*).

possumus: vel per officia *innoxiae*, ut vocant, *utilitatis*, alios videlicet, nullo nostro detrimento, juvando (1); vel per officia *utilitatis onerosae*, quod fit, quum nostro, plus minusve gravi, incommodo, aliorum commodis servimus. Utraque autem haec officia in alios exsequenda esse, ex dictis patet: ita tamen, ut, qui ab his postremis se abstinet, durus quidem et illiberalis habeatur; at qui illa etiam neget, extra omnem prorsus humanitatem projectus dicendus sit (2).

227. Hisce praemissis, benevolentiae officia, quibus erga alios obstringimur, ea ferme sunt, quibus erga nosmetipsos tenemur, juxta Christi praeceptum, *Diliges proximum tuum, sicut teipsum* (V. n. 126): nam bonum, quod nobis recte comparamus, boni aliis faciendi exemplar esse debet. Haec igitur ad officia conservationis et perfectionis revocantur (V. n. 151): illa *corpus*, haec vero *animum* praesertim respiciunt.

Quod ad priora spectat, manifestum est, pro se quemque, ubi res postulet, teneri proximum suum contra injustum aggressorem defendere (3); in

---

(1) Hujus generis officium, Ennio innuente, praestat *Homo, qui erranti comiter monstrat viam.* Quem locum explicans Tullius: *Una ex re*, ait, *satis praecipit, ut, quidquid sine detrimento possit commodari, id tribuatur vel ignoto. Ex quo sunt illa communia, Non prohibere aquam profluentem; Pati ab igne ignem capere, si quis velit; Consilium fidele deliberanti dare: quae sunt iis utilia, qui accipiunt, danti non molesta* (De off.).

(2) Quod merito, apud Virgilium, ita conqueritur Ilioneus (*Aeneid.*):

Quod genus hoc hominum, quaere hunc tam barbara morem
Permittit patria? hospitio prohibemur arenae;
Bella cient, primaque vetant consistere terra.

(3) Si Tullio credimus, qui alterius defensionem suscipere recusat, non immisericors tantum (V. n. 99, *nota* 3), sed injustitiam patrare dicendus est. *Injustitiae*, ait ipse, *genera duo sunt: unum eorum, qui inferunt; alterum eorum, qui ab iis, quibus infertur, si possunt, non propulsant injuriam. Nam qui injuste impetum in quempiam facit, aut ira, aut aliqua perturbatione incitatus, is quasi manus afferre videtur socio; qui*

periculis constituto praesto esse, in necessitatibus illi opitulari; et, quibus opus est, stipem conferre, idest subvenire *eleemosyna*. Quae, licet arctiori sensu nonnisi largitionem significet, quae pauperi et egenti fit, latius tamen accepta, haec, ex S. Augustino, officia complectitur: Dare esurienti cibum, sitienti potum, nudo vestitum, peregrinanti hospitium, fugienti latibulum, aegroto vel incluso visitationem, captivo redemptionem, debili subvectionem, caeco deductionem, non sano medelam, erranti viam, et, quod cuique necessarium est, indigenti.

Contra hoc igitur officium peccant *avari*, qui divitiis faciendis unice intenti, surdas egentibus praebent aures. Peccat *prodigus* (V. n. 176), qui opes ac possessiones, a majoribus suis fortasse relictas, quaeque ad multorum calamitates sublevandas conferre possent, disperdit ac dissipat, ut suis cupiditatibus indulgeat. Prae ceteris autem peccat *egoista*, qui, de aliis ne minimum quidem sollicitus, sibi soli vivit, omniaque ad utilitatem suam refert. Qui enim hoc vitio (egoismo) laborat, omnem hominum curam, quaestus expertem, plane abjicit; neque secus ac mera propriae voluptatis, opum atque commodorum suorum instrumenta, ceteros diligit. Atqui miserrima prorsus, ut hic obiter dicam, egoistarum est vita. Quum enim homo ad societatem sit factus, tunc vera mehercule voluptate perfunditur, quum alios adjumento juvare illi datum est, sive malorum amotione aut imminutione,

---

autem non defendit, nec obsistit, si potest, injuriae, tam est in vitio, quam si parentes, aut patriam, aut socios deserat (De off.).

sive amplificatione bonorum. Quam enimvero jucundum est homini (testes sint qui, vitiis nequaquam corrupti, ad naturam vivunt) similem sui felicem reddere (1)!

228. Sed quum corpore longe animus praestet, ad hunc excolendum et perficiendum praesertim laborandum est; animus porro veritate ac virtute perficitur.

Qui itaque perfecta et christiana caritate proximum suum diligit, ad veritatis amorem, quoad suppetunt vires, illius animum informare debet, atque utilibus cognitionibus imbuere circa ea, quae maxime illius intersunt; ad omne officii munus illum instruere, et, ubi opus sit, in vitae ratione deligenda, illi praesto esse: hinc opportunis consiliis adjuvare, dubitatione aestuantem sedare, illius menti lumen praebere, ab eaque errores ac praejudicia depellere.

Quod tamen ad hoc officium, veritatem aliis patefaciendi, attinet, meminisse juvat quae jam alias animadvertimus (n. 204): probe nimirum, antequam vocem mittas, considerandum, quid ceteris aperire deceat, quid non; quando loqui, et quando tacere oporteat (2).

---

(1) Rem plane confirmat Seneca in *Epistola* ad Lucilium XLVIII: *Nec potest quisquam*, ait, *beate degere, qui se tantum intuetur, qui omnia ad utilitates suas convertit: alteri vivas oportet, si vis tibi vivere.*

(2) *Omnia tempus habent*, uti habet Ecclesiastes, *tempus tacendi, et tempus loquendi*. Ecclesiasticus autem: *In ore fatuorum cor illorum; et in corde sapientium os illorum.* Item Seneca: *Qui nescit tacere, nescit loqui* (De morib.).

Qua de re hanc, cum Rosminio, regulam proponimus: « Una verità, la quale tende evidentemente al bene d'un individuo o della società, non può esser taciuta senza delitto; e qualunque verità, la quale può nuocere a qualche membro della società, senza che a questa ne torni vantaggio nessuno, fa mestieri, non già sostituirla colla menzogna, ma tenerla prudentemente celata ». Cui consentit Giobertius,

229. Alterum, idque gravius, erga nostri similes caritatis officium in eo est, ut illos ad virtutis amorem, tum verbis tum praesertim exemplo, excitemus; justitiae, bonae fidei, humanitatis sensus in eorum animos infundamus; a fraude, mendacio, exitiosis oblectamentis, ludo, otio absterreamus; eorum vitia emendare, eosque ad frugem corrigere studeamus: modo tamen id comiter fiat, atque hinc odium, malevolentia, insolentia, despectus, inurbanitas absit omnino (V. n. 148).

Legis itaque moralis praescripta violant atque officio suo desunt, qui proximum suum, necessitatibus pressum, nihili faciunt ac negligunt, - sive ob quamdam affectionum vacuitatem aut socordiam, sive ob animi pusillanimitatem id fiat, sive ut, quieti et tranquillitati nimium indulgentes, omnem a se sollicitudinem et anxietatem abjiciant, neque placidissimis suis somnis importune deturbentur. At majore etiam se commaculant culpa *assentatores;* qui inanis gloriae cupidis perfide insidiantur: qui scilicet, ad eorum gratiam aucupandam et quaestum inde faciendum, iis callide blandiuntur, atque, Terentiani Gnatonis ad instar, ultro arrident, eorumque ingenia admirantur simul. Quidquid illi dicunt, laudant; id rursum si negant, laudant id quoque; omnia brevi assentantur. Quid porro putidius et homine indignius hoc est? Unde merito Corn. Tacitus *pessimum inimicorum genus laudantes* appellat. Siquidem *adulatio* judicandi facultatem corrumpit, animum transversum agit, veritate abalienat, atque a sapientissimo illo *Nosce te ipsum*, quod profecto in primis hominis interest, omnino abducit (1).

ubi ait: « Ogniqualvolta la manifestazione del vero non torna opportuna, il simulare (rectius fortasse *dissimulare*) è, non che lecito, prescritto e degno di lode » (*Del Buono*).

230. De beneficentia generatim diximus. Sed ut haec finem suum plane assequatur, caute ac prudenter, - personarum scilicet, temporum aliorumque adjunctorum, habita ratione -, adhibenda est: *habet multas cautiones*, uti ait Cicero.

Operae itaque pretium erit, hasce breviter attingere. Quibus nonnulla, de binis maximi momenti officiis, quae ad benevolentiam proxime accedunt: de officiis nempe grati animi et amicitiae, addenda putamus.

§ 1. — *De cautionibus, in exercenda beneficentia, adhibendis.*

231. Beneficentiam in primis *gratuitam* esse oportet: beneficium videlicet aliis conferre debemus, nulla mercedis, lucri, aut laudis spe ducti, ni inter mercenarios et leves homines, potiusquam beneficos, adnumerari velimus (2).

232. 2° Beneficentia *prudens* esse debet: in beneficiis nimirum solvendis, ad ea habenda est ratio, quae inde sint consequutura. Quapropter inconsulto atque imprudenter ageret, qui magis elargiretur, quam quod vires ferant (3); vel be-

(1) Quare optime monet Cicero: *Cavendum est, ne assentatoribus patefaciamus aures, nec adulari nos sinamus. In quo falli facile est: tales enim nos esse putamus, ut jure laudemur* (De off.).

(2) *Videre etiam licet plerosque,* ait Cicero, *non tam natura liberales quam quadam gloria ductos, ut benefici videantur, facere multa, quae proficisci ab ostentatione magis, quam a voluntate videantur. Talis autem simulatio vanitati est conjunctior, quam aut liberalitati aut honestati* (De off.).

(3) *Videndum....., ne major benignitas sit, quam facultates* (Cic.). Item Seneca: *Dabo egenti, sed ut ipse non egeam* (De benef.).

neficium iis redderet, quos eodem abusuros esse certo licet conjicere (1).

233. 3° Demum beneficentia apte composita et *ordinata* sit: majus scilicet bonum prae oculis habendum, si omnibus, qui egent, opem ferre non possumus (2). Ordo porro, in beneficio collocando, requirit in primis, ut ad digniores respectus habeatur (3). Ubi autem conditione sint pares, indigentiores praeferendi sunt (4). Postremo, si pares sint conditio et necessitates, illos praeponamus qui propinquitatibus affinitatibusque, patria, amicitia etc., sunt nobis conjunctiores; eorum insuper numerum consideremus, qui opem a nobis expectant: hinc communitati aut familiae singuli homines posthabeantur (5).

---

(1) *Qui gratificantur cuipiam quod obsit illi, cui prodesse velle videantur, non benefici, neque liberales, sed perniciosi assentatores judicandi sunt* (Cic.). Ennius autem, ut idem refert Cicero, benefacta male locata, malefacta arbitratur.

(2) *Multi contra,* inquit Cicero, *faciunt multa temeritate quadam, sine judicio vel modo; in omnes repentino vel quodam, quasi vento, impetu animi incitati: quae beneficia aeque magna non sunt habenda, atque ea, quae judicio, considerate constanterque delata sunt.*

(3) *Tertium est propositum, ut in beneficentia delectus esset dignitatis: in quo et mores ejus erunt spectandi, in quem beneficium conferetur, et animus erga nos, et communitas ac societas vitae, et ad nostras utilitates officia ante collata* (Cic.).

(4) « Sed in collocando beneficio, si caetera paria sint, hoc maximi « officii est, ut quisque maxime opis indigeat, ita ei potissimum opi« tulari: quod contra fit a plerisque. A quo enim plurimum spe« rant, etiamsi is non eget, tamen ei potissimum inserviunt » (*Cic.*). Et rursus: « Sed in omnibus officiis tribuendis videndum erit, quid « cuique maxime necesse sit, et quid quisque vel sine nobis aut « possit consequi, aut non possit. Ita non iidem erunt necessitudi« num gradus, qui temporum; suntque officia quae aliis magis, « quam aliis debeantur ».

(5) « Si contentio quaedam et comparatio fiat, quibus plurimum « tribuendum sit officii, principes sunt patria et parentes, quorum « beneficiis maximis obligati sumus; proximi liberi, totaque domus, « quae spectat in nos solos, neque aliud ullum potest habere per« fugium; deinceps bene convenientes propinqui, quibus communis « etiam plerumque fortuna est » (*Cic.*).

234. Paullo ante animadvertimus, in beneficiis deferendis, digniores anteponendos esse: *anteponendos*, inquam, minime vero ipsos solos ad beneficia admittendos, minus dignis omnino exclusis; nemo enim est, utut nequam et improbus, quin officiorum nostrorum particeps esse debeat; id autem, si non meritis illius quem auxilio adjuvamus, certe naturae debetur: nam et ipse homo est. Videndum tamen, uti jam supra monuimus, ne beneficia huic hominum generi conlata in nostrum aliorumve detrimentum vertant, neque hi fortasse ad nova facinora patranda inde ansam arripiant.

At ultra progredimur atque affirmamus, ne inimicos quidem ipsos excipiendos, in eosque caritatis officia praestanda etiam esse. Arduum mehercule, haud inficiamur, et difficile opus hoc est; sed ad ardua nati sumus, nilque difficile volenti, christiano praesertim (V. n. 165); cui, tamquam exemplar ad imitandum, propositus est Christus. Qui, non verbis tantum (1), verum re ipsa et factis, injurias dimittendas, quin et inimicos ipsos diligendos iisque benefaciendum esse docuit: cruci enim affixus, - supplicia quibus torquebatur nihili pendens, non sui sed carnificum suorum unice memor -, ad Deum conversus, jamque animam exspirans: *Pater*, inquit, *ignosce illis*.

---

(1) *Audistis*, ita discipulos suos, in *Evangelio* secundum Matthaeum, alloquitur, *quia dictum est: diliges proximum tuum, et odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico vobis: diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, et orate pro persequentibus et calumniantibus vos.*

§ 2. — *De grati animi officio.*

235. Eadem naturae vox, quae homini cuilibet in sui similes benevolentiae sensum inspirat, grati animi officium erga illum praecipit, a quo beneficium accepit: id enimvero constanter in iis deprehendimus, qui secundum naturam vivunt.

Gratus animus est studium quoddam jucundum ac perpetuum accepta beneficia agnoscendi et pro merito aestimandi, eorum datorem singulari amore amplectendi eique grata quaeque et utilia liberaliter praestandi. Gravissimum sane sacrumque officium! quemadmodum jam alias innuimus, quum de hominis officiis erga Deum sermo esset (n. 137). Neminem quidem ob id solum beneficum esse decet, ut sibi gratiae referantur atque habeantur, sed gratis penitus ab eo beneficia conferenda sunt (V. n. 231), omni quodammodo illorum recordatione dimissa: *beneficia non debet commemorare qui contulit* (Cic. *De amic.*) ; at, qui accepit, ea perpetuo meminisse debet (1).

236. Quae cum ita sint, jam patet, quam turpe ac foedum ingrati animi sit vitium ; et cur omnes illud (quod recte Cicero *crimen* appellat) horreant atque exsecrentur (2). Nil attamen, proh pudor! ingrato animo communius, pene dixerim, atque usitatius ; et jamdiu inter veteres hoc in proverbium cessit: « Nil tam cito obsolescit, quam beneficium » (1). Quod si tantae animi perversitatis causas inquiris, hae ferme sunt: Indoles nativa, quam ad rectum conformare neglexit educator, vel fortasse etiam verbis exemploque suo corrupit ; inveterata malitia, superbia, interdum et singularis invidia. *Torquet*, ait Seneca, *ingratus se et macerat; odit, quae accepit, quia redditurus est, et extenuat.*

(1) *Alter*, ait Seneca, *statim oblivisci debet dati, alter accepti nunquam* (De benef.).

(2) *Omnes immemorem beneficii oderunt* (Cic. *De off.*).— *Scio*, inquit Seneca, *esse homicidas, tyrannos, fures, adulteros, raptores, sacrilegos, proditores; infra ista omnia ingratum esse: nisi quod omnia ista ab ingrato animo sunt, sine quo vix ullum magnum facinus occurrit. Scio maledicta omnia me dicere, quum ingratum dico* (De benef.).

Huic igitur vitio ut occurramus, vel a prima aetate adsuefaciendi sunt pueri (*adeo in teneris consuescere multum est*, uti monet Virgilius), a quibus beneficia acceperunt, - Ecclesiam, patriam, parentes, magistros, ceteros -, benevole recognoscere, eisque, si fieri potest, paria paribus respondere ; bene autem de se meritum, non uti creditorem simpliciter, sed tamquam hominem sui amantem, dignumque vicissim qui ametur, considerare (2).

237. Ingratos diximus, - quacumque demum ratione pravum animum suum patefaciant (3) - ; omnibus exsecrandos et exosos esse. Quid tum? anne, ob metum in ingratos offendendi, a largiendis beneficiis, a liberalitate, caritate, miseratione erga proximum nobis abstinendum est? Haud ita sane praeclaros ac memoria dignos vi-

(1) *Memoria beneficiorum fragilis, injuriarum tenax:* inquit Seneca (*De provid.*).

(2) Nulla profecto nobilior est aemulatio, quam eorum, qui beneficiis dandis et reddendis se mutuo vincere certant, et secum muneribus contendunt. Quapropter, uti Valerius Maximus animadvertit, *dandi et accipiendi beneficii commercium, sine quo vix vita hominum extat, perdit et tollit quisquis benemerito parem referre gratiam negliget.*

(3) *Ingratus est*, ait Seneca, *qui beneficium accepisse se negat, quod accepit; ingratus, qui dissimulat; ingratus, qui non reddit; ingratissimus omnium, qui oblitus est* (De benef.).

ros usos fuisse accepimus. Ingratam patriam experti sunt Aristides, Cimon, Phocion; neque ideo studiose deinceps ac liberaliter illi servire, vix dum fuit occasio, abnuerunt.

Bona itaque etiam ingratis tribuenda sunt; quod si vices hi minime rependunt et mala fortasse pro bonis reddunt, ipsi viderint: nos bene egisse, nostroque fuisse functos officio, nobis sat sit. Praeterquamquod fieri etiam potest, ut ingratum aliquando sui pudeat et resipiscat, seque ad bonam frugem recipiat (1).

§ 3. — *De officiis amicitiae.*

238. Quamvis homines, ad se invicem diligendos naturâ omnes ducantur, interdum nihilominus benevolentiam in quosdam speciatim contrahimus; quam deinceps tempore, et continua officiorum vicissitudine confirmamus. Ex mutuo hoc amore quoddam quasi animorum connubium exsistit, quod amicitia nominatur.

Est igitur *amicitia* summus mutuae benevolentiae ac fiduciae gradus, qui inter duos, ex moralis characteris similitudine et consensione, diuturnaque officiorum, utilitatum atque periculorum communione oritur (2). Hinc vera amicitia nonnisi

(1) « Quereris, ita *Epistolam* LXXXI ad Lucilium suum exorditur Seneca, incidisse te in hominem ingratum. Si hoc nunc primum, age aut fortunae, aut diligentiae tuae gratias. Sed nihil facere hoc loco diligentia potest, nisi te malignum; nam si hoc periculum vitare volueris, non dabis beneficia: ita, ne apud alium pereant, apud te peribunt. Non respondeant potius, quam non dentur: et post malam segetem serendum est. Saepe quidquid perierat assidua infelicis soli sterilitate, unius anni restituit ubertas. Est tanti, ut gratum invenias, experiri et ingratos ».

(2) Ciceroni amicitia est *nihil aliud nisi omnium divinarum humanarumque rerum cum benevolentia et caritate summa consensio* (De amicitia).

inter bonos esse potest. Quae contra, malefaciendi causa constituitur, factionis, conjurationis, conventiculi, ... nequaquam vero proprium amicitiae nomen meretur. Quî enim se amare invicem possunt, qui se mutuo despectos habent? (1). Unde etiam liquet, germanam amicitiam in bonis vitae praecipuis habendam esse; qua imo, si Ciceroni credas, nil melius, excepta sapientia, homini a diis immortalibus datum (2). Profecto: *quid dulcius*, ut idem ait Tullius, *quam habere quocum omnia audeas sic loqui ut tecum?* (3).

239. Ex his facile intelligitur, quaenam verae amicitiae sint dotes: Amicitia nimirum fida, certa, constans, veritatem ab amico audiendi eique vicissim patefaciendi cupida, virtutis conciliatrix expultrixque vitiorum esse debet (4).

Haec itaque, inter amicorum officia, potissima sunt: Sibi mutuo animum fidenter aperire; per-

(1) Hanc constanter doctrinam propugnat Cicero, cum in caeteris, tum praesertim in aureo illo libro, quem *De amicitia* inscripsit; ubi notatu dignissima haec habet: *Qui in virtute summum bonum ponunt, praeclare illi quidem; sed haec ipsa virtus amicitiam et gignit et continet; nec sine virtute amicitia esse ullo pacto potest.*

(2) Eximia haec verae ac fidae amicitiae praeconia tribuit Ecclesiasticus: *Amicus fidelis protectio fortis; qui autem invenit illum, invenit thesaurum. Amico fideli nulla est comparatio, et non est digna ponderatio auri et argenti contra bonitatem fidei illius. Amicus fidelis medicamentum vitae et immortalitatis; et qui metuunt Dominum, invenient illum.*

(3) Hinc enimvero Christus sic discipulos suos, in *Evangelio* S. Jo., alloquitur: *Vos autem dixi amicos; quia omnia quaecumque audivi a patre meo, nota feci vobis.*

(4) Hic quaeret fortasse quispiam, quatenus in amicitia progredi fiducia debeat? Maxima, procul dubio, prudentia opus hic est. Quum enim sola virtus, ut diximus, amicitiae magistra et conservatrix sit, qui ad amicitiam nobiscum ineundam seliguntur, virtutis cultores sint oportet; indeque ipsorum animus, mens, indoles probe exploranda. Cujusque porro indoles exploratur potissimum in secreti fide, in laudis et lucri moderatione, in adversa fortuna, in jam habita cum aliis consuetudine. At quum pauci inter mortales praeclaris, quas memoravimus, dotibus fulgeant, rara quoque sit vera amicitia necesse est. Hinc recte Cicero: *Ex omnibus saeculis vix tria aut quatuor nominantur paria amicorum* (De amicit.).

fugium et solatium praebere; praesto esse consiliis, monitis, objurgationibus quoque, si res postulat, omni tamen ira atque animi acerbitate semotis. *Monere et moneri*, ait Cicero, *proprium est verae amicitiae.* Amicus praeterea, - nedum criminibus amico inferendis delectetur, aut credat oblatis -, ejus famam summo studio contra calumniatores et detrectatores defendere debet (1); illi, quotiescumque et quomodocumque opus sit, suppetias ferre, idque alacriter atque omni cunctatione abjecta (2); ejus denique necessitatibus, si fieri potest, ac desideriis occurrere, neque precario illum auxilio adjuvare: nam *molestum est verbum*, uti perbelle monet Seneca, *et onerosum et demisso vultu dicendum*, *ROGO* (De benef.). Quod autem ad ea spectat, quae amicum ab amico petere decet, aequa et honesta haec omnino esse oportet: siquidem vera amicitia, ut diximus, sola virtute metitur (3). Quae e contrario eo tantum respicit, ut amici fortunam participet ejusque bonis perfruatur, haud profecto amicitia, sed foedum potius commercium, negotiatio, foeneratio appellanda videtur (4).

---

(1) Egregie Horatius (*Sat.*, I, 4):

. . . Absentem qui rodit amicum,
Qui non defendit, alio culpante....,
. . . hic niger est: hunc tu, Romane, caveto.

(2) In *Proverbiis* legitur: *Ne dicas amico tuo: Vade, et revertere, cras dabo tibi; cum statim possis dare.*

(3) Apte Cicero: *Haec igitur prima lex in amicitia sanciatur, ut neque rogemus res turpes, nec faciamus rogati. Cum autem in amicitia, quae honesta non sunt, postulabuntur, religio et fides anteponantur amicitiae* (De off.).

(4) *Carum*, iterum in rem nostram Cicero, *ipsum verbum est amoris: ex quo amicitiae nomen est ductum; quam si ad fructum nostrum referemus, non ad illius commoda quem diligimus, non erit ista amicitia, sed mercatura quaedam utilitatum suarum. Prata, et arva, et pecudum greges diliguntur isto modo, quod fructus ex eis capiuntur. Hominum caritas*

Quantum autem suavitatis et emolumenti adfert amicitia, tantumdem mali, incommodi atque animi aegritudinis ab *inimicitia* manare, quotidiana experientia compertum est.

CAPUT III.

De hominis erga sui similes officiis in statu societatis artificialis.

240. Hactenus de officiis, quibus homines in naturae statu simpliciter considerati, alii erga alios mutuo devinciuntur. Ex his porro officiis, alia, ut vidimus, sunt perfecta, idest officia *justitiae;* alia vero *benevolentiae* seu imperfecta: prout jus aliquod iisdem respondens, in individuis ad quae illa referuntur, inest, nec ne. Quod autem ad jura hominum attinet, haec, ut diximus, vel *innata* sunt, vel *acquisita.* Innata partiti sumus in *formalia*, et *materiata;* acquisita vero in jura *proprietatis internae*, et jura *proprietatis externae;* quae postrema in *primitiva*, et *derivativa* seu translata dividuntur. Hinc totidem obligationum seu officiorum genera perfecta, quae *juridica* nominari etiam consueverunt.

Quae omnia, una cum officiis imperfectis seu benevolentiae, in homine existunt, quatenus ad mere naturalem et primitivam societatem pertinet: quae humano generi, uti demonstravimus, essentialis ac necessaria est, nullo praecedente speciali hominum consensu.

---

et amicitia gratuita est (De nat. deor.). Item Seneca, in nona ad Lucilium Epistola: *Ista*, ait, *quam tu describis, negotiatio est, non amicitia, quae ad commodum accedit.* En amicos, de quibus loquens Ecclesiasticus: *Est autem*, inquit, *amicus socius mensae, et non permanebit in die necessitatis.*

241. At homines consulto etiam ac voluntarie simul sociari possunt, - quod equidem vel a mundi origine, factum fuisse constat -, ad supremos humanae naturae fines consequendos et propria commoda sibi facilius comparanda. Unde societates *artificiales;* quae nil aliud sunt, nisi totidem, societatis ipsius naturalis imagines quaedam ac formae (1).

Ex his porro novis societatibus novisque inter homines relationibus, nova et peculiaria jura atque officia exoriuntur, generalibus, de quibus supra dictum est, officiis ac juribus addenda. Quo fit, ut humana officia numero crescant novosque induant modos, quin tamen simul permisceantur, vel inter se pugnent. Officia, quibus homo erga alios naturaliter obstringitur, certe quidem permanent; at graviora, ob novas sociales relationes, fiunt; quo autem hae numero majores atque interiores sunt, major inde obligatio, majorque in eo culpa qui eam infringit (V. n. 103) (2).

242. Multiplicis sunt generis speciales societates, quas inter se homines inire possunt: quarum aliae plane arbitrariae sunt, licet illis plus minusve

(1) « La société, ait Cusinus, n'est pas l'œuvre des hommes: c'est l'œuvre même de la nature des choses. Il y a une société naturelle et legitime, dont toutes nos sociétés ne sont que des copies plus ou moins imparfaites » (*Justice et Charité*).

(2) Supervacaneum arbitror monere, novas hasce relationes sociales id efficere aliquando posse, ut merum caritatis officium, vel etiam actio, ad quam nullomodo naturà obligamur, strictae justitiae officium fiat. Sic aegrotos adire eisque suppetias ferre, rudes atque indoctos erudire, - si in se ipsis considerentur -, beneficentiae tantum officia sunt; sed in medico et institutore, mercede conducto, vera sunt officia justitiae. Item, nemo profecto tenetur, ne tantillum quidem de praediorum suorum fructibus cuipiam concedere; at ubi civilis societatis (de qua mox erit sermo) utpote illius membrum, sit particeps, nae obligationem contrahit, vectigalia et tributa, jure imperata, pendendi.

utiles ac fructuosae (pravas et exitiosas sileo); aliae vero ad perfectam humani generis ordinationem ejusque in dies crescentem progressum necessariae (1). Tres porro hae sunt: theocratica, domestica et civilis. Quaelibet autem societas, uti ex dictis constat, proprium sibi finem propositum habet.

243. Societas *theocratica* ea dicitur, quae homines cum Deo conjungit; haec autem conjunctio vel naturali vinculo fit (2), vel supernaturali et positivo. In ordine nihilominus mere naturali, societas theocratica imperfecta est: nam Deus, in hoc ordine, idealiter tantum et quasi figurate, nequaquam vero substantialiter ac reapse se se nobis communicat. At hujusmodi Dei communicatio, positiva et substantialis, revera hominibus facta est per Redemptorem nostrum J. Christum, qui *Ecclesiam* condidit; quae veram perfectamque, hisce in terris, theocraticam societatem constituit (3). Hujus autem finis est, bonum homini morale religiosum, et sempiternam animarum salutem com-

(1) Quod ad societates arbitrarias attinet, haec generatim praescribit Ethica: Nulla ex hisce societatibus inconsiderate, neque illius indole probe perspecta, homini est ineunda; fas autem omnino illi non est, societatibus illicitis, aut lege vetitis, aut occultos fines habentibus, nomen suum profiteri. Quod si quis licitae cuiquam societati se adjunxit, datam fidem integre servare, socialia commoda privatis anteponere, probitatis insuper atque honestatis exemplum sociis praebere debet.

(2) De naturali theocratica societate haec (*De legib.*) habet Tullius: *Est igitur (quoniam nihil est ratione melius, eaque et in homine et in deo) prima homini cum Deo rationis societas. Inter quos autem ratio, inter eosdem etiam recta ratio communis est. Quae cum sit lex, lege quoque consociati homines cum diis putandi sumus. Inter quos porro est communio legis, inter eos communio juris est.*

(3) Haec breviter ac perspicue ita perstringit Rosminius: « La società teocratica è principalmente la società dell'individuo umano con Dio; la quale è *iniziale* secondo la natura; *compiuta* secondo la grazia del Salvatore » (*Filosofia del diritto*).

parare: quod nimirum ipsa consequitur praeceptis, educatione, aliisque supra naturam instrumentis et auxiliis, quae illi ab divino revelatae Religionis auctore concredita sunt. — Sed de societate theocratica dicere, ad theologos proprie spectat.

Societas *domestica*, seu familia, hisce elementis conficitur: marito nempe, uxore et liberis, ex iisdem procreatis; quibus adjungi possunt et famuli. *Civilem* tandem societatem componunt cives, inter se unaque cum iis, qui societati praesunt, conjuncti.

Art. 1. — *De societate domestica.*

244. Domestica societas, etsi quodam sub respectu, naturalis appellanda videtur, - siquidem ad humanam naturam conservandam omnino est necessaria, neque extra familiam homo concipi potest (1) -, stricte tamen loquendo, societas quaedam artificialis dicenda est: ad hanc quippe efficiendam, non natura solum confert, verum etiam voluntarius ac positivus illorum, qui eam constituunt, actus requiritur. Caeterum constat, praeceptum matrimonii, quod societatis hujusce fundamentum est, singulos haudquaquam obligare.

Elementa seu membra, uti jam diximus, familiam sive domum componentia, sunt maritus, uxor, liberi et famuli. Hinc multiplex relationum genus, ex quibus speciales quaedam societates, in

(1) « La famille, en effet, est la première et la plus étroite des associations; elle est l'élément et le modèle de la société civile.....; elle est, en germe, la société toute entière » (Portalis, *L'homme et la société*).

familia ipsa quodammodo conclusae, oriuntur. Relatio imprimis se prodit inter maritum et uxorem, unde societas *conjugalis*. Altera habetur inter parentes ac liberos; ex qua societas *parentalis*. Tertia demum inest inter dominum et famulos; quae societatem *herilem* gignit.

§ 1. — *De societate conjugali.*

245. Societas conjugalis existit per vinculum *matrimonii:* quo nomine intelligitur « intima et indissolubilis viri et mulieris conjunctio (unde *conjuges* dicti) mutuae inter se caritati et benevolentiae innixa, eoque inita consilio, ut, sibi invicem adjumentum atque opem afferentes, vitae incommoda facilius sustinere queant; ut insuper filios procreent, eosque liberali ac religiosa educatione instituant » (1).

Qua ex definitione sequitur: 1° matrimonium, duorum tantum nec plurium conjunctione, contineri; conjugalem nempe societatem *monogamicam* esse oportere; illicitam proinde atque omnino improbandam *polygamiam*, idest uxorum simul multiplicitatem; quippe quae a matrimonii natura aliena est, ejusdem fini plane adversatur, jurgia insuper, dissidia et incommoda innumera, ut profecto neminem latet, familiae parat. Quod autem de polygamia, potiori jure de *polyandria*, - seu multiplicitate virorum, quibus omnibus una tantum sit uxor -, dicendum est. Sequitur 2° conju-

(1) Matrimonium igitur humano generi est necessarium, eique a Deo praeceptum et impositum (*masculum et foeminam creavit eos, benedixitque illis Deus, et ait, crescite et multiplicamini*, quemadmodum legimus in *Genesi*); singulis tamen hominibus liberum est (V. n. 244).

gii seu matrimonii vinculum, nulla re, nisi alterutrius conjugum obitu, dissolvi posse; quod et ipsa amoris et amicitiae natura satis ostendit: nemo enim in tempus solum, sed ad perpetuitatem, ad alicujus amicitiam se confert. Hac porro matrimonii perpetuitate efficitur, ut conjugum pax et felicitas firmior consistat; multa incommoda et calamitates praecaveantur (1); totaque inde societas, - liberis bene ac sancte educatis, et familiis mutua caritate devinctis atque ad concordiam compositis -, quam maxime juvetur. Hisce adde, matrimonii indissolubilitatem lege divina plane sanciri (2).

246. Quum cujusvis bene constitutae societatis fundamentum sit matrimonium, perspicuum est, maximo illud honore ac reverentia prosequi unumquemque debere; hinc quamlibet ordinationis hujuscemodi, - quam ad humanum genus conservandum Deus ipse constituit -, violationem, utpote gravissimum ac turpissimum scelus habendam esse. Bene itaque moratus ac probus quisque, hujusce praecepti gravitatem et momentum considerans, quidquid illi contrarium est, omnino

(1) Pone enimvero matrimonium, conjugum arbitrio ac divortio dissolvi posse, vix unquam dissidendi causae atque occasiones illis deessent: hinc crebrae familiarum et societatis ipsius perturbationes. Nunc contra, quum secum ipsi reputant, - etsi conjugii convictu et consuetudine fortasse careant -, se tamen matrimonii vinculo constrictos teneri, omnemque alteri se conjugi adjungendi spem sibi praecisam esse, fit, ut ad iracundiam et dissidia minus sint promti, seque mutuo patienter tolerare paullatim discant.

(2) Haec namque manifesta leguntur in Genesi: *Relinquet homo patrem suum et matrem, et adhaerebit uxori suae; et erunt duo in carne una.* Cui praecepto, discipulis suis commemorato, haec, in *Evangelio* S. Matthaei et S. Marci, subjungit Christus: *Itaque jam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet..... Quicumque dimiserit uxorem suam et aliam duxerit, adulterium committit super eam. Et si uxor dimiserit virum suum, et alii nupserit, moechatur.* Eadem autem habet Apostolus in *Epist.* 1.a ad Corinthios.

aversatur; nilque sibi unquam permittit, quod aliquatenus laedere atque in hominum opinione abjicere illud possit.

247. Sed ut haec sancta societas incolumis maneat et prospero fortunae statu utatur, vir atque uxor officio suo quisque satisfaciat, necesse est. Horum porro officiorum, quaedam utrique conjugum communia, quaedam vero unicuique propria sunt.

Primo itaque *conjuges* datam fidem integre tueantur, sanctumque conjugii foedus violare gravissimum credant nefas: siquidem mala deterrima, cum privata tum publica, inde consequi experientia docet (1). Par insuper inter illos sit amor, benevolentia et animorum consensio (2); uterque utrique sit cordi; mutua reverentia et facilitas; sese invicem juvandi contentio; absit morositas, praesertim vero zelotypia, malum conjugii maximum. Haec ad conjuges generatim.

248. Quod autem ad specialia eorum officia attinet: *Vir*, utpote domus et familiae caput, jus quidem habet illius regendae, et quoddam in uxorem ipsam imperium obtinet (3); hoc tamen prudenter, moderate ac suaviter exercere debet: id-

(1) Quare optimo jure animadversiones ac poenae gravissimae in adulteros, quod maritalem fidem frangant, in veteri lege constitutae sunt; uti videre est in *Levitico* et *Deuteronomio*.

(2) . . . Non enim hoc quicquam praestantius et melius,
Quam cum concordes consiliis rem familiarem administrant
Vir atque uxor. — (Homer., *Odyss.*).

Tria sunt, ex *Ecclesiastico*, probata coram Deo et hominibus; inter quae, *vir et mulier bene sibi consentientes*.

(3) Hujusmodi imperio atque auctoritate reapse maritum pollere, omnes generatim consentiunt. Nobis autem, ita Deum ipsum constituisse, ex S. Litteris manifestum est; quippe Deus, uti legimus in *Genesi*, dixit mulieri: *Sub viri potestate eris.* Caeterum, peculiares, tum corporis tum animi dotes, quibus vir gaudet, principem in domo locum ad ipsum pertinere, satis superque evincunt.

est uxorem suam liberaliter et honeste tractare, cum eaque, non tamquam dominus, sed uti primus inter pares agere; atque meminisse, Evam ab Adamo sociam fuisse appellatam: Deum namque alloquens, *Mulier*, inquit, *quam dedisti mihi sociam.* Boni viri praeterea officium est, uxorem optimis et opportunis consiliis juvare, ac rerum gerendarum participem efficere, ut alacrius rem familiarem curet et veniat in partem laborum. Ad virum quoque spectat uxorem tempestive corrigere, ast benigne atque humaniter, non verbis asperis aut minacibus; non vultu austero, et iram odiumve spirante; non gestibus, quibus contemptus significetur; semperque illud prae oculis habere Aurelii imperatoris consilium: « Uxor monenda saepe; reprehendenda raro; violentis manibus tractanda nunquam ».

249. Sed et *uxori* sua sunt officia; inter quae illud in primis eminet, ut sub viri imperio sit, neque ullomodo auctoritatem sibi in eumdem usurpare conetur (1). Id praeterea, - in quo maritalis conjunctio maxime sita est -, uxores semper meminisse oportet, neminem, secundum Deum, magis quam virum, sibi diligendum, eove pluris faciendum esse neminem; cui etiam, omnibus in rebus, quae christianae pietati non adversantur, morem gerere et obtemperare summa cum alacritate animi deceat. Quod si morosum se aliquando ac difficilem vir praebeat, caveat uxor vitia illi exprobret, vel acerbis verbis aut objurgationibus illum lacessat, sed placide ac pa-

(1) *Mulier*, inquit Ecclesiasticus, *si primatum habeat, contraria est viro suo.*

tienter perferat; interim vero enixis precibus se illumque Deo commendet, cui ludus est hominum corda, quo vult, flectere, eorumque ingenium moribus immutare (1). Postremo rei familiaris curam habeat; domum bene administret; nedum autem viri substantias per ludum et spectacula, vel ornatu nimio dilapidet ac consumat, eas sedulo conservare et augere etiam studeat, mulierem fortem imitata, cujus praeconium in *Proverbiis* legitur.

Cui porro talis uxor divinitus data sit, quid illi exoptandum amplius remanet? Quid vero, contra, prava uxore miserius ac calamitosius potest homini contingere? (2).

§ 2. — *De societate parentali.*

250. Procreata sobole, jam conjuges parentum nomen obtinent; unde *societas parentalis:* cujus membra sunt parentes ipsi, eorumque filii. Hinc mutua inter ipsos officia.

Officium parentum est, liberorum conservationi et perfectioni studere, idest recte illos *educare;* dum, confirmata aetate, sibi ipsi rebusque suis prospicere possint (3). Educatio igitur, late sum-

(1) Ita nimirum se erga virum suum gerebat mater S. Augustini, ut hic ipse in suis *Confessionibus* narrat; quo factum est, ut nunquam a se invicem vel unum diem domestica lite dissenserint, quamvis ferocem et ira fervidum conjugem, Patricium, S. Monica sustineret. *Sed noverat haec non resistere irato viro, non tantum facto, sed ne verbo quidem. Jamvero refracto et quieto, cum opportunum videret, rationem facti sui reddebat, si forte ille inconsideratius commotus fuerat.*

(2) *Mulieris bonae*, ait Ecclesiasticus, *beatus vir; numerus enim annorum illius duplex..... Mulier bona dabitur viro pro factis bonis. — Sicut boum jugum quod movetur, ita et mulier nequam; qui tenet illam, quasi qui apprehendit scorpionem.*

(3) Id porro obtineri nequit, sine parentum in liberos potestate;

pta, et corpori et animo curam impendit. Illa, *physica* appellatur; haec autem (quae una, stricte loquendo, educationis nomine donanda est) *intellectualis* dicitur, vel *moralis*: prout puerorum intelligentiam, vel voluntatem regendam ac perficiendam suscipit.

251. De physica educatione dicere omittimus; ad hanc enim referri et apte accommodari possunt, quae *De sui conservatione* superius tradita sunt (n. 152-4). Quibus tamen hoc addendum putamus, quod matres speciatim respicit: hae siquidem id omnino sibi persuasum habere debent, se, - nisi morbus aut gravissima alia causa obstet, ne res fiat -, natos suos educare mammis oportere, neque mercede conductis nutricibus committere. Id quippe non infantis modo, sed et matris conditio postulat, ad id natura ipsa genitrices impellit, ad id singularis ac vehemens, quo in propriam sobolem flagrant, sollicitat amor, qui in nutrice externa nequicquam requiritur. Nil igitur mirum, si de gravissimo hoc munere prudentissimi quique, inter veteres Plutarchus praesertim, matres enixe moneant.

252. Quod autem ad educationem proprie dictam spectat, animadvertendum est, duabus hanc partibus constare; quarum altera, pars educatio-

unde jus, quo ipsi pollent, liberis praecipiendi, eos objurgandi ac puniendi quoque, si oporteat. Hoc tamen jus Plato, postmodum vero cujusvis aetatis Communistae, plus minusve aperte parentibus negant; jusque liberos alendi atque educandi ad rempublicam omnino pertinere arbitrantur. Quam profecto sententiam, absurdam plane atque inter paradoxata adnumerandam esse, nemo non videt. At hic etiam, uti semper, extrema devitanda sunt. Quocirca patriam potestatem, quam Communistae inficiantur, plus aequo et contra naturae vocem Romanos exaggerasse perspicuum est: hos namque jus vitae et necis in filios parentibus concessisse constat.

nis negativa, altera vero positiva nuncupari potest: disciplina videlicet atque cultura.

Disciplina mature et assidue cavere debet, ne pueros, vel a teneris unguiculis, vitia illa occupent, quae hominem deformant, atque infelicem et contemnendum efficiunt: cujusmodi sunt nimius amor sui, otium, vanitas, ambitio, invidia, libido. Quod ut facilius obtineatur, in puerorum animis instillare iisque persuadere opus est, nihil talibus vitiis ignominiosius, nihil deterius homini esse posse; hujusce porro persuasionis vis tunc maxime se prodit, quum ad ea vitia occasiones aut sollicitationes exsistunt.

253. *Cultura* duplicem sibi finem propositum habet: 1° ut pueri optimis moribus imbuantur et boni fiant; 2° ut sibi non solum, sed et societati sint utiles, suaque proinde sorte contenti (1).

In primis itaque parentum officium et munus hoc est, ut optima dent filiis vivendi praecepta: justitiae nimirum, caritatis, modestiae ac continentiae magistros se illis praebeant; quo, bene morati atque ad religionem instructi, virtutem sedulo colant ac Deum sancte inviolateque venerentur.

254. Sed tria praesertim hac in re parentes declinare oportet, in quibus saepe ipsos offendere constat: 1° Scilicet, ne quid acerbius in liberos aut loquantur, aut statuant; verendum enim est, ne hi fracto abjectoque sint animo, dum

(1) Gratum est quod patriae civem populoque dedisti,
Si facis ut patriae sit idoneus, utilis agris,
Utilis et bellorum et pacis rebus agendis.
Plurimum enim intererit, quibus artibus et quibus hunc
Moribus instituas (Juven., *Sat.* XIV).

omnia formidant (1). Nimiam idcirco severitatem devitent, qua, uti monet Quintilianus, ingenia puerorum deficiunt; quod si grave quidquam hi deliquerunt quod animadversione ac punitione dignum sit, ab hac se abstineant, dum fortasse ira exardescunt: eos namque corrigere et sanare opus est, non ulcisci (2). At 2° caveant, ne, in partem aliam peccantes, remissius erga contumaces filios se gerant: hi quippe, nimia parentum indulgentia ac lenitate saepius depravantur. Exemplo sit Heli, summus sacerdos; qui (ut in lib. I *Regum* legitur) quod in liberos indulgentior fuerit, gravissimo supplicio affectus est. 3° Demum, ne, quod est foedissimum, in filiorum educatione, praepostera ineant consilia: quemadmodum permulti faciunt, qui in hac una cogitatione curaque versantur, ut opes et amplum patrimonium liberis suis relinquant; eosque non ad religionem, non ad pietatem, non ad laborem, non ad ea honestis artibus ac viis sibi comparanda, quae ad vitam humaniter degendam sunt necessaria, sed ad avaritiam potius et ad rem familiarem quomodocumque augendam cohortantur; de vero et stabili ipsorum bono nihil solliciti, dummodo divitiis affluant: quo quid dici aut cogitari turpius potest? Non ita sane Tobias; qui, morti proximus, piissima filio suo salutis monita inculcat, quae mehercule parentes o-

---

(1) *Patres*, sic Apostolus ad Colossenses, *nolite ad indignationem provocare filios vestros, ut non pusillo animo fiant*. Iterum autem in *Epistola* ad Ephesios: *Et vos, patres, nolite ad iracundiam provocare filios vestros, sed educate illos in disciplina et correptione Domini*.

(2) *Prohibenda*, inquit Cicero, *maxime est ira in puniendo: nunquam enim iratus, qui accedit ad poenam, mediocritatem illam tenebit, quae est inter nimium et parum* (De off.).

mnes, ad liberos suos sancte educandos, sedulo considerare sibique in animum alte defigere oporteret (V. *Tob.*, cap. IV).

255. At id prae ceteris persuasum parentibus sit, nequicquam se praeceptis et adhortationibus ad virtutem et egregia facinora filios suos excitare, nisi (adinstar Christi, qui *coepit facere et docere*) illis praeeant exemplo (1); ad quod sequendum pueri, naturali imitationis instinctu, maxime ducuntur (2). Quam caute igitur ac prudenter se coram ipsis gerere parentes decet, ut nullum unquam, vel dictum vel factum, illis excidat, nisi grave, honestum et, quod imitetur, sit dignum (3)! nil agant, quod filiis scandalo esse possit! (4).

Quod si parentes, uti saepenumero contingit, huic oneri impares, vel gravibus negotiis distenti liberos suos aliis erudiendos et educandos committere constituunt, ante omnia de institutore ipso sibi admodum caveant, neque hac in re temere et inconsulto se gerant; videant, utrum tanto muneri idoneus ille sit; praesertim vero, utrum

---

(1) Id omnino Timotheo et Tito, - horum autem nomine, parentibus -, commendat Apostolus. Ad illum enim scribens: *Exemplum*, inquit, *esto fidelium in verbo, in conversatione, in charitate, in fide, in castitate;* ad Titum autem: *In omnibus teipsum praebe exemplum bonorum operum in doctrina, in integritate, in gravitate*.

(2) *Haec est*, ait Quintilianus, *superiorum conditio, ut quidquid faciunt, praecipere videantur*.

(3) Nil dictu foedum visuque haec limina tangat,
Intra quae puer est.....
Maxima debetur puero reverentia (Juv. *Sat.* XIV).

(4) Norunt omnes, quam vehementer hoc hominum genus insectetur Christus. Qui, in *Evangelio* S. Matthaei, terribilia haec habet: *Qui scandalizaverit unum de pusillis istis qui in me credunt, expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo ejus et demergatur in profundum maris. Vae mundo a scandalis..... vae homini illi, per quem scandalum venit*. Quid porro dicendum, si ii ipsi, parentes nimirum, ad quos maxime spectat optimo esse pueris exemplo, scandalum illis praebeant?

illius inculpata sit vita, moresque justae reprehensioni minime obnoxii (1); nam, ut ait Seneca, *sumuntur a conversantibus mores* (2). Caeterum autem, multo melius rudes et incultos, quam male moratos homines esse, quis dubitat?

256. Hactenus de officiis parentum erga filios. De illis modo dicendum, quibus adstringuntur filii adversus parentes.

Cuncta porro hujuscemodi officia praecepto Decalogi continentur: *Honora patrem tuum et matrem tuam;* honori enim haec omnia conjuncta sunt: amor, veneratio, observantia, obedientia; brevi, *pietas filialis*. Profecto parentes quaedam sunt veluti Dei simulacra, in iisque ortus nostri imaginem intuemur; ab iis vita nobis est data; iis Deus usus est, uti nobis et corpus et animam impertiret; ab iis ad religionem, ad humanum cultum civilemque instituti, ad morum integritatem et sanctitatem eruditi sumus. Quanta igitur reverentia sunt digni (3)! quanto amoris et grati animi sensu a nobis prosequendi! si vel maxime erga nos ita sint affecti, nullum ut laborem, nullam operam, pericula nulla, nostri gratia, refugiant (4); nihilque illis obtingere possit jucundius, quam ut

---

(1) *Trade eum* (filium), *praeceptori, a quo mores primum, mox eloquentiam discat, quae male sine moribus discitur:* ita Plinius, in *Epist.* ad Corelliam.

(2) *Qui tetigerit picem*, inquit Ecclesiasticus, *inquinabitur ab ea; et qui communicaverit superbo, induet superbiam* (V. n. 183). Item, in Proverbiis: *Qui cum sapientibus graditur, sapiens erit; amicus stultorum similis efficietur.*

(3) In *Ecclesiastico* legimus: *Honora patrem tuum, ut superveniat tibi benedictio ab eo, et benedictio illius in novissimo maneat.* Et in *Epistola* S. Pauli ad Ephesios: *Honora patrem tuum et matrem tuam: quod est mandatum primum in promissione.*

(4) Tunc enimvero, tuncque solum, *parentes* proprie dicendi sunt; namque, ut ait Phaedrus, *facit parentes bonitas, non necessitas.*

filiis suis caros se esse sentiant, quos vehementer diligunt.

257. Item parentes honoramus, quum voluntatem nostram iis deferimus, atque in omnibus quae licita et honesta sunt, alacriter obtemperamus (1), nihilque gravioris momenti, - praesertim quod ad proprii status electionem attinet -, absque eorum consilio adgredimur; quum eorum recte facta moresque imitari satagimus, siqua autem in iis vitia et defectus sint, patienter ferimus; quum ipsis, quibuscumque in necessitatibus, - cum temporalibus, tum spiritualibus praesertim -, subvenire opitularique sedulo studemus, numquam illorum, - tametsi amplis honoribus fortasse aucti -, pauperum atque obscuro loco natorum erubescentes; quum denique, - corporis vel mentis viribus deficientibus, tristique ingruente senecta -, humaniter et aequo animo illis adesse gloriosum nobis ducimus (2); gravissima haec *Ecclesiastici* verba jugiter memorantes: *Quam malae famae est, qui derelinquit patrem; et est maledictus a Deo, qui exasperat matrem!*

---

(1) *Audi, fili mi, disciplinam patris tui, et ne dimittas legem matris tuae, ut addatur gratia capiti tuo, et torques collo tuo:* ita legitur in *Proverbiis.* Similiter S. Paulus, ad Ephesios scribens: *Filii*, inquit, *obedite parentibus vestris in Domino, hoc enim justum est;* et ad Colossenses: *Filii, obedite parentibus per omnia: hoc enim placitum est Deo.* Hanc tamen conditionem subjecimus: *in omnibus quae licita et honesta sunt;* si enim, - quod heu nimium aliquando contingit -, eo perversitatis parentes processerint, ut ea filiis jubeant, quae Dei praeceptis vel naturae legibus adversantur, dubium non est, quin hi parentum cupiditati Dei voluntatem praeferre debeant, eorum jussa exequi omnino abnuentes; responsi memores, quod, similibus in adjunctis, principi sacerdotum strenue dederunt Apostoli: *Obedire oportet Deo magis, quam hominibus* (Act. Apostol.).

(2) *Fili*, ita denuo Ecclesiasticus, *suscipe senectam patris tui, et non contristes eum in vita illius; et si defecerit sensu, veniam da, et ne spernas eum in virtute tua.*

258. Sed animadvertendum hic est, quum *patres* dicimus, eos quidem, a quibus generati sumus, praecipue nos intelligere; nomen hoc nihilominus ad alios quoque pertinere, quibus omnibus proinde honor debetur.

Et primum Ecclesiae Praesides, Pastores et Sacerdotes patres dicuntur. Deinde ii, quibus imperium, aut magistratus, aut potestas commissa est, quique rempublicam gubernant. Praeterea patres eos appellamus, quorum procurationi, fidei, probitati sapientiaeque alii commendantur: cujusmodi sunt tutores, curatores, paedagogi et magistri. Postremo aetate provecti, - utpote longa experientia docti et multae utplurimum auctoritatis -, patris nomine vocari etiam solent. Quos omnes idcirco revereri ac debita observantia colere opus est.

§ 3. — *De societate herili.*

259. Quamvis inter dominum et famulum vinculum sociale, stricte loquendo, minime insit (1), consortium illud nihilominus, seu melius, juridica relatio, quae inter utrumque intercedit, *societas herilis* appellari consuevit.

(1) Triplex potissimum est vinculum, quo se homines ultro obstringere possunt: vinculum nempe proprietatis, societatis et dominii. Fundamentum vinculi *proprietatis* est commodum et utilitas personae, quae res sibi adnectit, quemadmodum suo loco dictum est. Basis vinculi *societatis* est mutua personarum benevolentia, quae simul, ad commune bonum, sponte uniuntur. Inter utrumque autem, medium quodammodo tenet locum vinculum *dominii*: cujus vi jus competit domino, servorum opera (*opera*, inquam, non autem proprie servis ipsis) tamquam re ad se pertinente, arbitratu suo utendi. Quum tamen et servus ipse sit homo, idest personali dignitate gaudeat, domino suo, sub hoc respectu, par est; ejusque etiam consocius, quatenus in societate theocratica consideratur. Ab hoc itaque sociali vinculo vinculum servile regi ac temperari debet.

Quum porro hujusmodi inter herum et servum societas, mutuo utrinque consensu et pacto, - ut nempe uterque se invicem juvent -, ineatur, liquido patet, societatem herilem a *servitute* omnino differre (V. n. 209), quae unius domini voluntate formatur; quaeque proinde a Cicerone, in *Paradoxis*, recte definitur *obedientia fracti animi et abjecti, et arbitrio carentis suo.*

260. Constituta inter dominos et servos societate, jam mutua utrorumque hinc manant officia.

Servi itaque dominos suos honore debito et reverentia prosequi tenentur; studiose illis ac fideliter operam suam praestare; eorum jussa adamussim exsequi, et in omnibus, quae honesta et justa sunt neque divinis aut humanis legibus repugnantia, alacriter illis obsecundare; rerum, quae ad dominos spectant, perinde ac suarum, curam gerere, eorumque utilitates nunquam omittere; se illis faciles, dociles, modestos ac sua sorte contentos praebere; dominorum famae atque existimationis satagere; eorum menda ac vitia in populum nequaquam proferre, nec secreta, si norint, prodere, ni lex divina vel publica salus aliter fortasse suadeant (1).

261. At sciant domini, se gravibus etiam erga servos suos officiis teneri: Illos videlicet benigne accipere, iisque humaniter imperare debent; sed una cavere, ne plus aequo familiariter eisdem u-

(1) Plus oportet scire servum, quam loqui.
. . . . . . hominem servum suos
Domitos habere oportet oculos et manus,
Orationemque;
uti monet Plautus in Comoedia *Miles gloriosus*.

tantur: nimia quippe familiaritas contemtum utplurimum parit; de eorum moribus et agendi ratione diligenter inquirere; ubi autem officio suo desint, eos admonere atque corripere, vel punire etiam, si opus sit, dum nimia in puniendo severitas et vehementior animi concitatio semper absit: ita nimirum facilius ad frugem corriguntur, si praesertim, - uti omnino decet -, ea sit dominorum vitae ratio, ut recte agendi exemplum de illis famuli capere possint; apte occupatos illos tenere, ne otio diffluant; servorum conditionem ac fortunam commiserari, secum ipsi considerantes, homines et illos esse, nil autem se habere, quod non acceperint, et cujus proinde jacturam facere aliquando nequeant (1); dominio, quod in servos obtinent, nunquam abuti, - ad quaedam fortasse patranda, quae honestati, justitiae, aequitati adversantur, eosdem impellendo; morbo illis, senectute, vel alia quacumque calamitate laborantibus opportune succurrere; pactam denique mercedem adamussim solvere (2). Hac porro ratione

(1) « Vis tu cogitare, ait Seneca, istum quem servum tuum vocas, « ex iisdem seminibus ortum eodem frui coelo, aeque spirare, aeque vivere atque mori? Tam tu illum videre ingenuum potes, quam « ille te servum..... Contemne nunc ejus fortunae hominem, in quam « transire, dum contemnis, potes...... Nescis qua aetate Hecuba « servire coeperit, qua Croesus, qua Darii mater, qua Plato, qua Dio- « genes?..... Haec tamen praecepti mei summa est: Sic cum inferiore « vivas, quemadmodum tecum superiorem velles vivere » (*Epistola* XLVII).

(2) Servorum ac dominorum officia ita in pauca S. Paulus confert in *Epistola* ad Ephesios: « Servi, obedite dominis carnalibus cum ti- « more et tremore, in simplicitate cordis vestri, sicut Christo; non « ad oculum servientes, quasi hominibus placentes, sed ut servi « Christi, facientes voluntatem Dei ex animo, cum bona voluntate « servientes, sicut Domino et non hominibus; scientes quoniam « unusquisque, quodcumque fecerit bonum, hoc recipiet a Domino, « sive servus sive liber. Et vos, domini, eadem facite illis, remit- « tentes minas, scientes quia et illorum et vester Dominus est in « coelis, et personarum acceptio non est apud eum ». Quibus gravissima haec ejusdem Apostoli ad Timotheum verba addi possunt: « Si quis autem suorum, et maxime domesticorum, curam non ha- « bet, fidem negavit et est infideli deterior ».

cum servis agentes, eos nostrum studiosos atque fideles certo habebimus: quod quidem in vita optimum et maxime exoptandum est (1).

Art. 2. — *De societate civili.*

262. Quum homines, simplici societatis naturalis vinculo adstricti, in unum corpus, sub eodem publico regimine, coalescunt, tunc exsistit *societas civilis;* quae definiri potest « plurium familiarum conjunctio, eo consilio inita, ut, - unius mentis uniusque vis socialis ope -, jurium, quibus ipsae gaudent, exercitium ita regatur, ut illarum neutra alteri noceat, quin potius tuto omnes, tranquille atque concorditer simul vivant et altera alteram juvet ». Id autem fit, *jurium modalitatem* familiarum omnium apte disponendo (2). Ex quo patet, civilem societatem societati domesticae seu familiae, tamquam fundamento, inniti (V. n. 244).

263. Sed hic quaeret fortasse quispiam, quî factum sit, ut homines, - tametsi ad ea sibi com-

(1) *Si est tibi servus fidelis,* inquit Ecclesiasticus, *sit tibi quasi anima tua; quasi fratrem sic eum tracta.*

(2) Objectum igitur et finis proximus societatis civilis est rectio et ordinatio modalitatis jurium, quae sociorum sunt propria. Nam patresfamilias, societatem simul coëuntes, jura omnia, cum naturalia tum acquisita, quibus jam potiuntur, secum afferunt, nulloque eorum abdicare se volunt. Sed ut diversa haec jura sese invicem minime laedant, imo vero ad communem utilitatem amice conspirent, apte ordinanda sunt; idest *modus* statuendus, quo quisque iis uti debet, ut, dum aliis non obest, propriae conservationi et perfectioni prospiciat. Id porro illis propositum est, qui societatem civilem constituunt; quae idcirco, tamquam proprium sibi finem et scopum, non jura ipsa (quemadmodum, ex. gr., societas theocratica), sed jurium tantum *modalitatem* habet.

paranda quae ad vitam sunt necessaria, sat illis erat societas domestica -, ad civilem insuper ineundam animum induxerint? quonam videlicet motivo et stimulo, qui sane non defuit, familiae, - quae caeteroquin constare ac singulae seorsum prospere agere sub patrisfamilias potestate poterant -, ad se simul in civili communione consociandas primitus impellerentur?

Respondemus, hujuscemodi stimulum non aliud fuisse, nisi justae ac legitimae defensionis necessitatem. Profecto quum familiae, - quibus pax et tranquillitas in primis cordi erat -, animadvertissent (quod tempestive admodum factum fuisse censendum est) se, alias ab aliis sejunctas, haudamplius sibi ipsis sufficere, neque, - tum contra belluarum impetum, tum praesertim adversus aliorum hominum nequitiam et improbitatem -, se tueri jam posse, tunc enimvero conjunctis viribus sibi agendum atque in unam societatem coëundum esse probe senserunt, fide inter se data de mutua sibi ope ferenda. Ita nimirum *civitates* constitutae sunt: quo nomine, in *Somnio Scipionis*, a Cicerone vocantur *concilia coetusque hominum jure sociati*. Homines porro hac ratione sociati, seu civilis societatis membra, *cives* appellantur.

Civitas igitur definiri potest « civium multitudo, in eodem loco habitans eodemque jure vivens »; vel, si mavis, « plurium familiarum societas, ad communem omnium utilitatem comparata, eidemque supremae potestati seu publico regimini subjecta ». Quibus postremis verbis necessitas innuitur, - quam quisque caeteroquin facile perspicit -, supremae alicujus auctoritatis, idest mentis unius, quae sociorum jura moderetur et regat, ut socie-

tas ipsa constare possit (1): nequit enim esse corpus, nisi plane monstrosum sit, sine capite.

264. Haec porro mens, - jurium, quae ad cives pertinent, moderatrix -, in societatibus civilibus, unius vel plurium personarum mens esse potest. Unde diversae regiminis formae; quarum duae praecipue distinguuntur: respublica nimirum (2), et monarchia.

Respubblica est ea regiminis forma, in qua suprema auctoritas cuidam individuorum numero a natione ipsa seu populo demandata est. Duplex autem esse potest: aristocratica, vel democratica. Respublica aristocratica, sive *Aristocratia*, illa dicitur, in qua imperium est penes optimates: cujusmodi apud Genuenses ac Venetos diu fuisse novimus. *Democratia*, seu regimen populare, est, quum dominatur populus universus, qui de rebus in publicis conventibus deliberat: talis fuit respublica Romana post reges exactos, usque ad C. Julium Caesarem.

265. *Monarchia*, sive regnum, est principatus unius; in quo videlicet unus tantum imperat: sive rex, sive dux, sive alio nomine vocetur (3).

---

(1) In libro *Proverbiorum* legitur: *Ubi non est gubernator, populus corruet*. Item Cicero: *Omnis respublica*, ait, *consilio quodam regenda est, ut diuturna sit* (De republ.).

(2) Hoc nomen *respublica* non eo sensu hic a nobis accipitur, quo a latinis adhiberi solet: vel nempe pro re communi et publica civium una viventium (*Respublica est res populi; populus autem non omnis coetus multitudinis, sed coetus juris consensu, et utilitatis communione sociatus*, uti ait Cic., *De republ.*); vel pro ratione generatim rei ipsius publicae regendae atque administrandae: Sed, reipublicae nomine, specialem quamdam civitatis gubernandae rationem, idest peculiarem regiminis formam nos intelligimus; quemadmodum fert usus, temporibus nostris vulgo receptus.

(3) Tria haec simplicia imperii genera, - monarchicum, aristocraticum et democraticum -, ita commemorat Cicero: « Omnis respu- « blica..... consilio quodam regenda est, ut diuturna sit. Id autem

Monarchia dicitur *absoluta*, quum ipsa monarcae seu principis voluntas est lex; *temperata* vero, si haec voluntas, cujusdam constitutionis vi, intra certos limites contineatur: unde imperium mixtum, ex regio nimirum ac populari aequatum et temperatum *(governo costituzionale)*; quod profecto, - ubi a naturali indole sua, hominum malitia et cupiditate, minime desciscat -, omnium optimum esse videtur (1).

266. At regimen quodlibet sociale, quaecumque illius sit forma, triplicem potestatem necessario complectitur: *legislatricem* nempe, - quae leges condit; *judiciaria*, - quae illas rite interpretatur atque ad casus speciales applicat; et *exsecutrix*, - quae in earum executionem incumbit, idest socios, qui munera sua colere, vel rectoris aut judicum decretis parere recusant, in ordinem cogendo. Qui suprema potestate pollet (sive individua, sive collectiva persona sit) *gubernator* vel

---

« consilium..... aut uni tribuendum est, aut delectis quibusdam, aut « suscipiendum est multitudini atque omnibus. Quare quum penes « unum est omnium summa rerum, regem illum unum vocamus, et « regnum, ejus reipublicae statum. Quum autem est penes delectos, « tum illa civitas optimatum arbitrio regi dicitur. Illa autem est ci- « vitas popularis (sic enim appellant) in qua in populo sunt omnia » (*De republ.*).

(1) Ita nimirum et ipse Cicero opinatur; qui, citato loco, praeclara haec habet: « Quartum quoddam genus rei publicae maxime pro- « bandum esse sentio, quod est ex his, quae prima dixi, moderatum « et permixtum tribus.

« . . . Tribus primis generibus longe praestat, mea sententia, re- « gium; regio autem ipsi praestabit id, quod erit aequatum et tem- « peratum ex tribus optimis rerum publicarum modis. Placet enim « esse quiddam in re publica praestans et regale; esse aliud aucto- « ritate principum partum ac tributum; esse quasdam res servatas « judicio voluntatique multitudinis. Haec constitutio primum habet « aequalitatem quamdam magnam, qua carere diutius vix possunt « liberi; deinde firmitudinem; quod et illa prima facile in contraria « vitia convertuntur, ut existat ex rege dominus, ex optimatibus fa- « ctio, ex populo turba et confusio ».

rector illi est nomen; personae, potestatem judiciariam aut executivam gerentes, *magistratus* vocantur; singula autem civilis societatis individua, seu membra eamdem constituentia, uti jam supra innuimus (n. 263), dicuntur *cives*.

Jamvero, ut civilis societas firma consistat; ut ordine, libertate, quiete, prosperitate vigeat, pro se quemque, - cum gubernatorem, tum magistratum et civem -, officio suo fungi debere, manifestissimum est. Quaenam igitur hujusmodi sint officia et quomodo ad unoquoque persolvenda, breviter nobis dicendum superest.

§ 1. — *De civilis gubernatoris officiis.*

267. Summum atque *universale* illius, qui societati praeest, officium est, publicum ordinem sartum tectum praestare. Tribus porro elementis ordo publicus seu socialis tenetur: *Religione, securitate personarum, substantiarum incolumitate.* Hinc *specialia* civilis gubernatoris officia (*doveri del governo*).

Quorum primum hoc est, ut Religionem sincero obsequio et reverentia prosequatur, ejus defensionem suscipiat, verumque Dei cultum penes cives omni studio excitet ac foveat (1). Nam « Religio vera, ait Plato *(De legib.)*, est firmamentum reipublicae »; qua proinde neglecta et labefactata, hanc quoque corruere necessum est (2).

---

(1) « Est boni regis imprimis, ait Xenophon, divini cultus constituendi, et constituti exercendi curam habere » (*Cyroped.*). Item T. Livius: *Est boni principis, Religionem primum omnium constituere, praesertim pace sibi ab hostibus pacta.*

(2) Quare optime animadvertit T. Livius, *omnia prospere evenisse*

268. 2° Ab Religione justitia secerni ac divelli nequit: ad cujus propterea normam, leges quae civibus praescribuntur, compositas, idest justas, omnino esse decet (V. n. 32); opportunas insuper, temporibus aptas atque ad bonum publicum provehendum idoneas; apertis verbis expressas; breves, praecisas (1); aequales pro omnibus, absque privilegio et personarum acceptione; haud nimiopere severiores, nec plures quam opus sit: « in republica enim corruptissima plurimae leges », uti verissime animadvertit Cartesius.

269. 3° Sed optimas leges sancire satis non est: in id praeterea, qui imperium administrat, incumbere debet, ut ab omnibus adamussim observentur. Quapropter summa illi diligentia, in socialibus muneribus statuendis, praesertim vero in magistratuum delectu, est adhibenda, ut ad munus publicum, quemadmodum monet Plato (*De republ.*), nemo, nisi exploratus, admittatur; caeteris autem magis idonei ac digniores praeferantur, omni penitus arbitrio ac favore posthabito: severa interim in magistratus ipsos vigilantia minime intermissa, ut, si forte ab officio suo, vel inscitia, vel negligentia, vel malitia discedant, in illos, uti par est, animadvertat. Postremo, in hoc opera illi maxima et cura ponenda est, ut civium quisque, honore, praemio, vel poena, - ad justitiae distributivae ac punitivae rationem (V. n. 195) -, pro

sequentibus Deos, adversa spernentibus. Quod vel ipse Nicolaus Machiavellus aperte hisce verbis declarat: « Nessun maggiore indizio si puote avere della rovina d'una provincia, che vedere dispregiato il culto divino » (*Discorsi su T. Livio*).

(1) *Legem brevem esse oportet, quo facilius ab imperitis teneatur; velut emissa divinitus vox sit. Jubeat, non disputet* (Seneca, *Epist.*).

merito afficiatur. Qua tamen in re caute omnino ac moderate incedendum est (1).

270. 4° Quum *proximus* civilis societatis finis, ut diximus (n. 262), sit optima jurium modalitatis ordinatio, eo tendens, ut, quoad ejus fieri possit, bene ac feliciter cives convivant, jam manifesto sequitur, qui in societate imperium tenet, ad id unice, - nulla ad se ratione habita et quasi sui immemorem -, animum attendere debere, ut eorum jura inviolata serventur (2); eisdem autem juribus modos illos praescribat, qui nedum officiant, morali civium perfectioni prosint: quae praecipuus, licet *remotus*, societatis civilis, - quemadmodum et alius cujuscumque -, est finis.

271. 5° Demum, qui publicam rem suprema auctoritate gerit, perpetuo probitatis, continentiae, justitiae atque humanitatis exemplo civibus esse tenetur; nam hoc primum, uti egregie observat Plinius, habet magna fortuna, quod nihil tectum, nihil occultum esse patitur. Quum autem haec sit superiorum conditio, ut quidquid faciunt, praecipere videantur; praeterquamquod praevalidus in hominibus inest imitationis instinctus, quo fit, ut ad principum mores, mores suos utplurimum

(1) *Omnis autem*, ait Tullius, *et animadversio et castigatio contumelia vacare debet; neque ad ejus, qui punitur aliquem, aut verbis castigat, sed ad rei publicae utilitatem referri. Cavendum est etiam, ne major poena, quam culpa sit; et ne iisdem de causis alii plectantur, alii ne appellentur quidem* (De off.).

(2) « Omnino, ut idem monet Cicero, qui rei publicae praefuturi « sunt, duo Platonis praecepta teneant: unum, ut utilitatem civium « sic tueantur, ut quaecumque agunt, ad eam referant, obliti com- « modorum suorum; alterum, ut totum corpus rei publicae curent, « ne, dum partem aliquam tuentur, reliquas deserant. Ut enim tutela, « sic procuratio rei publicae ad utilitatem eorum, qui commissi sunt, « non ad eorum, quibus commissa est, gerenda est » (*De off.*)

populus fingere consueverit (V. n. 255); unde pervulgatum illud Claudiani : *Regis ad exemplum totus componitur orbis* (1).

§ 2. — *De magistratuum officiis.*

272. Morum in primis probitate ac severitate Magistratum praestare oportet, omnesque actiones suas ad rationis et Religionis praescriptum ita componere, ut sincerum et efficax legum totiusque moralis ac civilis ordinis observationis exemplum ceteris civibus praebeat.

273. 2° Muneris sui momentum ac pondus probe magistratus noscat opus est, atque religiosum habeat, plena se illud fide ac diligentia obire. Civitatis praeterea dignitatem ac decus sustinere debet; omni proinde cupiditate et ambitione vacuus esse, atque, - intermediam veluti personam gerens -, locum nullum praetermittere, supremam potestatem ac cives mutui amoris vinculo simul devinciendi.

274. 3° Denique caveat, ne ullo unquam partium studio abripi se sinat; neque iis tantum, quas propria et personalis utilitas manifesto gignit, verum etiam illis, quae ab praejudiciis et abditis propensionibus clam quodammodo oriuntur: tota quippe ejus agendi ratio ad unam justitiae normam exigenda est. Quamobrem ad juris, cum civilis tum ecclesiastici, legumque generatim omnium, quibus res publica regitur, scientiam sibi comparandam, operam omnem atque diligentiam conferat; totisque viribus connitatur, ut integrum se atque incorruptum in judiciis quibuscumque ferendis nullo non tempore servet.

(1) « Nec enim, praeclare in rem Cicero, tantum mali est, peccare « principes (quanquam est magnum hoc per se ipsum malum) quan- « tum illud, quod permulti imitatores principum exsistunt. Nam licet « videre, si velis replicare memoriam temporum, qualescumque « summi civitatis viri fuerint, talem civitatem fuisse: quaecumque « mutatio morum in principe exstiterit, eamdem in populo secu- « tam..... Quo perniciosius de republica merentur vitiosi principes, « quod non solum vitia concipiunt ipsi, sed ea infundunt in civita- « tem; neque solum obsunt, quod ipsi corrumpuntur, sed etiam « quod corrumpunt, plusque exemplo, quam peccato nocent » (*De legib.*).

§ 3. — *De civium officiis.*

275. Officia civium, alia generalia sunt, alia specialia. *Generalia* dicuntur ea, quibus omnes indiscriminatim cives, - quatenus ad corpus aliquod sociale pertinent -, erga ipsum atque in eo legitime imperantem, obstringuntur; *specialia* vero, quae ex munere peculiari manant, quo quisque in civitate fungitur, officia nempe *proprii status*, uti vulgo appellant (V. n. 167): cujusmodi sunt officia *docentium*, *advocatorum*, *medicorum*, *militum* etc., quae unumquemque profecto probe callere opus est, ut suas in societate partes adimplere possit. Sed, hisce praetermissis, - quae pertractare ad Ethicam philosophicam minime spectat -, de generalibus tantum civium officiis nos pauca dicemus.

Primo itaque, cujusvis civis officium est, illum, qui supremam in civitate auctoritatem obtinet, maximo obsequio et observantia prosequi: hunc videlicet, quasi Dei vices gerentem in terris, habere. Nulla enim humana potestas ad hominem, quatenus est homo, pertinet, sed illi a potestate superiore tradita est. Hinc socialis regiminis auctoritas, non secus ac erga il-

lam officia, ab hominum nequaquam voluntate, ast a longe altiori principio (V. n. 27), ab rerum scilicet ordine necessario, immutabili ac divino proficiscuntur, seu lege aeterna, quae, uti suo loco diximus, ordinem naturalem servari jubet, perturbari vetat (1).

276. 2° Boni civis itidem est, magistratus vereri ac colere; civilium potestatum legibus ingenue obtemperare, earumque mandata alacriter peragere; ad publicum ordinem tuendum ac promovendum pro virili parte contendere; reipublicae commoda privatis necessitatibus potiora habere (2).

---

(1) Hinc liquido patet, quid de percelebri *suprema populari potestate* (sovranità popolare) dicendum sit; quae eodem, ac *potestas absoluta* (dispotismo) vitio laborat. Profecto, qui priorem sententiam tuentur, in hominum numero et multitudine, in vi nimirum, jus collocant; qui vero alteram, ad unius voluntatem et arbitrium illud transferunt: in hoc tamen utrique conveniunt, ut publicae auctoritatis, legum et jurium principium et regulam in homine, potiusquam in objecto immutabili et absoluto, ponant. Atqui, uti acute Giobertius noster animadvertit, « Il poter sovrano essendo fontalmente l'idea, cioè l'ente stesso, informa la società tutta quanta, e vi alberga, come l'anima risiede nel corpo, e come i concetti divini nelle cose risplendono, tanto che il giure de' governanti è solo instrumentale, secondario ed esecutivo. Chi regge uno Stato, sotto qualunque forma di ordini politici si esertiti la sua signoria, è un semplice ministro e luogotenente: il vero e solo principe è il creatore dell'universo » (*Introduzione allo studio della filosofia*). Quibus positis, facile intelligitur, quum humanam potestatem *juris divini* esse dicimus, nil absonum et absurdum nos loqui; atque verissime S. Paulum ad Romanos scripsisse: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: non est enim potestas nisi a Deo; quae autem sunt, a Deo ordinatae sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit.* Unde illud solemne in libro Proverbiorum: *Per me reges regnant, et legum conditores justa decernunt; per me principes imperant, et potentes decernunt justitiam.* Item, in lib. Sapientiae: *Audite reges: quoniam data est a Domino potestas vobis.*

(2) Verum quidem est, dum legum imperio servit, plus minusve hominem naturali suae libertati nuntium remittere: id quippe, uti suo loco vidimus, necessario fert socialis ordinatio. Quid tum inde? anne liberior, et, quod pluris est, felicior ille esset, ubi exlex et effrenus, procul ab hominum commercio, silvestrem vitam cum belluis ageret? *Nonne*, argute in rem Cicero, *legum servi sumus, ut liberi esse possimus?* (Orat. pro A. Cluent.).

277. 3° Civis cum civibus pacifice concordique animo vivere debet, - nil enim magis, quam eorum concordia, ad civitatis bonum et prosperitatem confert (1) -, majoreque eos benevolentia atque humanitate, quam extraneos, prosequi; non obtrectare, non invidere; quin imo, perinde ac fratres et ad eamdem familiam pertinentes, diligere.

278. 4° Quandoquidem civilis societatis gubernator vectigalia et tributa civibus imponendi jus habet, - quî enim secus ejus saluti atque utilitati prospicere posset? (2) - inde manifesto colligitur, cives, pro se quemque et sua parte, dolo omni et fraudatione amota, libenter ea solvere, ceteraque socialia onera aequo animo et sine obtrectatione ferre teneri.

279. 5° Quod autem ad publica munia spectat, quum bonus civis nihil antiquius civitatis incolumitate ac decore habere debeat, ita comparatum illum esse oportet, ut munus quodlibet sibi oblatum libenter suscipiat, - quidquid curae ac laboris hinc sibi proventurum sit -, modo ut ad illud obeundum sit idoneus; at omnino recuset, nedum petat et ambiat, si se oneri imparem sentiat (3).

280. 6° Ea demum in patriam caritate unumquemque civium flagrare opus est, ut, ubi aliquo in discrimine haec forte versetur, ejusque ope quo-

---

(1) *Concordia*, apte animadvertit Sallustius, *res parvae crescunt, discordia maxumae dilabuntur* (Bell. Jug.).

(2) *Neque*, ait Tacitus, *quies gentium sine armis, neque arma sine stipendiis, neque stipendia sine tributis haberi possunt* (Histor.).

(3) *Ad rem gerendam qui accedit, caveat, ne id modo consideret, quam illa res honesta sit; sed etiam, ut habeat efficiendi facultatem*, quemadmodum monet Cicero. At enim, *plerique*, subdit, *ad honores adipiscendos et ad rempublicam gerendam nudi veniunt et inermes, nulla cognitione rerum, nulla scientia ornati* (De off.).

quomodo indigeat, subsidio illi currere maturet; atque pro illius salute, si necessum sit, fortunarum non solum, sed et capitis sui periculum negligere non ambigat (1).

PARS TERTIA

EUDAEMONOLOGIA
SEU DE BONI MORALIS PRAESTANTIA.

281. *Eudaemonologia* est « humanae felicitatis scientia ». Quam proinde cum Ethica, scientia nimirum justi et honesti, perperam nonnulli confundunt.

Felicitas quidem veraque hominis utilitas ab honestate secerni nequit (2); at unum idemque esse, omnino negamus: idem quippe inter utramque est discrimen, quod inter effectum et causam, vel inter consequentiam et principium (V. n. 57). Unde fit, ut, etiamsi ponas, certum ad felicitatem iter, per virtutem minime patere, - quo in casu, validissimus homini, ad virtutem amplectendam, stimulus deficeret -, haec nihilominus sua semper vi et auctoritate polleret, eademque illius colendae ac diligendae obligatione quisque obstringeretur.

282. Felicitatem reapse, tamquam individuam

(1) *Cari sunt parentes*, inquit Tullius, *cari liberi, propinqui, familiares, sed omnes omnium caritates patria una complexa est: pro qua quis bonus dubitet mortem oppetere, si ei sit profuturus* (De off.)? Namque, Horatio innuente: *Dulce et decorum est pro patria mori* (V. n. 107).

(2) Ea nimirum est rerum conditio, ut honestum et utile naturâ connectantur et abs se invicem divelli nequeant: at tene, de vera, stabili ac perpetua utilitate nos loqui. Hinc recte Cicero: *In quo*, inquit, *lapsa consuetudo deflexit de via, sensimque eo deducta est, ut honestatem ab utilitate secernens, et constitueret honestum esse aliquid, quod utile non esset, et utile. quod non honestum; qua nulla pernicies major hominum vitae potuit afferri* (De off.).

comitem, virtutem sequi, - idest bonum morale post se bonum eudaemonologicum trahere, malum autem morale dolorem atque aegritudines comitari -, jam obiter diximus, quum de legis sanctione sermonem haberemus. Sed ad rem conficiendam, haec ulterius ac penitius prosequi opus est.

Hoc itaque generatim demonstrandum adgredimur, *malum* nempe *hominem*, *felicem ; bonum* autem, *infelicem* esse nunquam posse. Quibus pauca de *beatitudine* addemus, de sempiterno scilicet praemio, quod perfectam virtutem manet. Unde boni moralis seu virtutis praestantia, et vitii turpitudo omnino patebit: quo enimvero Ethica eudaemonologica spectat.

CAPUT I.

Nemo malus est felix.

283. *Felix* ille dicendus est, qui se sorte sua contentum judicat, nilque amplius optat et quaerit. Hominis igitur *felicitas* in plena et omnimoda voluptate, nempe *animi expletione*, consistit.

Inde conficitur, malum neminem felicem esse posse (1). Quum enim proprium hominis bonum, - utpote quod voluntatem idest personam humanam perficit -, honestas seu virtus sit, quî malus homo, hocce bono carens, contentus esse potest? quî *conscientia eudaemonologica* frui, quae in eo statu est, in quo satis se habere, nilque prorsus sibi deesse quis sentit?

(1) *Fuit felix*, ait Cicero, *si potest ulla esse in scelere felicitas* (Philip.), Expressius autem Juvenalis: *Nemo malus felix* (Sat. IV).

284. Neque tamen infitias ibo, oblectationes et voluptates malis ac scelestis inesse suas, maximisque illos vitae commodis saepe diffluere; ast haec omnia ab *animi tranquillitate* probe distinguenda sunt, quae prima, et, pene dixerim, una sola est felicis status conditio (1).

Re enim vera anxietas, dolor, tristitia voluptates corporeas consequuntur; quae idcirco, nedum hominem voti sui compotem reddant, magis irritant atque sollicitant: quo enim plus cupiditatibus indulget, plus earum desiderio exardescit; quemadmodum de hydropico ait poëta: *Quo plus sunt potae, plus sitiuntur aquae* (2). Idem autem dicatur de honoribus, divitiis, aliisque, quotquot sunt, - sive corporis sive fortunae -, bonis, quae homini hisce in terris possidere datum est; quae, ad illius animum explendum minime idonea esse, nemo profecto unus ignorat (3).

(1) *Quid est beata vita? securitas et perpetua tranquillitas*, ait Seneca (*Epist.* XCII). Unde autem tranquillitas hujusmodi? Haud edepol ex voluptatibus corporis; sed *hanc*, subdit moralis philosophus, *dabit animi magnitudo, dabit constantia bene judicati tenax.*

(2) *Cupiditates enim*, inquit Cicero, *sunt insatiabiles... Nec hae sese foris solum jactant, nec tantum in alios caeco impetu incurrunt; sed intus etiam in animis inclusae inter se dissident atque discordant. Ex quo vitam amarissimam necesse est effici* (De finib.).

(3) « Pecunia non faciet..... Praetexta non faciet..... Fama non faciet, nec ostentatio tui, et in populos nominis dimissa notitia..... Non turba servorum, lecticam tuam per itinera urbana ac peregrina portantium..... Ne forma quidem et vires beatum te facere possunt: nihil horum non patitur vetustatem. Quaerendum est ergo quod non fiat in dies deterius, cui non possit obstari. Quid hoc est? animus: sed hic rectus, bonus, magnus » (Seneca, *Epist.* XXXI). Quod si nihilominus veritatem hanc facto aliquo ulterius confirmari quis velit, Salomonem, potentissimum ac ditissimum regem, ita de se aperte, in *Ecclesiaste*, loquentem audiat: « Ego fui rex Israël in Jerusalem, et proposui in animo meo quaerere et investigare sapienter de omnibus, quae fiunt sub sole .... Vidi cuncta quae fiunt sub sole, et ecce universa vanitas, et afflictio spiritus..... Dixi ego in corde meo: Vadam et affluam deliciis, et fruar bonis. Et vidi

285. Hisce adde innumerabilia, cum externa tum interna, quae utplurimum vitium sequuntur, mala et infortunia. Hinc enimvero corporis mentisque imbecillitas (1), hinc morbi perniciosissimi, hinc horrida plerumque turpisque egestas; hinc error et ignorantia, et gravissimorum periculorum parens inconsulta ira; hinc domestica dissidia, simultates, perpetuae formidines, probrum, contemptus, odium, obstantiaque mille impedimenta, siquod sibi commodum comparare improbi velint. Adeo verum est argutum illud Senecae dictum: *Malitia ipsa maximam partem veneni sui bibit.*

286. Sed omnium acerrimum, quo diu noctuque torquentur, carnificem secum jugiter afferunt impii: scelerum nempe suorum conscientiam, de qua jam saepe mentionem intulimus. Unde perpetua animi sollicitudo, trepidatio, diffidentia; nulla proinde quies, nulla tranquillitas: illis quippe divina instat justitia eosque graviter urget (2). Proh igitur misera extra legem viventium conditio! Sibi ipsis exosi, moralem animi

quod hoc quoque esset vanitas..... Magnificavi opera mea, aedificavi mihi domos, et plantavi vineas, feci hortos et pomaria..... Coacervavi mihi argentum et aurum..... feci mihi cantores et cantatrices..... Et supergressus sum opibus omnes, qui ante me fuerunt in Jerusalem; sapientia quoque perseveravit mecum. Et omnia quae desideraverunt oculi mei, non negavi eis; nec prohibui cor meum, quin omni voluptate frueretur..... Cumque me convertissem ad universa opera, quae fecerant manus meae, et ad labores, in quibus frustra sudaveram, vidi in omnibus vanitatem et afflictionem animi, et nihil permanere sub sole ».

(1) *Defectio virium*, ait Tullius, *adolescentiae vitiis efficitur saepius, quam senectutis* (De senect.).

(2) *Mala conscientia*, inquit Jo. Gersen (vulgo Thomas a Kempis) *semper timida est et inquieta..... Mali nunquam habent veram laetitiam, n internam sentiunt pacem: quia non est pax impiis, dicit Dominus* (De imitatione Christi).

sui statum exhorrescunt, eumque penitius considerare formidant; a se iccirco mentem abducere alioque convertere nituntur; sibi illudere et fucum facere student, sed frustra: nam sibi vel inviti semper adsunt; *animus*, innuente Horatio, *se non effugit unquam.*

Impios tandem instantis atque inevitabilis mortis imago quatit ac terret, simulque futuri aevi cogitatio, in quo, velint nolint, judicem incorruptum atque justitiae vindicem ipsos manere sciunt, quem nil prorsus latet, cuique omnium omnino quae in vita gesserint, rationem sunt reddituri.

287. Quî porro, tot malis obruti, tot curis atque molestiis exagitati laetam felicemque vitam ducere possunt? Licebit quidem illis fucatam quamdam prosperitatis speciem praeseferre atque externam jactare laetitiam, indeque aliis fortasse invidia digni ac felices *videri;* at revera *esse* nequeunt. Non enim aliorum opinio hominis felicitatem constituit, sed ille animi status, ut diximus, in quo se sorte sua contentum quis sentit, nilque sibi ultra expetendum superesse judicat, quidquid interim caeteris videatur; hinc recte Persius: *Nec te quaesiveris extra* (1).

(1) « Animus oportet tuus te judicet divitem, non hominum sermo: « ita improbum, in *Paradoxis* insectatur Cicero....., Te miseriae, te « aerumnae premunt, qui te beatum, qui florentem putas; tuae libi- « dines te torquent; tu dies noctesque cruciaris..... Te conscientiae « stimulant maleficiorum tuorum; te metus exanimant judiciorum « atque legum ». Item, modo laudatus auctor *De imitatione Christi:* « Et si (*mali*) dixerint: In pace sumus, non venient super nos mala, « et quis nobis nocere audebit? ne credas eis ».

CAPUT II.

Vir bonus numquam miser.

288. *Ut improbo*, ait Cicero, *et stulto et inerti nemini bene esse potest*, *sic bonus vir*, *et fortis*, *et sapiens miser esse non potest* (Paradox. II). Quemadmodum enim voluptas, hominis felicitatem minime constituit, sic dolor neque animi quietem excludit neque infelicitatem parit; sicuti autem improbus voluptatibus aliquot frui potest, quin miser esse desinat, ita vir bonus et virtutis cultor, vel inter dolores et aegritudines, contentus est et felix, dum se talem putat atque existimat (1).

289. Haec autem veritas ut clarius pateat, animadvertendum est, duabus hominem partibus constare: parte nimirum *superiore*, quae intelligentia et voluntate continetur; et *inferiore*, idest animali seu sensitivo-corporea. Illa porro humanam personalitatem essentialiter constituit (V. Vol. I, n. 126); altera vero, utpote quoddam personae ipsius instrumentum vel appendix habenda est. Atqui virtus est verum ac proprium humanae personae bonum. Ergo, ubi virtus adsit, humanam quoque personam contentam esse oportet; eo autem magis, quo major est virtus (V. n. 206).

(1) Hinc Epictetus, quanquam erat pauper, corpore mancus ac debilis, et servitutem serviens, attamen, sibi semper constans, atque hujusce propositi sui tenax, - adversa nempe aequo animo toleranda esse rebusque praeter fas jucundis omnino abstinendum -, majores profecto laetandi causas habuit, quam Xerxes, quum se illi praemium daturum promitteret, qui novum voluptatis genus sibi adhuc ignotum reperiret.

Ex quo conficitur, mala et dolores, quibus vir probus obnoxius est, - quum bonum personae proprium nullomodo attingant, sed inferiori tantum illius parti officiant (V. n. 9) -, obstare non posse, ne felix ille sit. Quo sensu verissime dictum est, sapientem ac bonum virum vel in ipso Phalaridis tauro, atque inter atrocissima tormenta Regulum felices fuisse (1).

290. Quod si insuper praestantissimas boni moralis dotes consideramus, - si vel maxime ratio habeatur dignitatis, quam illi confert Religio -, magis magisque constabit, miserias ac molestias, quibus in inferiore sui parte vir bonus afficitur, animi tranquillitatem eripere illi non posse. Tres porro praecipue sunt hujuscemodi dotes : *plenitudo, ordo* et *aeternitas.*

1° Itaque bonum morale est *plenum*, in cetera nimirum bona dominans, quippe quod superioris hominis partis, - quae in eo vere dominatur et supereminet -, proprium est; quo fit, ut dignitatis et magnitudinis suae conscius, dolores et aerumnas plane despiciat, vel patienter ac fortiter ferat, utpote sibi a Deo providentissimo advenientes, cujus voluntati penitus adhaeret (V. n. 135); vel eo etiam perveniat, ut eas diligat atque exoptet, tamquam ad virtutem adipiscendam eamque majore fructu et proventu exercendam, apta instrumenta : Deo ipsi gratias

(1) « Nec vero ego, apte in rem Cicero, M. Regulum aerumnosum, « nec infelicem, nec miserum, umquam putavi. Non enim magnitudo « animi excruciabatur a Poenis, non gravitas, non fides, non constan« tia, non ulla virtus, non denique animus ipse; qui tot virtutum « praesidio, tantoque comitatu, quum corpus ejus caperetur, capi « certe ipse non potuit » (*Parad.* II). Et alio loco: « Itaque tum, cum « vigilando necabatur, erat in meliore causa, quam si domi senex « captivus, perjurus et consularis remansisset ».

agendo, atque illam, pene dixerim, qua oppressus est, manum osculando. Quapropter sincerus virtutis amator, - quippe rerum aequissimus aestimator et judex -, nequit se, quidquid sibi adversi contingat, sua sorte contentum non judicare : in hoc porro judicio, tamquam essentiali ejus conditione, hominis felicitas, uti paullo ante diximus, posita est.

291. 2° Bonum morale est *ordinatum*, plenissimam nempe homini pacem et laetitiam infert. Qui enim generoso incoctum honesto pectus habet, bene actae vitae conscientia fretus, magnum et erectum, unaque purissimo, certo ac stabili gaudio exsilientem animum gerit (1). Quum se ordine, recte et composite vitam degere sciat, omnisque idcirco in Dei justitia ac providentia fiducia illius reposita sit, summa pace perfruitur (2). Rebus in arduis aequam servat mentem, non secus in bonis ab insolenti temperatam laetitia; quare, vel inter dubias et asperas res, exsultat (3). Quid enim exquisitissimis illis gaudiis comparari potest, quibus vir bonus afficitur, quae ex suarum virtutum fonte, praesertim vero ex suavissimo in sui similes amore ac benevolentia fluunt? Quae profecto gaudia impiis atque improbis, libidine ipsa et conscientiae morsibus excruciatis, prorsus ignota sunt et inaccessa: nil quippe in impio nisi inordinatum ac turbulentum. Hinc verissime

(1) *Gloria boni hominis*, ait Jo. Gersen, *testimonium bonae conscientiae. Habe bonam conscientiam, et habebis semper laetitiam.*

(2) Quam Petrarca recte vocat

Pace tranquilla, senz'alcuno affanno,
Simile a quella ch'è nel cielo eterna (Canz. 20).

(3) *Bona conscientia*, subdit auctor « De imitatione Christi », *valde multa potest portare, et valde laeta est inter adversa.*

in *Proverbiis* legitur: *Secura mens quasi juge convivium.*

292. 3° Bonum morale est *aeternum*. Virtus namque natura sua immortalis est (1); quum autem dignitate quadam et excellentia gaudeat, quae a corpore nullomodo pendet, atque, non secus ac lex unde manat, divina sit, aeternum quoque illam permanere necesse est. Quo fit, ut sincerus virtutis amator, ea quae homini possunt accidere, omnia parva ducens et vim fortunae contemnens, nullis adversis casibus commoveatur exterritus, mortemque ipsam serena fronte intueatur (2), interdum etiam, tamquam melioris vitae initium, sibi advocet et imploret: siquidem bonum quod possidet, haud morte peremptum et deletum iri, sed in perpetuum duraturum optime novit. Quod si haec secum reputans atque cogitatione revolvens Socrates, strenue ac tranquille mortem obire non dubitavit, quid de christiano dicendum, cui certissima, Dei verbis freto, spes futurae vitae affulget, in qua Deus ipse aeternam atque inexcogitabilem mercedem virtutis cultoribus pollicetur (V. n. 14)?

293. Sed duo fortasse exquiri hic possunt: Quinam videlicet virtutis gradus necessarii sint, ad

(1) *Omnia alia falsa*, inquit Tullius, *incerta sunt, caduca, mobilia: virtus est una altissimis defixa radicibus, quae nunquam ulla vi labefactari potest, nunquam dimoveri loco* (Philip. IV).

(2) Boni ac justi viri imaginem ita eximie exprimit Horatius (*Carm.* III, 3):

Justum ac tenacem propositi virum,
Non civium ardor prava jubentium,
Non vultus instantis tyranni
Mente quatit solida.
. . . .
Si fractus illabatur orbis,
Impavidum ferient ruinae.

vitae calamitates simpliciter tolerandas, quin animi quies turbetur; quinam vero, ad animum ipsum plane contentum et felicem efficiendum?

Ad primum respondemus, eo majores virtutis gradus esse debere, quo majora homini perferenda sunt mala. Unde fit, ut siquis, hisce devictus atque subactus, se sorte sua contentum minime sentit, malorum ipsorum vi et gravitati id proprie tribuendum non sit, sed potius quod ille virtutis desit gradus, qui ad mala illa superanda sufficiat. Ast hoc etiam in casu, quo, viribus deficientibus, necessitati quodammodo parendum illi est, bonus et honestus vir, - dum optimae mentis conscientia se consolatur -, miser appellari nequaquam potest.

294. Quod vero ad illos virtutis gradus spectat, qui ad solidam homini felicitatem comparandam requiruntur, meminisse opus est, hanc in vera et plena voluptate, seu animi expletione consistere (V. n. 283). Jamvero animus humanus expleri nequit, nisi rerum aeternarum, - Dei nempe et veritatis -, contemplatione, unaque purissimo, quo ille perfunditur, gaudio, quum in res illas adhaeret.

Ex quo efficitur, illum *quiete* ac placide vivere, qui honeste et, qua par est, ratione vivit; sed tunc solum *felicem* esse, quum bonorum aeternorum affectu et desiderio unice tenetur. Vel aliter, si libet: Ad animi statum quietum et tranquillum adipiscendum, sat est primus virtutis gradus, quem quis per opera stricte *obligatoria* attingit; at felicitas in virtutis ipsius perfectione inesse tantum potest, quae illud insuper quod ultra debitum est, sive opera, ut dicunt, *supereroga-*

tionis complectitur (1). Huic porro felicitati nullomodo obstant: neque molestiae ac dolores, quos ingenuus virtutis amator, nedum recte ferat, subigit ac vincit; neque bonorum temporalium privatio, quae abunde supplet, - dum animum penitus explet contentumque efficit -, divina virtus certaque futurorum bonorum spes.

CAPUT III.

De beatitudine.

295. Supremus felicitatis gradus *beatitudo* vocatur. Quae in Dei ipsius visione seu possessione consistit; quamque homini propterea hisce in terris consequi datum non est. Haec nimirum est merces illa ineffabilis, quam perfectae virtuti, in altera post hanc vita pollicitus est Christus (V. n. 292): merces, inquam, bona omnia complectens, quae humanae naturae, ad incorruptibilitatis statum jam evectae, excogitare atque appetere licet (2).

296. Sola itaque Religio, gravissimae de felicitate quaestionis enodandae capax est. Plurimam quidem Stoici, quos honoris causa nomino, in hac solvenda operam impenderunt, verasque, prae ceteris veterum philosophorum scholis, hujusce problematis conditiones in medium protulerunt; probe namque perspectum fuit Stoicis, hominis felicitatem in bono illi *proprio* omnino sitam esse: in bono scilicet, quod ab libera ejus voluntate adeo pendeat, ut nullo fortunae casu adimi illi possit. Quum nihilominus hujuscemodi boni naturam definire adgressi sunt, nae tota re errarunt.

At quod frustra conati sunt Stoici, christiana Sapientia plane consecuta est, dum dilucide ostendit, quomodo, uno eodemque actu, virtutem colat et beatus sit homo. Docet enim, post mortem, justorum felicitatem seu beatitudinem in simplicissimo illo actu consistere, in quo et maxima eorum virtus posita est: hic porro actus est *amor*, quo homo Deo, qui se illi palam conspiciendum praebet, perfecte ac penitissime adhaeret. Deus namque, ipseque solus, ex Sapientiae christianae praeceptis, virtutis unaque felicitatis est objectum (1). Divina sanepol ac sublimissima doctrina! Quis autem satis admirari illam queat (2)?

---

(1) Huc spectant verba Christi, in *Evangelio* S. Matthaei, ad adolescentem, qui, postquam declaravisset, mandata se jugiter servavisse a juventute sua, *quid*, inquit, *adhuc mihi deest? Ait illi Jesus: Si vis perfectus esse, vade, vende quae habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in coelo; et veni, sequere me.*

(2) De hujuscemodi mercede, in *Epistola ad Corinthios* 1.a, ita loquitur Apostolus: *Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor homini ascendit quae praeparavit Deus diligentibus se.*

(1) Haec passim, in suis *Confessionibus*, aperte declarat S. Augustinus: *Cum te*, ait, *Deum meum quaero, vitam beatam quaero.* — ET IPSA EST BEATA VITA *gaudere ad te propter te, ipsa est et non est altera.* — BEATA *quippe vita est gaudium de veritate. Hoc est enim gaudium de te, qui veritas es, Deus illuminatio mea.....* BEATUS *ergo erit, si nulla interposita molestia, de ipsa, per quam vera sunt omnia, sola veritate gaudebit.*

(2) Acutissime, more suo, doctrinam hanc ita exponit Rosminius: « Iddio è l'essere: in lui e per lui solo nella morale perfetta si debbono apprezzare tutti gli enti creati. Il *riconoscimento* pieno adunque di Dio è tutta la morale cristiana..... Ciò veduto, trasportiamoci a quell'atto ultimo e perfetto di riunione dell'uomo con Dio, dove ad un tempo si ha perfetta la virtù e perfetta la felicità; a quell'atto che la cristiana rivelazione ci addita ne' beati nel cielo, dove si compie il corso dell'uomo. In quest'ultimo atto, Iddio è la *forma* dell'intendimento, come si esprimono i maestri in divinità: cioè Iddio è veramente e immobilmente percepito dall'uomo. L'uomo *riconosce* volon-

297. Ne quis tamen nobis succenseat, quod, de instituto nostro quasi decedentes et ratione sepósita, ad Revelationem confugimus. Quam enim hic tradimus, doctrinae, ratio ipsa et philosophia plane assentitur.

Siquidem philosophia, - sanam atque sinceram philosophiam intelligimus -, quum gravissimis, quaeque hominis maxime intersunt, quaestionibus solvendis se imparem sentiat, altiori et longe omnium praestantissimae magistrae, idest Revelationi, alumnum suum ultro edocendum tradit; ex quo patet, humanam rationem, Fidei ipsius praeconem quodammodo appellandam esse. Ratio quippe et Philosophia, nedum Religioni adversa et infensa sit, - uti scioli quidam, qui hanc prorsus ignorant, temere effutiunt -, ejus contra necessitatem invictissime demonstrat (V. n. 141); ad illam se nobis ducem praebet (1); illi omnino semet-

---

tariamente l'essere infinito che *percepisce;* questa è la *virtù;* la conseguenza necessaria della ricognizione volontaria è l'amore; cioè la fruizione dell'essere. La fruizione piena dell'essere assoluto è la piena *beatitudine*..... Hassi dunque a sapere che, secondo la cristiana sapienza, l'essere stesso che nell'ordine della natura si comunica idealmente, nell'ordine sopranaturale di grazia e di gloria si comunica altresì nelle sue due altre forme, nella forma reale e nella forma morale. E allora comincia, o si completa la percezione di Dio. Per cotal maniera l'ordine di natura, di grazia e di gloria sono tre gradi di divina comunicazione; per modo tuttavia, che nel primo grado, la comunicazione è *divina*, solamente negli altri due la comunicazione è *deiforme*. In tutti e tre però vedesi questo divino elemento innestato nella nostra natura e informante il nostro intelletto..... Il sommo bene diviene per tal modo sì fattamente nostro, nel cristiano sistema, che il suo possesso forma parte di noi stessi, in questo senso che senza essere congiunta con esso non sarebbe più la nostra natura. Questa proprietà di diventar sì fattamente *nostro*, fino ad esser lume e forma della nostra intelligenza e della nostra volontà, non si può avverare che di Dio » (*Storia comparativa* ecc.).

(1) Veritatem hujusmodi probe vidit Racinius; qui nobilissimum poëma, *Religio* inscriptum, ita exorditur:

La Raison dans mes vers conduit l'homme à la Foi.
C'est elle, qui portant son flambeau devant moi,

ipsam concredit; ejusque jussis atque oraculis, quin tamen hominem missum faciat, demissa et humilis obsequitur (1).

M'encourage à chercher mon appui véritable,
M'apprend à le connaître, et me le rend aimable.

Hinc vel ipse Petrus Bayle, auctor sane minime suspectus, humanam rationem cum Moysis lege comparans, in art. *Manichaei*, haec notatu dignissima scribit: « La loi, suivant les théologiens, n'était propre qu'à faire connaître à l'homme son impuissance, la nécessité d'un Rédempteur et d'une voie miséricordieuse; elle était un pédagogue pour nous mener à Jesus-Christ. Disons à peu près de même de la raison; elle n'est propre qu'à faire connaître à l'homme ses ténèbres, son impuissance, et la nécessité d'une révélation » (*Dictionnaire* etc.).

(1) « La philosophie, - hisce verbis eximium explicit Degerandi opus *Du perfectionnement moral*, quibus et exiguo huic nostro finem imponere liceat: « La philosophie, se plaçant avec respect, dans le cortège de la religion, ne cessera point d'accompagner l'homme dans cette nouvelle et haute existence: elle lui enseignera à cultiver ces facultés dont la religion lui montre le prix et l'invite a faire le meilleur usage; elle aidera à prévenir, à rectifier des écarts que la religion elle-même désavoue et déplore; elle rendra la religion plus honorable encore et plus utile aux yeux des hommes, en exposant ses titres, en racontant ses bienfaits. Mettre en lumière le parfait accord de la vraie philosophie et de la vraie religion, est et sera toujours, est peut-être spécialement dans ce siècle, servir à-la-fois, dans leurs plus chers intérêts la cause de toutes les deux ».

ERRATA			CORRIGE
Pag. 2, lin. ultima,	— dirutius. . . .		diutius.
» 22, » 30,	— delibatus . . .		delibutus.
» 15, » 34,	— et ce que . . .		et que.
» 225, » 24,	— quo		inde.

Habita facultate.

INDEX

PARS ALTERA

ETHICA SPECIALIS; IDEST DE RECTE AGENDI, SIVE BONUM MORALE ACQUIRENDI RATIONE

PARS TERTIA

EUDAEMONOLOGIA SEU DE BONI MORALIS PRAESTANTIA